AMMONIVS IN PORPHYRII INTRODVCTIONEM.

IOANNE BAPTISTA RASARIO INTERPRETE.



VONIAM de Philosophia orationem instituimus, necesse est, vt quid ea sit, cognoscamus. eum enim, qui aliquid aggreditur, quid illud sit, prędiscere oportet, ita enim rem studiosius, persequetur: cumque definitiones nobis res declarēt, quonam pacto quippiam ex definitione percipiemus, nisi quid ea sit, prius didicerimus? Igitur Definitio est breuis oratio, quæ rei naturam declarat. Et nomen ab agrorum terminis per translationem traxit: nam vt illi rura aliena à nostris distinguunt, sic Definitiones rei naturam complectuntur, atque à cæteris omnibus disiungunt. Nunc igitur, Philosophiæ definitiones exponendæ sunt. Veluti enim, cum primum Grammaticæ operam dedimus, Grammaticen earum rerum, quæ à poëtis, historicisque plerunque dicuntur, peritiam esse definimus: eodemque modo cum primum ad artem Rhetoricam accessimus, illam orationis ad persuadendum accommodatæ vim esse quandam arte coniunctam in ciuilibus causis, cuius bene dicere sit finis, affirmamus: sic Philosophiæ definitio percipienda est, quoniam ea reliquis scientiis, & artibus definitiones tradit. Principio igitur omnis scientia, atque ars subiectum aliquod, & finem habet. Subiectum illud appellatur, in quo ipsa versatur: Finis est id, ad quod sua refert omnia: & quod ipsa omnino desiderat: velut hac exempli appositione perspicuum fiet. Medicinæ subiecta sunt humana corpora, quoniam in iis versatur: eiusdem finis est, valetudinem recuperare, siquidem eò solum medicus tendit. Ligna quoq; fabro subiiciuntur, iisq; illi finis est constitutus, abacū vt efficiat: quod in causa est, vt omnis definitio ex subiecto, aut fine, aut ab vtrisq; simul iunctis ducatur. Ex subiecto, hoc modo: Medicina ars est, quæ in humanis corporibus versatur. A fine autem sic: Medicina est ars valetudinis. Ex vtrisq;: Medicina est, quæ in humanis corporibus versatur, & valetudinis ars est. Astronomia quoq; cum scientia sit, cælestia corpora habet subiecta, finemq; motuum ipsorum cognitionem. Nunc igitur quid Philosophiæ subiiciatur, quidq; finis sit, percipiamus, vt eius definitionem tradere possimus. Animaduertendum enim est, cum reliquæ artes, scientiæq; omnes in peculiaribus quibusdam versentur, vt ars fabri lignorum in lignis tantum, & astronomia solum in corporibus cælestibus, solam Philosophiam in omnibus, quæ sunt, versari, finemq; habere, non vt illa efficiat omnia, sed vt cognoscat. Ac multis quidem modis explicatur Philosophia: siquidem veteres Philosophi multas eius definitiones scriptas reliquerunt: ac ne contentionis cupidi nos fortasse importunæ ambitionis accusent hoc tempore, si quā quisque definitionem Philosophiæ tribuit, commemoremus; satis fore existimamus, si quinque, aut paulo plures afferemus: quarum duæ ex subiecto, & duæ ex fine oriuntur: quinta propter eam, quā ad cæteras artes habet, excellētiam apponitur: iis præterea sexta, quæ ex vi nominis assumitur, accedet. Prima igitur definitio hæc est: Philosophia est rerum, quia res sint, cognitio. Philosopho non singulos, qui inter viuos agunt, homines ad vnum scire, sed hominis tm̃ naturam cognoscere, propositum est: vtpote qui rei cuiusque vim, & notionem contempletur. Alteram philosophiæ definitionem hanc esse tradidit Plato. Philosophia est cognitio rerū diuinarū, atq; humanarum. Constat tamen inter omnes, hanc nihil à prima discrepare: hoc tantum habent discriminis, vt hæc notior, atque apertior superiore videatur. Nam cum Plato res diuideret, quæ sempiternæ essent, Diuinas: caducas vero, & ortui, interituique subiectas, Humanas appellauit. Definitiones igitur, quæ ex subiecto sumuntur, patefactæ iam sunt illæ quidem, sed nihil inter se differunt, præterquam, quod hæc notior sit, illa minus cognita. Tertiam, quæ ex fine est, Plato sic literis consignauit: Philosophia homini cum Deo similitudo est, quantum homo assequi potest. Nam cum duplex Dei sit actio Notionis, qua cuncta cognoscit, quod sic poetæ attestantur,

Dij omnia norunt:

& inferiorum Prouidentiæ, qua mundum vniuersum gubernat, vt iidem poëtæ inquiunt,

Dat bona perpetuo summi regnator Olympi.

Philosophus operam dat, vt in vtraque Deo quamsimillimus euadat: vult enim omnia contemplari, (considerat enim omnia) ac prouidere: siquidem inferiorū curam gerit: nam Politicus philosophus & iudicat, & leges præscribit. Ita fit, vt Philosophia merito sit homini cum Deo similitudo. Illud autem, quantum homo consequi potest, recte ad definitionem adiungitur, quippe cum nec eadem cognitio sit, nec prouidentia.

---Neque enim simile est genus unquam
Immortale Deûm, atque hominum, terra egressorum.

Quorum enim cunque vis, atque natura diuersa est, eorūdem quoque perfectiones diuersæ sunt: quod in cæteris etiam animātibus, homine videlicet, atque equo clarum est: quorum quia differt natura, dissimiles esse perfectiones comperiūtur: quippe cum hominis perfectio sit, cum prudētia, & virtute viuere: equi vero, acrem, velocēq;, & bello idoneum esse. Quin etiam in iis quæ sunt rationis expertia, nunquam finem, & perfectiones diuersas, nisi naturas quoque diuersas videremus: nam alia canis, alia equi perfectio est. Quod si in iis, quanto magis in homine, ac Deo? Ex quo fit, vt cum non parum dissimiles habeant naturas, dissimiles itidem perfectiones habere cogantur. Iustis igitur de causis, quantum homo assequi potest, definitioni adiectum est, quam ob rem Philosophia est, quantum assequi homo potest, Dei similitudo. Quid vero, vt sic definiretur fuerit in causa, dicēdum est nobis: quoniā, vt diximus, duplex est Dei vis, cognitionis, & actionis: ita in animis nostris contemplatio, & actio sunt, quæ efficiunt, vt cum Philosophus vtrāque animi partem ad imitationem Dei ornare cupiat, vel dum rerum omniū naturam perscrutatur, vel cum perturbationes animi virtuti non consentaneas moderatur, atque aliis ipse consulit: idque in causa fuit, vt Plato philosophiam, quantum homo assequi potest, Dei similitudinem esse definiuerit. Sequitur altera ex fine definitio: Philosophia commentatio mortis est. At quoniam hæc definitio Philosophiam mortis esse cōmentationem declarat, quomodo ea intelligenda sit, nunc exponam. Cleombrotus quidam, cum cum diuini Platonis librum, qui est de Animo, euolueret,

philoſophumque mortem meditari debere videret, ignarus quid ſibi vellet mortis illa commentatio, murum aſcendit, ſeque inde abiecit. id quod poetæ cuiuſdam epigrammate nobis eſt notum, atque teſtatum:

Phœbe vale, dixit, deque arce Cleombrotus alta
Se dedit in Stygios Ambraciota lacus:
Nullum in morte malum ratus eſſe: ſed aurea dicta
Phædonis de anima non bene nota ſequens.

Quoniam igitur is adoleſcens imprudentia ſe præcipitem dedit, quomodo artis hæc meditatio intelligenda ſit, conſiderandũ eſt: præſertim cũ ſibi manus inferre, nemini licere ijs uerbis moneat Plato: Etenim, inquit, ſermo ille, qui de iis arcanis habetur, hoiem veluti in quadã eſſe cuſtodia, vt ex illa ſeipſum ſoluere, aut aufugere nõ deceat: magnus mihi quidem, & valde abſtruſus videtur. Atque hæc quidem ille. Nefas igitur eſt, quenquam ſibi ipſi mortem conſciſcere. nam quemadmodum qui ob ſcelus in vincula cõiectus eſt, ſi vincula rũpat, omnes, quod in ſe eſt, leges ſubuertit: ita etiam, qui corporis noſtri vinculum, quod diuina prouidentia cõiunxit, diſſoluere properarit, ſummi opificis decreta reſcindit. ergo non debet ſibi quiſquã manus inferre. Quòd ſi ita ſe res habet, quonã modo Philoſophiã mortis commentationem dicemus? mentes veſtras adhibete, & hunc vobis ex animo ſcrupulum euellam. Nã cum homo conſtet ex anima, & corpore: vt duplex eſt vinculũ, ita & aiæ diſceſſus à corpore duplex erit. Eſt enim quoddam naturale vinculum, cuius beneficio corpus animæ alligatur, vitalemque ab ipſa ſpiritum trahit: quoddam vero voluntarium, quo corpori coniungitur, eidem ſeruiens, & ſubiecta. Duplex igitur erit ſolutio: vna, per quam corpus ab anima: altera, per quã anima ſoluetur à corpore. Mors quoque duplex erit: altera naturalis, cui omnes obnoxii ſumus, quam obimus, cum corpus ab anima ſeparatur: & altera voluntaria, cum ſcilicet philoſophi contemplationibus animum à corpore diſiungunt. Philoſophi igitur mortem meditari, id eſt, animum à rebus corporeis ſeuocare dicuntur. Hoc præterea non eſt ignorandum, cum corpus ab anima ſecernitur, animam omnino à corpore non ſegregari: tantopere enim animę corpora diligunt, vt etiã poſt mortem in amore perſeuerent: Philoſophi enim, qui adhuc vita fruuntur, & Philoſophiæ parent, ſeipſos à corporibus abducunt. Philoſophia igitur eſt mortis, hoc eſt, animæ ſecretionis à corpore, meditatio. Reſtat, vt quæramus, Si philoſophia finem habet eorum, quæ ſunt, cognitionem: quo iure primam definitionem, quæ ait, philoſophiã eſſe, rerũ, quia ſint, cognitioné: & eã, qua philoſophiã rerum diuinarũ, & humanarũ cognitioné eſſe affirmamus, ex ſubiecto, & nõ ex fine aſſumi dictũ ſit: nam velut Medicinę ſciẽtiã, in eo ipſo, quod in humanis corporibus verſatur, ex ſubiecto, & dum efficit valetudinem, ex fine, ad quẽ intendit, definiri aſſeruimus, ita quoq; de philoſophia dicendum erat: quę ſi finem habet rerum cognitionem, ſuperiores definitiones ex fine ſumi, neceſſario dicendum videtur. Primum illud vos ſcire volo, cum duo philoſophiæ ſint genera, primum, quo contemplamur, alterum, quod eſt in actione, duos item fines ſortitam eſſe. quando enim philoſophiam mortis meditationem dicimus, illam ex fine, qui in actione eſt, definimus: cum rerũ, quia ſint, cognitioné, ex eo fine explicamus, qui cognitione comprehenditur: cum vero Dei ſimilitudinem, quantum natura humana ferat, definitio ex vtriſque fit. Medicina, quæ miſta eſt, quando ex contemplatione tantummodo definitur, ſcientia dicitur, quæ in corporibus humanis verſatur: quam ſanè definitionem ex ſubiecto non iniuria ſumi dicemus: quando autem ex eo, ad quod pertinet contemplatio, valetudinem efficiẽs dicitur, ex fine definietur. At Philoſophia, cum ſolum contemplationem habeat, (nam ob id ſolum inſtituitur, vt rerum cognitio habeatur) aliam ex ſubiecto, aliam ex fine definitionem ſuſcipere nequaquam poteſt; nam cognitio aliquorum cognitio eſt. at quoniam cognitionis, & aliquorum cognitionis eadem compreheſio eſt: ſiue ex ſubiecto quiſpiam dixerit definitionem, ſiue ex fine, non errabit; erit tamen potius ex vtriſque. Sed nos fortaſsis ad aliarũ definitionũ diſtinctioné, eius videlicet, quæ dicebat, ſimilitudiné Dei, quoad eius ab hoie fieri poſſet, quę i quib. ſimilitudo eſſet, nõ determinabat, & illius, quæ mortis meditationé dicebat eſſe, has definitiones ſumi ex ſubiecto cõfeſsi ſumus. Quinta definitio ea eſt, quã Ariſtoteles, ꝑpter philoſophiæ ad reliquas tum artes, tum ſcientias excellentiam, ſic tradidit: Philoſophia artiũ ars eſt, ſcientiarumque ſciẽtia: cuius certe vis tale quippiam valet. Cognitiones tum artibus, tũ ſcientiis conueniunt: artes vero ipſæ, ſcientiæque nihil inter ſe rationibus differunt: cuiuſque enim artis rationes per ſe ipſas non variantur: at materiæ ratione diſtinguuntur: quippe cum ſciẽtia, vt Aſtronomia, Geometria, & Arithmetice in iis exiſtant, quæ ſemper eadem ſunt: artes vero in iis, quæ plerunque immutantur. Quibus quidem fit rebus, vt Geometricæ rationes mutari non queant, vt ex hoc planum, atque apertum eſt. In omni circulo à medio ad circuitum omnia interualla æqualiter diſtant. hoc enim ſemper eodem ſe habet modo. Medicinæ vero rationes mutantur, vt cum dicimus. Contraria ſunt contrariis medicamina: id quod fit, quoniã Medicina non ſemper in eodẽ exiſtit: ac primũ propterea ꝙ omnib. morbis remedium non inuenitur: quid ſi quiſpiam mortifero morbo vrgeretur? Præterea morbi non ſemper cõtrariis, ſed plerunque ſimilibus curantur: vt in iis, quæ accidunt, vſu venit: nam ſæpe aqua gelida affuſa natiuũ calorem debilitatum reuocauit. Philoſophia igitur omnibus & artibus, & ſcientiis principia dedit: vt Geometriæ vniuerſas rationes: inueſtigare enim vniuerſa, philoſophorum eſt. Geometres etiam punctum ait eſſe, quod magnitudinem nullam habet, & magnitudinis ſectionem infinitam facit: atque iis principiis vtitur ſine demonſtratione. Sed hæc philoſophus ſic probat: Omne terminans terminato vna dimenſione minus eſt: corpus trib. præditum dimenſionibus, latitudine, longitudine, & altitudine, à ſuperficie circunſcribitur: quæ duabus dimenſionibus, longitudine, & latitudine conſtat: nõ enim habet altitudinem: qua minor corpore exiſtit. extremitas item, cui duo interualla ſunt, longitudo ſcilicet, & latitudo, à linea finitur: quæ in ſolam longitudinem extenditur, quæ itidem à pũcto terminatur, at punctum cum magnitudinem nullam habeat, nulla alia terminatione concludetur: omne igitur terminans terminato vna dimenſione minus eſt. omnem deinde magnitudinem infinitam diuiſionem admittere, ſic philoſophus demonſtrabit. Sectio omnis fit ex punctis, ex quorum cõcurſione nullum corpus efficitur, aut componitur: corpus igitur per puncta diſtinctum tribus dimenſionibus conſtabit. Diuiſio enim nihil aufert à corpore, pręter magnitudinem quantitatis: non tollit autem à corpore, quin tres dimenſiones non habeat. Corporis igitur ratio ſectionem interminatam ſuſcipit: quod ſi minus fieri poſſe propter ingentem nobis imbecillitatem videbitur, id tamen ob eam cauſam non erit tollendum. Philoſophia medicinæ quoque quatuor elementa impertitur: cum enim Philoſophi quatuor elementa demonſtrarint eſſe, idque Medici comprobarent, tot etiam ad ortum corporum, & vulgatis illis quidem, ſed non pluribus, aut paucioribus opus eſſe falſi ſunt: ex quibus elementis quatuor humores oriri aiunt, quos ab illis elemẽtis remotis proportione quadam trahi affirmãt. Rhetorices quoque principia à philoſophia ducũtur: quandoquidem orator accipit exemplum, & enthymema: quæ inductioni, ratiocinationique comparantur. Vt enim ratiocinatio vera eſt, cum habet neceſsitaté ſua vi & per ſe, ita quoque enthymema verũ erit, quod vna propoſitione à ratiocinatione ſuperatur: quamobrem ratiocinationis etiam imperfectæ nomen ſortitur. Ratiocinatio inquam oratio eſt, in qua poſitis quibuſdam aliud quiddam, quàm quæ poſita ſunt, ex iis ipſis, quæ poſita ſint, neceſſario efficitur. Pari etiam ratione Exemplum Inductioni reſpondebit. Quemadmodum enim Inductio plerunque vera eſt, ac veriſimilis, ſemper tamen vera non eſt: ita quoque eſt Exemplum, quanquam differũt inter ſe, quoniam Inductio oratio eſt, in qua ex ſingulis vniuerſa probantur: vt Rhetorica ars, iuriſque ciuilis ſcientia, ac cæteræ artes vtiles vitę ſunt: Medicina igitur, quia ars eſt, vitę vtilitatem afferet.

At exem-

At exemplum est, quod ex singulis singula confirmat, & ab illis sumit argumenta: nam est is locus de argumentis inueniēdis ab Aristotele in Topicis tractatus uberrime: nihilq; ab eo omnino est omissum, quod pertineret ad omnem rationem dicendi. Perspicuum igitur est, rhetoricen à philosophia principia sumpsisse. Orator præterea æquitatem, honestatem, atque utilitatem ad suum usum adhibet, quamuis quomodo, & quando æquitatis habenda sit ratio, & eadem'ne cum utilitate sit, nesciat. incidunt enim sæpe tempora, cum iustum ubique ab utili non discrepare existimēt, alias uero ea disiungant, & contraria faciant: talia autē esse ostensum est ea, quæ uicissim retro cōmeant. At ipsa quoq; Grammatice ad philosophiam refertur: nam in sonis, temporibusque uersatur: ex quo efficitur, ut sub Musica, quæ philosophiæ pars est, cōstituta sit. Sed nec solum artes, quę in ratione uersantur, atque sciētias, uerum etiam sordidas philosophia uti compertum est: nam ædificator perpendiculo utitur, ut an rectus sit paries, discernat. sed quid perpendiculum sit, nescit. at philosophus hanc huiusce rei rationem reddet. Omnia grauia suapte natura ad imum tendūt: unde ex omni parte grauia ad pares angulos deorsum feruntur: Recti anguli nunquam aliquò declinant: Faber itē tignarius, ut ligna recta efficiat, rubrica utitur: sed quæ rectæ lineæ natura sit, ignorat: Geometra uero, cuius partes à philosophia sunt ductæ, Rectam esse lineā dicet, quæ ęqualiter inter sua puncta constituatur. Ad summā omnes artes, quæ habent initium, id à philosophia nactæ sunt. Est igitur Philosophia artium ars, & scientiarū scientia. Pythagoras ea porrò definitione Philosophiam explicauit, ut esse illam sapientiæ studium affirmauerit. hic primus cum ueterum erroribus obuiam ire niteretur, & ab illis eū, qui quauis arte esset instructus, sapiētem nominari audiret, inter quos numerari Archilochus potest, cum dicat:

Rectum tridentem nauta sapiens collocat.

& Poeta: nam ita ipse quoque scriptum reliquit:

Postquam sapiens faber ordine fecit. Et,

Palladis admonitus nouit sapientis Vlysses hoc Deo cognomen attribuit: quem solum sapientem appellari deceat: utpote qui sapiētiam habeat, & rerum cognitionem sempiternam. Cum præterea nonnulli de Grāmatica, deq; Rhetorica, nonnulli etiam de naturalibus rebus quærere cœpissent: alii uero cōtra, ad alia se contulissent: eos, qui naturalem cōtemplationem exercerent, Philosophos uocari uoluit: quasi amatores sapientis, quem Deum dūtaxat appellari censuit: eorum uero cognitionem communi nomine Philosophiā uocauit, hæc Pythagoras. Multæ præterea sunt philosophiæ definitiones, sed his cōtenti simus. At quoniam res omnis uel diuiditur, uel diuidi non potest: utrum philosophia diuidat ut nec'ne, necessario dicendum uidetur. Sed antequam ad hanc disquisitionem aggrediamur, diuisionis, cōdiuisionis, & subdiuisionis uim, & naturā considerabimus: is enim qui satis cōmode uelit de diuisione differere, quid earum unaquęque sit, diligenter exponat oportet. Diuisio igitur est sectio rei ex prima notione. Cōdiuisio ex secunda notione rei partitio est. ut cum animal ex prima notione in rationis particeps, & expers diducimus, appellatur diuisio: cum uero ex secunda, in supracœleste, & terrenum, mortaleue, aut immortale distribuitur, condiuisio fit: sed hæ inter se ordine solum differunt. Subdiuisio est, partis illius rei, quæ iam diuisa est, speciei uidelicet sectio. (speciem nunc intellectam nolo, quę & genus & species esse potest, si ad aliud, & aliud cōparetur.) ut supracœlestis aliud fixum est, errans aliud. nam supracœleste animalis species est, quod in fixum uagumque subdiuisimus ita, ut fixi, & uagi genus existat. Ac de iis quidem satis in præsentia dictū uidetur: nūc deinceps de philosophię diuisione differemus. Philosophia, ut paulo altius ordiar, à nonnullis in duas, a plerisq; in partes treis est distributa. Ex iis, qui eam tripartitā esse dicūt, unam in Cōtemplatione, alterā in Actione, tertiam in Ratione uersari dixerūt: quod utrum bene habeat, non incommodum uidetur exponere. Ac primum sciendum illud est, pro diuisionis ueritate, diuina principem locū obtinere: nam, rerum omnium principium est diuinitas. Id quod in causa fuit, ut ueteres eam diuinarum rerum rationem apposuerint. At naturale, quātum ad nos attinet, primum est, quoniam ea, quæ animo cernuntur, & ratione intelligūtur, à nobis percipi nō queunt prius, quàm cognita habeamus ea, quæ cerni, tangiue possunt: sed re uera extremum, atque ultimum est. extrema enim substantia est, quæ materiata est, & idcirco extremum locum est sortita. Mathematicum, quod nōnulli pręposuerunt ei, quod in ratione uersatur, eam ob rem mediū sibi uendicauit: quòd ab ipsa natura in medio sit ordine cōstitutum: uel quemadmodum uoluit Plato, ut formas, quæ insitæ, & iam in animis nostris consignatæ sunt, agnosceremus, & innatas nobis singularum rerum, quas contemplati sumus, notiones mathematicis demonstrationibus tanquā via quadam, & scalis utētes, recordaremur. Qui autem ab Aristotele profecti sunt, ea de causa mathematico medium locum attribuēre, ut consuetudine oculorum assuesceret animus ab ea substantia, quæ materiam haberet, illam cognoscere, quæ intelligentia tantum, & ratione comprehenditur: quæ nō est aspectabilis illa quidem, sed maiori, & uehementiori essentia, atque vi prędita est, quàm si oculis cerneretur. Ex hoc euenit, ut lineam, in materia discamus, nō quo ipsam materiā, aut ceram, aut æs cognoscamus, sed ut eam à materia seuocantes, atque in mentem adducētes, uehementiorem ipsius uim & naturam consideremus. Omnē uero figuram ueluti lineam, & triangulum nihil cum cera cōmune habere, propterea quod in ea inhæreat, per se clarum est, atque apertum: nam si à trianguli figura latus adimatur, mutabitur, cera tamē mutationis immunis remanebit: utraque sane mutarentur, si natura esset utrisque cōmunis. Philosophia igitur, ut dictum iam est nobis, cum in eam diuiditur, quæ in actione uersatur, tum in eam, quæ in contemplatione consistit. Existit autem hoc loco quædam quæstio, quid causæ sit, cur in hæc, & cur bifariam Philosophia distribuatur. Diuisio pauciores in partes fieri nō potuit, cum unū in unū nō secetur: sed quare in plures partita non sit, duas rationes afferemus. Cum Philosophiam homini cū Deo similitudinem, quantum eius rei capax homo sit, definierimus, duplicesque Dei actiones existāt, una Cognitionis, qua cuncta cognoscit, altera Prouidētiæ, qua inferiora gubernat omnia: Phisophia iure in Contemplationem, & Actionem est distributa: nam contemplationis auxilio ea, quæ sunt, cognoscimus, actionis uero, inferiora disponimus: atque eo pacto nos Deo similes præstamus. Altera ratio affertur hoc modo: Animæ nostræ duæ sunt actiones, altera vim habet cognoscendi, ut mens, ratio, sensus, opinio, & cogitatio: altera uitalis est, ac libidinū æstu fluctuans, quæ est in uoluntate, electione, ira, & desiderio constituta. Cum igitur philosophus omnes animi partes ornare, ac perficere uelit, cumque ex contemplatione cognitionis uirtus, ex actione uitalis perficiatur, nō ab re philosophiam in contemplationem, & actionem diducit. Præterea eius philosophiæ, quæ in cōtemplatione uersatur, triplex est ratio: una de Diuinis, altera de Mathematicis, tertia de Naturalibus: neque id immerito, quandoquidem omnia spectare philosophus cupit. Sed eorum quæ sunt, triplex ordo est. ex rebus aliæ omnino materia carēt, & se pulcherrime sustentant, per seque intelliguntur, eiusmodi sunt Diuinæ: aliæ nunquam separari a materia, nec per se constare, intelligi'ue possunt, ut Naturales, ac species, quæ materiam adiunctam habeant, euiusmodi sunt lignum, os, caro, & simplicia corpora: quæ etiam naturalia dicūtur, propterea quod à natura proxime producuntur: Mathematica uero, quæ & separabilia, & non separabilia sunt, Intermedia uocātur: circulus enim, triangulaque, & reliqua generis eiusdem per se sine materia cohærere non possunt: quod in causa est, ut à materia non secludantur. Veruntamen cum ligneum, æneumue, aut lapideum circulū, atque triangulum inspexerimus, eorum formam à materia semotam animo comprehendemus non secus, ac cera facit, quæ non materiem, sed formam trahit, cum à sigillo imprimitur. Dicentur ergo à materia segregari, cum eam nos de illis opinionem conceperimus. Igitur cum ex iis, quæ sunt, alia omnino separentur, alia penitus non seiungantur, alia

tum ſeiunguntur, tum à materia nihil ſemouentur, merito philoſophiam, quæ in contemplatione eſt, in Diuinam, Naturalem, & Mathematicam philoſophi diſpertiunt: à materia enim ſecreta, diuinis, quæ in materia innixa ſunt, naturalibus, iis intermedia, mathematicis tribuuntur. Quibus materia eſt adiuncta ab eadem nō ſeparari definitio nobis declarat: at Mathematica ſeiunguntur, ut ex illorum definitione perſpicimus. nam in circuli definitione, quæ nobis poſita ſit huiuſmodi, Circulus plana forma eſt, quę ab una linea efficitur, cuius omnis extremitas paribus à medio lineis rectis attingitur, nulla materia ſumitur. At ſi domum definire uoluerimus, eam à materia ſecludere nihil eſt, cur putem poſſe. dicemus enim ad hunc modum, Domus eſt operculum, quod ex lapidibus, & lignis conſtructum uentorum, imbrium, caloriſque iniurias, atque incōmoda propulſat. Nam ſi materiam nō adhibuerimus, nec ſcenā, nec integumentum aliquod effectum intelligemus. Mathematicum iure in medio collocatur, quoniam à naturalibus ad diuina nullo medio interiecto nequimus cōſcendere: atq; etiam propterea quòd ab iis, quæ nullo modo à materia ſeiungi poſſunt, ad ea, quæ prorſus ſeiuncta ſunt, mathematicorum ope, quæ tum ſecreta ſunt, tum non ſunt, proficiſcimur. Ex eo enim mathematica dicuntur, ut cum ea didicerimus, beneficio illius partis, quæ ex ipſis corpore uacat, nos diuinis aſſuefaciamus. Diuinus quoque Plotinus mathematicas diſciplinas adoleſcentibus tradendas eſſe cenſet, ut ſeipſos naturæ, quæ corporis expers eſt, aſſuetos reddant: quoniam ſi eos ſtatim à naturalibus ad diuina traducere uoluerimus, cæcos faciemus. Quēadmodum autem ſi quis ex domo maxime tenebricoſa in ſplendidiſsimā exire uoluerit, in ea prius morari debet, in qua mediocre lumen ſit, in lucidiſsimam poſtea deuenire: ita etiam iuuenes, antequam à naturalibus ad diuina ducantur, in mathematicis, quæ ad illa tanquam gradus, & ſcalæ ſunt, ut qua à materia non ſeparantur, naturalibus, qua uero ſemouentur, diuinis coniungantur, neceſſe eſt exerceri. Naturaliū præterea, Diuinarumq́ue rerum cognitio nonnullas ſuſcipit diuiſiones, quas, quoniam ad huius libri inſtitutum nihil pertinent, ſilentio inuoluemus. Mathematicæ uero diſciplinæ quatuor ſunt partes, Geometria, Aſtronomia, Muſice, atque Arithmetice. Arithmetice numerum conſiderat: diuinæ quippe ſunt arithmeticę contemplationes: non tamen illum numerum, quo idiotæ dinumerant, ſed ipſam numerorum ſpeciem diuinam appello: ut cum inquirimus, quam'nam habeat rationem ſenarius ad ternariū, aut nonarius ad ſenariū: non'ne ille duplam, hic ſeſquialterā? Ortū inſuper numerorū, paris uidelicet, impariſq;, & impariter paris, & huiuſcemodi contēplatur. Geometria magnitudines, ac figuras conſiderat. Muſice profecto nihil præter chordarum cōcentū ſpeculatur: quoſdam etiā inſtituit cantus, qui affectiones animi leniant, ipſumq́ue ad uirtutem dirigant: quod quidem ita eſſe, muſices interualla iam cadentia nobis declarant: cum tubam audimus, animo ſtatim uehementius concitamur, reddimurq́ue audaciores: id quod etiam in cauſa eſt, ut ea utantur milites, cum prælīū ineunt. At ſi illum dulcem ſonum, qui in theatro efficitur, audiuerimus, ita cōplebit aures noſtras, ut quaſi ſoluto animo deficiamus. Pythagorā, cum adoleſcentulum quēdam uideret, qui tibicinam quādam cantilenā mollē modulantem comitabatur, iuſsiſſe, eam inuerſa tibia canere: ſicq́ue iuuenis libidinem cohibuiſſe, literis, monimentiſque proditum eſt. Ex quibus rebus efficitur, ut iis, quæ de muſices diuinitate ſunt nobis dicta, adhiberi fides poſsit. Quapropter diuinus Plato iuuenes ad muſicen, exercitationemq; hortabatur, ut animum muſica, corpus exercitatione ornarent. Aſtronomia in motibus, & conuenienti, conſtantique conuerſione ſtellarum uerſatur. Nunc quam ob cauſam mathematicæ ſciētiæ nec in plures, nec in pauciores, quàm in quatuor partes poſsint diſtribui, dicendum eſt. Mathematicum in Quanto uerſari nemini dubium ſit: Quāti altera pars Cōiuncta eſt, Deiuncta altera. Harum utraque dupliciter diuiditur: Coniuncta in eam, quæ mobilis, & eam, quæ immobilis eſt. Mobilis etiam uel ſemper, uel ad quoddam tēpus mouetur. Deiuncta diſtinguitur in eam, quæ eſt per ſe, & in eam, quæ ex iis eſt, quæ ſub eandem rationem cadunt. Coniunctum quantū, quod non mouetur eſt Terra: in qua Geometria uerſatur. Erit igitur Geometria quanti cōiuncti poſitura immobilis cognitio. Illud uero, quod ſemper mouetur, Cęlum eſt: in quo Aſtronomia conſiſtit. Aſtronomia igitur cognitio eſt quanti coniuncti, quod ſemper mouetur. Itaq; aſtronomia, & geometria in cōiuncto quāto uerſantur. Coniunctū id eſt, cuius partes ad certū communem terminum omnes pertinēt. Ex partibus quāti diſiuncti aliam per ſe, aliam ex iis eſſe diximus, quæ cū aliquo cōferuntur. Quantum per ſe deiunctum numerus eſt, quando ipſum per ſe par'ne ex paribus, an par ex imparibus ſit, & nō fortuito ad alterius comparationem, ut in muſica ſit, conſideramus. numerus igitur in eo ipſo quod per ſe conſideratur, in hoc quanto diſiuncto uerſatur. Ergo Arithmetice quanti per ſe deiuncti cognitio eſt. Quantum deiunctum, quod cum aliquo comparetur, eſt mutua relatio ſonorū, in quibus efficitur harmonia, quæ ex numeris dignoſcitur, & in qua Muſice exiſtit: Muſice igitur cognitio eſt quanti per ſe diſiuncti, quod cum alio relationem habeat. Perſpicuum igitur eſt, muſicen, arithmeticenq́ue in quanto ſeparato uerſari. Deiunctum eſt, cuius partes conſideratæ per ſeſe conuenire ſimul nō poſſunt. Quot igitur, quibus'ue modis philoſophię, cuius opus eſt in contemplando, genus conſideretur, quemq́ue finem ſpectet, ex iis, quæ diximus, conſtat. Reliquum eſt, ut de ea, quæ in rerum actione cernitur, uerba faciamus, quæ ſanè prius diſtinguenda eſt. Hæc igitur philoſophia eſt omnis diuiſa in parteis treis. quarum una moralis eſt, alia in rei familiaris ratione, tertia in reipub. bene gerendæ prudentia continetur. Quicunque igitur rectè quid fecerit, is aut ſibi id fecerit, ſuoſq́ue mores ornauerit, ac Moralis dicetur: aut domeſticos iſtruxerit, & Rei familiaris peritus uocari poterit: aut ciuitatem uniuerſam ſingularibus ſuis ſtudiis ornauerit, & Ciuilis appellabitur. Quidam tamē moralem, & familiarium rerum peritum ad ciuilem reducūt, hac opinione adducti: aiūt enim, Siquis ciuitatem præceptis, inſtitutiſque bonis imbuerit, poſſe facilius ſeſe, domumq́ue ſuam bonis moribus informare: huicq́ue philoſophiæ parti, cuius omne opus eſt in faciendo, atque agēdo, Ciuilem tantum ſubiiciūt: quibus ſic eſſe reſponſum uolo, pleroſq;, qui inanem aucupantur rumorem, umbraſq́ue falſæ gloriæ conſectantur, ciuitatem inſtituere, ciuiumq́ue mores conformare illos quidem, ſed ſe, ſuoſque domeſticos flocci facere: ita ſit, ut hæc philoſophiæ pars in tres ſeiunctas partes, quarum unaquæque in iudicandi, legumq́ue ferendarum rationem diſtinguitur, ſit diſtributa. Ciuilis enim philoſophus & leges fert, quibus ciues inſtituti recte uiuāt: & iudicat ita, ut ſupplicio improbos afficiat, & defendat, ac tueatur bonos. Illud tamen ſcire oportet, idem inueniri in eo, qui rei familiaris peritus ſit, quod i ciuili dicebamus: nam is quoq; ſuis leges ſancit, & ſeruos, filioſq; cōtumaces plectit. Hæc non modo in iis duobus, ſed etiam in tertio, quem Moralem nominari diximus, conſpiciuntur: nam is itidem ſibi conſtituit leges, cum ait,

— aſſueſce his addere fræna:
In primis uentri, dein ſomno, mox Veneriq;.

Præterea Iſocrates, cum mouet, ut Deum timeamus, ac pie, ſanctéque colamus, parentes honore proſequamur, & amicos diligamus, morales leges deſcribit. Sed moralis his uerbis ſeſe diiudicat, atque examinat diligenter:

Ne teneris patere ante oculis obrepere ſomnum,
Singula quàm repetas operis ter geſta diurni:
Quò ueni, quidúe egi, aut quod deceat, quid omiſi.
Sic à principio percurras omnia, quæque
Comperies praue acta, dole, lætaris honeſtis.

De rei familiaris perito, Ciuilique dicemus, ſi nobis datus erit locus, ubi opportune de eis loqui poſsimus: nunc pauca erunt de ea philoſophiæ parte, qua mores conformari putantur, nobis dicenda: ac primum quid Mos ipſe ſit, aperiemus. Mos eſt hominis ornamentum: Ornamentum eſt uniuſcuiuſque perfectio, quæ ſtudio fugiendi eius, quod ſit

perfic,

persit, quodque desit, acquiritur: si quippiam uero absit, aut redundarit, uitium est. Verum si quis eum turpem esse dixerit, qui membris aliquibus, utpote manibus, aut pedibus careat: illum eodem modo turpem dicet, qui pluribus, quàm opus sit, abundarit: ut legere est apud Apollonium de gigantibus, quos poeta ille sex digitos, totidemque manus habere fingit. turpitudo igitur est, uel cum quid redundat, uel deest. Igitur Perfectio est moderatio inter nimium & parũ, quæ Imperfectiones sunt. Perfectio imperfectioni contraria est: cõtraria contrariorũ obseruatione corriguntur. Quid igitur Philosophia sit, quæque illius partes sint, palàm fecimus: tota enim Philosophia diuina est, atque expetenda, cuius est magna laus Platonis memoria, & literis consecrata: Hoc (inquit) bono nullum optabilius, nullũ præstantius, neq; datum est mortalium generi deorum concessu, atque munere, neq; dabitur. Hæc summatim de Philosophia dicta sint: deinceps, quæ ad librum hunc pertinent, dicemus. Nam Philosophiam rerum omnium, quia sint, cognitionem esse diximus. Itaque philosophi operam dederunt, ut exploratũ haberent, quonam pacto cognoscerent omnia: cumque singulas res oriri, interireq; uidissent, & ob eam causam incognitas esse, atque infinitas, & scientiam esse sempiternorum, finitorumque cognitionem, idque quod esset discendum, à cognitione comprehendi debere, & infinitum incomprehensum, se ad uniuersas, quæ & perpetuæ, & definitæ sunt, transtulerunt. Scientiam enim sic dictam Plato affirmat, quòd ad quendam nos rerum statum, ac metam perducat. Ergo cur à singulis ad uniuersa se receperint, quærendum uidetur. A singulis enim hominibus ad uniuersalem hominẽ confugerunt: quoniam philosophis non singulos homines numero percurrere, sed hominis tantum naturam, Hominem uidelicet animal esse mortale, rationis particeps, inuestigare propositum est. Id qui nouerit, omnes homines, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, cognoscet. Sic igitur à singulis hominibus ad quandam hominis communitatem se eduxerunt. A singulis item equis, ad quandam equi cõmunionem, indicantes Equũ animal esse quadrupes aptum ad hinnitum, sese conuerterũt. Non enim omnes singillatim equos, flauus'ne hic sit, maculosus ille, sed equum uniuerse contemplari philosophus uult. Vniuersa semper eodem modo, nec nũc aliter, paulopost uarie, prout singularia, se habent: alia enim maculosi equi, alia flaui natura est, quẽadmodum etiam Platonis, & Alcibiadis. Vĩsx equus, & uniuersalis homo simili semp modo sunt. Ois enim equus est animal quadrupes hinniens: ois etiã homo animal est rationis cõpos, mortale. Idẽ de cane, & alia quauis animalis specie dicendum est. Cum igitur has formas, & quæ iis conclusa sunt, humana cõsideratione nec percipi, nec circunscribi posse animaduerterent, (nihil sanè mirum uideri debet, si multa animalia scientiã fugiant nostram) ad quandam animalis communitatem reliqua omnia singulatim continentem deuenerunt. Atqui Homo, Equus, Canis, & reliqua generis eiusdem, quatenus animalia sunt, nihil differunt: eo quòd omnia hæc naturam animatã, sensusque participem habeant. Qui igitur, quid Animal sit, perspectum habuerit, omnia animalia cognoscet. Præterea ab hac Ficu pariter, Platano, atque Vite sese ad uniuersalem ficum, platanum, uitemque cõtraxerunt: de reliquis plantis eodem modo. Hæc rursus, aliaque sub plantam comune genus adduxerunt, quæ singulas plantas contineret. Duas igitur communitates animalis, & plantæ habent. Animal præterea, plantamque sub animato constituerunt: Planta quidem anima prædita est, quoniam augetur, atque nutritur, ac similem generat sui. Sed quoniam inanimatum animato aduersatur, Inanimatum est, quod anima caret, ut lapis, lignum, iisq; similia, infinita enim singularia sunt: à singulis lapidibus, & à singulis lignis ad uniuersum lapidem, & lignum transtulerunt, & ab uniuerso ligno, ac lapide ad commune genus inanimatum, quod hæc utraque complecteretur, contraxerunt: Duas igitur communitates animatum, & inanimatum habebant. Hæc rursus ad corpus commune genus, quod tribus interuallis undiq; præditum est, referuntur: nam lapis, ligna, homo tres dimensiones habent: item angelos, animasque, & iis similia sub communitatem quandam eius, quod caret corpore, quod corporeo contrarium est, redegerunt. hoc enim tres dimensiones undique pares habet, at hoc & mensura, & partibus omnino uacat. Inuestigarũt igitur quid esset genus utriusq; cõmune, ac Substantiam esse inuenerunt: nam & corpus, & non corpus, ut anima, angelus, Deus, substantia est. Hæc igitur substantiæ communi generi subiecere, præsertim cum substantia rem significet, quæ se sustentet. Hæc tamen ex contrariis cognita nobis fiunt: nonnullæ quidem res sunt, quæ per se constare nequaquam possunt, sed id sibi est natura comparatum, ut in aliis sint, ueluti candor, dulcedo, nigror, & huiusmodi, quæ aduentitia uocantur: hæc enim per sese constare non queunt: uerum candor aut in cerussa, aut lacte est, quæ corpora sunt. Quæcunq; igitur suis ipsorum uiribus cõstiterint, neque alterius cuiusquam indigeant, ut homines, animæ, lapides, Substantiæ dicentur: eaq; omnia, ut dictum nobis est, ad substantiam referuntur. Num igitur omnia, quæ sunt, à sola substantia cõtinentur? cum rerum omnium cognitionem se philosophus habere profiteatur? Non sanè. Verũ restabãt duo, decem, atque uiginti, quæ sub numerum commune genus adduxerunt. Magnum item aliquod, & paruum inuenere, quæ cohærentia nominarunt, & quoniam numerum, & cohærentem illam, & continuatam naturam in eo, quod Quanta sint, inter se communicari uiderunt (utrunque enim quantum est) sub uniuersali quanto constituerunt. Duas igitur communitates Substantiam, & Quãtum habebant, quæ multas res complecterẽtur. Erat insuper id, quod candidum est, & multi singillatim candores: nam candor in cerussa est, niueque, & olore. quæ omnia albo absolute subiecerunt. Simili quoque modo nigrum, & fuluum colori subiecta esse uoluerunt. Erant præterea dulcitudo, amaritudo, itemque calor, & frigus, quæ sub Quale, quod omnibus cõmune genus est, posuerunt. Quale est, ex quo ea, in quibus inest, Qualia nominantur, ut candidum corpus, quod candore præstet. Dextrum præterea, sinistrumque, duplum, & dimidium supererant, quæ sub commune genus eorum constituerunt, quorũ vis omnis, & natura alterius esse dicitur, uel quæ quoquo modo ad alterum referuntur. Item in Lyceo esse, in foroque, atque iis consimilia uidebant, quæ sub ipsorum commune genus Vbi, quod locum significat, contraxerunt. Erant etiam heri, hodie, cras, quæ sub Quando tempus significans retulere. Supererãt, iacere, stare, sedere, quæ sub Situm esse, quod talem corporis statum significat, collocarunt. Vestitũ esse, atque armatum esse, & annulum gestare conspiciebant, quæ sub Habitum posuerũt, quod est substantiæ ad substantiã adiunctio. Reliqua adhuc erant uerberare, calefacere, & frigidum reddere, quæ sunt sub Actionem relata. Postremo uidebat superesse uerberari, uexari, quæ sub Affectionem, quæ immutationem significat, collocarũt. Agere enim in aliquid agere est. Hæc igitur decem genera, Substantiam, Quãtum, Quale, Quæ cum aliquo comparantur, Vbi, Quãdo, Situm esse, Habere, Agere, ac Pati habebãt, sub quibus omnia, quæcunque essent, continebantur. Decem itaque genera Categoriæ dicta sunt, quòd de iis, quæ sub se essent, dicãtur. Aristoteles ergo de decẽ iis generibus scripserat, & harũ quinq; uocum Generis, Speciei, Differẽtiæ, Proprii, & Accidentis meminerat, quarum usus nobis erat incognitus: philosophus Porphyrius uiri boni munere functus hunc libellum composuit, in quo nos docet, quid quæque illarũ significet: ut cum hæc didicerimus, cõmodius quæ ab Aristotele de summis decẽ generibus tradita sunt, percipiamus. Hoc igitur est, quod Porphyrio propositum erat. Librum INTRODVCTIONEM inscripsit, quoniã est uia ad omnem philosophiã. Nam decem suprema genera, ante quę huiusmodi institutio etiam collocanda est, omnes libros, qui de philosophia compositi sunt, præcedunt. nam ut philosophi omnia, quæ sunt, sub decem communitatibus constituerunt, & nihil penitus existat, quod sub has adductum non sit: ita quoque Grammatici de quinque uocibus fecerunt. Cum enim uocum infinitionem consequi non possent, nonnullas uoces ad quandam Nominis cõmunitatem, & alias ad Verbi, retulerunt: & sic octo orationis partes sibi compararunt. Eũdem secutus ordinem Porphyrius, omnem uocem, quæ significaret, præter indiuidua, quæ ipsa quoque significant, ad quinque uoces reduxit, sub quas omnes, quæ significant, reducuntur. In quot igitur, quasue parteis unaquæque philosophiæ pars diuida-

tur, & quem finem habeat, demonstratum est: nunc ea, quæ cum omnium philosophorum libros incipimus, prædicenda sunt, operæpretium est præfari: ea hæc sunt, quid libro propositum sit, quam utilitatem afferat, sit'ne legitimus, ordo, inscriptionis causa, capitum diuisio, docẽdi genus, & quam ad partem philosophiæ referatur. Hęc ita prædici solent, non ut aliud quicquam magis excogitatum sit, quàm in aliis artibus, sed ut promptiores lectores reddantur. Nam libri argumentum ignoratum in causa est, ut lector remoretur, & in medio quasi cursu desistat, & æque patiatur, atq; illi, qui, quò nadãt, nesciunt: id quod in causa est, ut argumentũ exponatur. At si quis tantũmodo argumentũ cognouerit, nihil est, cur promptius ipsum opus aggrediatur, si non didicerit, quid utilitatis inde percepturus sit: ea re fit, ut iure declaretur utilitas. Verũ cũ hęc duo cõperta habuerimus, nihil utile fore credemus, nisi prius habeamus exploratum librũ à quodã ex ueteribus scriptum fuisse, quẽ probatum esse sciamus, quales Plato, & Aristoteles extitere, à quibus nihil, nisi fructu refertum dictũ est: ita fit, ut num liber legitimus sit, aperiamus. Ex horũ cognitione oritur de ordine dubitatio, priore'ne in loco, an posteriore collocandus sit: quibus quidem fit rebus, ut de ordine disseratur. Indicamus præterea inscriptionem, quoniam breui quodam modo libri argumentum continere uideatur. Denique declaramus, ad quam philosophiæ partem nos ducat: ut ubi cõferat, constet inter omnes. Cum igitur explanauerimus, qua ratione moti philosophi hęc pręfentur, occasio nobis suadet, ut ea quoque nunc referamus. Itaque Porphyrio propositum est, de quibusdam quinq; uocibus disserere, quibus omnia quæ sunt, continẽtur: sunt enim hæ, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Hic liber ad Philosophiam uniuersam utilis est, cum nos doceat, quæ per se formis adsint, quæ causæ sunt, ut ipsę cõsistant. nam ex eo, propter quod causæ consistant, demõstrationes sumimus. Demõstrationem igitur docet, cuius ope totius philosophiæ finem cognoscimus. Legitimum esse Porphyrii librum clarum est tum ex ipsa elocutione, tum quia sæpissime alibi de iis, quæ in hoc libro præcepta tradidit, mentionẽ fecit. Chrysaorium affatur, in cuius nomine multi etiam Porphyrii libri præter hũc apparuerunt, hocque huiusce rei in causa est: Porphyrius Chrysaorium docebat, cumq́ue ei mathematica declararet, rogauit is Porphyrium, ut de Aetneo igne componeret historiam: tum Porphyrius profectus est. Forte inciderunt in Chrysaorii manus summa decem genera ab Aristotele conscripta, quæ cum legens non intelligeret, ea de re Porphyrium absentem statim certiorem fecit, rogauitq;, ut si ignis historiam perfecisset, ad se reueniret: sin minus, aliquid rescriberet, cuius ope librum Aristotelis intelligeret. Gessit ei morem Porphyrius, & hunc libellum ei rescripsit. A Platone enim hęc fermè omnia excerpsit, eademq́ue penè uerba usurpauit: ex quo planum est, ueteris autoris esse proprium. In ordine principem obtinet locum, quippe qui nos ad decem Aristotelis genera introducit, in quibus de simplicibus uocibus agitur, quæ sunt logicæ facultatis initia. Ordinis igitur ratione primus liber logices est: hęcq́ue de ordine sufficiant. Introductio inscribitur, qua in re nonnulli quærunt, cur infinite sit inscriptus Introductio: ambigitur enim grammatices'ne sit, an rhetorices, an logices. Quibus responsum uolumus, solere nos res excellentiores infinite significare, ut Homerus propter excellentiam commune poëtarum nomen efficit apud Græcos suum. Quid igitur obstat, quo minus liceat ei, qui philosophiam significare uult, non definite dicere? Præterea introductio uel artis, uel sciẽtię sine dubio est introductio, & philosophia est ars artium, & scientia scientiarũ: quonam igitur pacto satis conuenienter poterat is, qui nos in illam introducturus erat, quæ nobis ad cæteras oẽs artes aditum patefacit, si uera eius definitio est, unius tãtum artis introductionem librum inscripsisse? quare de hoc satis. Hic liber est totus diuisus in partes tres: in una, de ipsis quinque uocibus agit: In alia easdem dupliciter comparat, & quid illis commune sit, quidque proprium, declarat: quid uidelicet Generi, quid Speciei, quidque Proprio, nec non Differentiæ, & Accidenti commune sit: In tertia quid commune habeant inter se. Sed antequam philosophus ad hæc aggrediatur, in procemio libri totius argumẽtum exponit, utilitatemq́ue, & docẽdi genus, quo utitur, declarat. loquetur enim tã clare, & perspicue, ut introductionis modum non excedat. Sub logicen, quæ philosophiæ instrumentum appellatur, hic liber reducitur: docet enim, quid ad demonstrationis efficiendæ principium conferat, quæ quidem genere ratiocinatio est, quæ species est compositæ orationis, quæ item genere oratio est. Postremo ad decem genera Aristotelea perducit, quæ ad logicam tractationem spectant. Logica non est philosophiæ pars illa quidem, sed instrumentum, ut alibi ostendemus.

CVM sit necessarium Chrysaori, & ad decem summa genera percipienda, de quibus Aristoteles scripsit, Generis, Differẽtiæ, Speciei, Proprij, atq; Accidẽtis cognitionem habere: hacq́ue contemplatio ad definiẽdum, & ad ea omnia, quæ de diuisione, ac demonstratione præcepta sunt, utilitatem afferat: instituì tibi ea breuiter, modo introductionis declarare, quæ maiores nostri, monimentis consignarunt: qua in re quæstiones obscuriores silentio inuoluam, et eas, quæ faciliores sunt, mediocri cõiectura persequar. Ac ne vager latius, de Generibus, & Formis, constent'ne ipsa per se, an in solis animis sint: deinde si per se cohæreant, corporáne, an expertia corporis existant: atque num auulsa sint ab ijs, quæ sensibus percipiuntur, an in ijs ipsis insideant, dicere prætermittam: cum hoc magnum opus, & arduum sit, & magnæ, arduæq́ue cogitationis indigeat. At quomodo de illis, atque ijs, quæ commemorauimus, ueteres, præsertim Peripatetici magis logice disseruerint, tibi exponam.

OMNIA, quæcunque sunt, suapte natura bonũ expetunt: siquidem origo rerum omnium bonum est. omnia igitur ad bonum, tanquam proprium bonum referuntur: à quo unaquæq; res, cum eius plus, minus'ue pro suę capacitatis mensura particeps sit, perficitur. Malũ igitur expetit nemo. Verum qui malum sibi asciscunt, id ipsum tanquam bonum appetere uidentur. Siquis igitur quẽpiam ad aliquid hortari uoluerit, bonum illi ostendit inde prouenturum, ut ea de causa illum in suam sententiam trahat. Itaq; Porphyrius, cum uellet iuuenes ad librum legẽdum excitare, initio bonum ex eo profecturum indicauit. Verum quoniam bonum duplex est, alterum ut finis, prout ualetudinem bonã dicimus: alterum ut ad finem, uelut uenam alicui incidere, non causa sui, sed ualetudinis, bonum esse affirmamus: hoc loco Necessariũ, non ut proprie bonũ, sed ut ad maius bonum refertur. Nam ut dicimus, Si ualetudini restitui uis, uenã tibi incidi necessariũ est: sic hic Necessariũ philosophus dixit: quippe cũ hic liber ad decẽ genera, tanquam ad finem referatur, neq; tñ bonum est, ut finis, sed ut ad aliud relatũ, & ut uno uerbo cõplectar, necessarium hũc librũ dixit esse, uel ut qui ad maius quoddã bonũ nos perducat, & ita utilem esse: uel absolute per se necessarium, cum fieri non possit, ut si hunc cognitum non habuerimus, philosophorũ libros percipiamus. Necessarium dupliciter à philosophis accipitur, uel tanquam utile, uel ut fortuito cõtrarium. Vtile illud appellant, quod alterius gratia sumitur, ut uestiri, exui: hæc enim eò sumuntur, ut corpora minus detrimẽti patiantur, & ob eam causam longiorem uitam degant. Necessarium, quod fortuito aduersatur, est, sine quo subiecta res constare non potest: ut animalia, quæ pulmonem habent, continuo respirare, ut uiuant, necesse est: Respiratio igitur necessaria est, siquidem animalia pulmonem habentia sine respiratione uiuere non queunt. Hic igitur liber uel priore significatione, uel posteriore necessarius dicitur: uerum secunda fieri nõ potest, quoniam illi, qui Porphyrium prçcessere, philosophorum scripta non ignorarunt: constat enim inter omnes librum hunc, tanquam utilem, dictum esse necessarium, utpote qui philosophiæ præcepta nobis reddat clariora: nunquam tamen necessarius ex significatione posteriore dicetur, propterea quòd philosophicas res sine huiusmodi libello percipi non posse sequeretur. Necessarium hoc loco non ex libro, sed quinque dictarũ uocum cognitione accipiendum est, quę quidem nisi sciantur, reliqua nunquam accurate intelligentur: quocirca Porphyrius

rius non librum, sed quinque uocum cognitionem esse dixit necessariam. Atqui antequam hunc librum Porphyrius scripsisset, harum quinque uocũ cognitio necessaria erat ad philosophorum contemplationes, quæ si huiusmodi quinque res incognitæ essent, intelligi non possent. Hic igitur liber hanc nobis utilitatem affert, ut quæ disperse, & diffuse ab antiquioribus dicta sunt, unum in locum conducantur, ac colligantur, & breuior, ac facilior nobis illorũ fiat cognitio. Quare Porphyrius hanc inuentionem non sibi adscribit, sed quæ maiores nostri literarum monimentis prodiderunt, in mediũ proferre studet. Porphyrius tribus de rebus in procemio disserit: primum enim dicit, quid sibi in hoc libro propositũ sit, cum de illis quinque uocibus se dicturum pollicetur: deinde quid afferat utilitatis, cum nõ solum ad illa decem genera rerum, quorum Aristoteles autor est: sed, ut paucis agam, ad omnes inuestigandæ philosophiæ uias magnum afferre aiat adiumentum: tum illo se docẽdi genere usurum pollicetur, quod facile sit, conueniatque iis, qui ingrediuntur ad studiũ: nihil enim addit, quod eorum intelligentiam superare uideatur, qui primum instituũtur: quippe qui neque longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, atque immutatione uerborum utatur: quibus omnibus deterreri adolescẽtes, & à legendis libris auerti solent. Porrò coniunctio illa, ε τ, nobis indicat, hunc librum non modo ad decem summorum generum Aristoteleorum perceptionem, sed etiã ad philosophiã uniuersam conferre. Præterea dixit, Decẽ summa genera: ut innueret, nõ solum utilem hũc librum ad Aristotelica decẽ genera, uerum ad alia etiã, quorum alii autores extitissent. Plerique enim Aristotelis commilitones, præceptorem imitati, de Primis generibus, de Interpretatione, ac Resolutione, & Iudicio conscripserunt. Sunt igitur hæ uoces nobis adiumento non solum ad decem illa genera, quæ Aristoteles literis consignauit, sed etiam ad ea, quę Archytas Tarẽtinus, & alii philosophi, memoriæ prodiderunt. Ambigunt nonnulli in ipso initio, cum Porphyrius dicat, Cum sit necessariũ: & ea quidem dubitatio est parum consentanea, uerum propter confutationem, à qua dilucida fit, relatu digna, & ualde utilis: aiunt enim, Eius, quod est, aliud Necessarium est, aliud Contingens, aliud Instans. Necessariũ est, quod semper eodem modo se habet: ut cum sol terras larga luce complet, dies est. Quod uero cõtingit, esse potest, & non esse: ut, legere, & non legere: nam ubi unum ponetur, esse alterum non poterit, nisi sit potestate consideratum. Instans illud est, quod tum re ipsa est, & quod præsens sit. Illud ergo quod est, iis omnibus nõ est æquale: non enim reciprocantur ita, ut cum alterum sit, alterum uicissim inferat: ueluti Proprium, & Definitio, quæ mutuo utriq; termini esse possunt, & is, qui subiicitur, & is, qui de subiecto dicitur: nam hæc duo, Proprium inquã, & Definitio uicissim retro commeant: alterum quidem ipsorum subiectus terminus est, alterum uero, is qui de subiecto enũciatur. Sed quisnam subiectus terminus, aut is qui in subiecto dicitur, est? Subiectus apud philosophos apposito articulo dignoscetur: ei uero, qui de subiecta re effertur, uerbum, est, uel actione, uel potestate coniungetur. Omnes enim termini, qui enunciãtur, aut Nomina sunt, aut Verba. Nominibus quidem uox re ipsa, uerbis autem facultate connectitur: uerbi causa, si dixero, Homo, subiectam uocem dixero: si, Animal est, addidero, eam uocem addidero, quæ de uoce subiecta dicitur. Illud igitur, quod est, omnibus æqualiter non inest: nec terminus, qui dicitur, quique subiicitur, necessario, & ei, quod inest, quodque contingit, æqualis est, sed erit plus aliquanto, quàm illa omnia: non enim consequentia quadam sese uicissim inferunt, quoniam quicquid necessarium est, uel cõtingens, uel instans, id ipsum, quod est, dicitur. At contra, siquid est, non semper uel necessarium est, uel contingens, uel instans: uerum siquid illorũ fuerit, nullum cæterorum esse poterit, quippe cum id, quod contingere potest, neque necessarium, neq; instans sit, Quid igitur causæ fuit, cur Porphyrius, qui uult omnes terminos, qui dicuntur, uel maiores esse subiectis, uel æquales, nunquam tamen minores, necessarium, quod minus cẽsetur eo, quod est, utpote cum id, quod est, latius pateat, fecerit enũciari? sic enim dicit, Cum sit necessarium. Nos igitur, uerissimum esse, minus de maiori dici nõ debere respondemus: sed negamus, id quod est, latius quàm necessariũ manare, Illa uerba proprie latius manare dicuntur, quæ de multis enunciantur, & in multis sita sunt: quædam enim res est, quæ per se considerata proprie constat: ut Animal, quod de cane, equo, & homine dicitur, siquidem in iis cõsistit, & propriam habet naturam consideratum per sese. Si igitur quid animal sit definitione explicauerimus, substantiam animatam sensus participem esse dicemus: nam omnia, quæcunq; proprie per se non cõstant, (homonymę enim uoces sunt Canis, Aiax, & id generis permulta, quæ non constant propria eorũ ui, ac natura) communiora nomina dici non debent, sed uoces tenues, quippe quæ res non sint: quod enim latius patet, quàm aliud quicquam, ipsum prius per se sit oportet, & eo pacto erit altero communius: at illud quod est, cum per se non existat, sitque cum Necessario, Contingenti, & Instanti nominis solũ cõmunitate conueniens, nullo illorũ amplius erit, uox enim tenuis est. Præterea si communius esse uelint, tanquam genus dicent, sed genus eodem tempore diuisum in se formas continet, quas æque cohærere facit, neque permittit unam esse priorem altera, uel posteriorem. Vno igitur, eodemque tempore Necessarium esse Contingens, & Instans confiteri cogentur, quo nihil falsius: nam Necessarium semper est, Contingens, & Instans, quãdoque. Itaque hoc, quod est, eorum genus nõ erit, neque necessario latius patebit. id namque, quod est, ambigua est uox, & non genus: adde non esse naturam quandam definitam, ac distinctam, quæ in unoquoque singillatim insit, ut in generibus uidetur. Si item res omnes uel Finitæ sunt, uel Infinitæ (nam signa, quibus res definiuntur, quatuor sunt, Omnis, Aliquis, Non omnis, Nullus, quæ sane notæ Determinationes à philosophis appellantur, nullam aliam ob causam, nisi quòd ex iis determinatur siquid de aliquibus uniuersis, aut singulis definitur, ac pronũciatur: siquis Omne dixerit, uniuersum: si Aliquis, partem significabit, ab omnibus penè philosophis singulas res non definitas pares esse determinatis demonstratum est ita, ut si dicatur, homo uenit, idẽ sit, atq; aliquis homo uenit.) Porphyrius cum sine determinatione diceret, Cum sit necessariũ, neq; Omne apponeret, illud, Sit, pro parte accepit, perinde ac si dixisset, Cum aliquid sit necessarium. nam id quod est, in parte sumptum, idem quod necessariũ ualet, quemadmodum ipsi quoq; fatentur: quare si id, quod est, non tenuis uox, sed res fuisset, quæ proprie constaret, uelut animal, non pessime de eo necessariũ sine ulla determinatione dici poterat. Ad hæc, quando res significare uolumus, id per rectum casum hoc modo, Homo, Bos, Equus, facere solemus: at quando rei partem, uel quod ex re est, in secundo casu, ut si dixero Socratis, aliquam ipsius partem, uelut manũ, uel caput, uel aliquid, quod prope eũ sit, ut domum, & librum significabo. Si igitur Porphyrius rectum casum dixisset, rem planè ipsam significasset, sicque æqualiter partem de uniuerso dici uideretur: sed quoniam obliquum dixit, uel partem rei, uel quippiam eorũ, quæ rem consequuntur, significauit. Necessarium enim æquale est parti eorũ, quæ sunt illius, quod est: ut Homo æqualis est alicui animali, & manus parti alicuius hominis par est. Proinde si quispiam uelit id, quod est, ob hanc rationẽ proprie constare, non tamen est Porphyrio uitio uertendum, quòd Necessarium de eo, quod est, tanquam de æquali male dici fecerit. Porrò id, quod est, genus non esse necessarii, fortuiti, & instantis, neque insuper substantiæ, accidẽtisque, & reliquorum generum summorum, rationibus affirmabo. In quibus aliquid prius est, & posterius, quod de iis communiter dicitur, genus non est. Genus enim formarum est genus, formæ in eodem tempore per se cohærent, & una earum quæque habet, ut in seipsa, & non in aliis existat: Accidens si substantia posterius erit, & ab illa habebit, ut sit, & insit, erit contingenti posterius, in illo enim habet, ut sit. Id igitur, quod est, de iis, non ut res synonymæ faciũt, sed homonyme dicetur: cum præsertim genus non sit, cum in iis prius, & posterius esse uideatur. Vnde nam perspicuum est, accidens in substantia, & instans in contingenti cohęrere, non tamen in eisdem situm esse? propterea quòd sequatur, ut si Substantia, & contingẽs tolleretur, accidens, & instans simul auferrentur: si uero ex species, substantia inquam, & contingens, in quibus id, quod est, non consistit, amoueantur: quod reliquum est, non erit

amotum. Quanquam enim species canis intereat: hominis tamen, bouis, equi, & aliorum non corrumpentur. Iis igitur rationibus aliorũ dubitationem perabsurdam, nostramq; dissolutionem utilem, & cócinnam esse demóstrauimus. Quinetiã nónulli principium damnant, atq; inquiunt, Id quod est homonymum est, homonymum infinitum est: illud igitur, quod est, infinitum exiftit. At initium ab infinito sumere non decet: quibus id, quod est, non homonymum esse, sed ab uno aliquo declinatum respondemus: prout à Medicina & librũ, & instrumentum medicinale appellamus: nam medicinæ instrumentum, & medicinalis potio ad unam ualetudinem referuntur. Quid autem sit, ab uno esse, in decem summis generibus percipiemus. Existit etiam hoc loco quædam quæstio, quid causæ fuerit, cur id, quod est, necessario præposuerit. Id quod nos tribus esse factum causis ostẽdemus: Prima, ut id, quod latius patet, principem locum obtineret. Secũda, ut elegantior esset: nam si dixisset ἀναγκαίου ὄντος, non adeo elegans fuisset locutio. Tertia, ut à generalissimis (ut aiunt) initium sumeret: ita fit, ut cum Porphyrius uellet à generalissimis doctrinam exordiri, id quod est, anteulerit necessario. Quærent demum, Cur non, æquum est, aut bonum, aut utile, sed necessarium dixerit? Dicendum est, id factum esse ob alterutram suarum diuisionum: nam bonum & utile mutuo quodam inter se nexu iuncta sunt. Vtile in duo distribuitur, in utile, quod genere ambiguum est, & in necessarium. Bonum est, quod propter se expetendum est, ut beatitudo, ut pietas. Vtile est, quod à necessario distinguitur, quod & inesse, & nõ inesse potest sine interitu rei, cui inhæret, ut hoc indumentum. Necessarium uero est quod præsens seruat: absens corrumpit, ut respiratio. Necessariũ insuper duplex est, uel quod propter se appetendum est, nihilque à Bono differt, ut beatitas, sanitas: uel quod alterius causa optabile est, prout uenæ incisio, potioque medicinæ. In prima significatione quinque uocum cognitio necessaria est, utpote quæ nos ad decem summa genera, atque uniuersam differendi uiam, ac rationem ducat. Quod sanè Necessarium sex modis dici constat, quippe cum & materia, & ratio, quæ in homine inest, necessaria dicatur: deinde Necessarium appellatur, quod per se fugiendum, atque alterius gratia sit desiderandum: dicitur tum Necessarium, quod propter se optandum sit: Necessarium item dicitur, quod nec propter se expetendum, nec fugiendum, sed propter aliud quicquam suscipiendum sit, ueluti sunt quædam medicamenta: postremo illud Necessariũ est, quod & sui, & alterius gratia amplexandũ sit, qua significatione liber hic & sui, & alterius causa necessarius esse dicitur.

Cum sit necessarium Chrysaori & ad decem summa genera percipienda, de quibus Aristoteles scripsit, Generis, Differentiæ, Speciei, Proprij, atque Accidentis cognitionem habere.

Quoniam Aristoteles in decem generibus pertractandis de generalissimis decem uocibus differit, quas differẽtijs, & proprijs separat, ac distinguit, generumque, & propriorum, ac differentiarum illic mentionem facit, generis, & differentiæ, necnon proprij, & speciei cognitio illarum uocum comprehensionem nobis faciliorem reddet, Porphyrius coniunctione ΚΑΙ usus est, ut non modo ad Aristotelica summa genera, sed ad ea etiam, quæ deinceps subiungit, utilem hunc librum ostenderet. Nonnullorum opinio fert Porphyrium, ΚΑΙ, apposuisse, ut etiam ad ea genera, quæ Archytas scripta reliquit, harum quinque uocum cognitionem utilem esse declararet: quod quàm alienum à ratione sit, ex eo intelligi potest, ꝙ ipsemet philosophus statim explanat reliqua, ad quæ afferat adiumẽtum. Præposuit uero differentiam speciei, quoniã ordine naturæ prior est. Sed quid causæ fuerit, cur Genus in uocũ enumeratione prius constituerit, suo loco dicemus: in præsentia, de quibus nã acturus sit Porphyrius exponamus. Sũt igitur Genus, Differentia, Species, Propriũ, & Accidẽs, quæ declaranda sunt: ac si uoluerimus cognoscere, cur hæ uoces hunc ordinem sortitæ sint, (non enim putare debemus id temere factum esse) erit de hac re paulo altius ordiendum.

Vniuersa quædam, & Singula in rebus esse sciendum est: sed quoniam Singulas res interitui obnoxias esse oportebat, Natura quiddam, quod latius pateret, atque omnia complecteretur, eorumque formas conseruaret, excogitauit: idque, Genus, aut Speciem ueteres appellarunt: atque ut hoc perspiciatur, & ordinis causa nobis explorata sit, singula, tãquam in exemplo quodam, proponemus. Socratem igitur, & Platonem, & cæteros singillatim: flauum quoq;, & maculosum hunc equum, & illum, singula, & indiuidua philosophi uocauere: illa uero quæ singulas res continerent, uelut uniuersus homo, qui singulos in se homines cõprehendit, Species coniunctim appellauerunt: quæ uero ipsas species cõplecterentur, ut animal, sub quo homo, & equus constituuntur, Genera dicta sunt: ijs interiecta intermedia Differẽtia est: Differentia enim est, quẽadmodum etiã Porphyrius post nobis explicabit, qua aliud ab alio distinguitur. & hac potissimũ de causa differentia in rebus apparet: sed quãtum ad genus spectat, nullam esse differentiam perspicuum est: neque enim in animali quod genus est, homo, & bos differũt, quòd & nos, & boues sumus animantes: sed Rationis particeps, cum accessit, nos ab illis separauit: atque ita Differẽtia effecta est, qua homo à boue, & cæteris animantibus rationis expertibus differat. Rationis particeps dicitur id, quod mente ducitur, & ratione: ut, homo, & angelus. Rationis expers est, quod præter rationem, atque iudicium uiuit: ueluti sunt equus, bos, & reliqua generis eiusdem. Ita fit, ut Differentia minus, quàm Genus, & magis, quàm Species pateat: id quod exẽplorum appositione perspectum, ac clarum fiet. Rationis particeps, & Mortale minus patent, quàm Animal: siquidem ea ab animali continentur: Rationis particeps, quæ differentia est, cum angelum, & hominem cõprehendat, latius quàm homo, quæ species est, serpit, ac manat. Præterea Differentia magis angusta est, quàm Genus, quatenus sub genus cadit: at latior specie est, quoniam rationis compos, & expers habet in se, sub quæ omnia animalia simul cadunt: Species uero unum tantum, uelut hominem, equum, & aliud huiusmodi comprehendit. Proprium est, quod in sola, totaque specie inest, ut in homine natum esse ad risum. in eo enim solo, toto, & semper intelligitur. Accidens est, quod abesse potest sine eius rei, in quo situm est, interitu: ut, cãdor, nigror, accubatio, inclinatio, sessio. Ex iis igitur quædam rerum naturam perficiunt, quædam extrinsecus adueniũt. Genus, Species, & media inter hæc Differentia, rei naturam absoluunt, quoniam ex ui, & natura dicuntur existere, animal enim unũquodq; perficiunt, atque unaquæque res horum trium particeps est, ut manifesto apparet in Socrate: nã in eo quod animal est, Genus habet: qua rationis compos, & mortalis, Differentiam: quia homo, Speciem. Simili quoque modo in Platone, atque Alcibiade. Reliqua duo, Proprium, & Accidens, nihil quicquam rei naturæ conferre, sed aduentitia esse dicuntur, propterea quod rationi notionis eius rei, quæ subijcitur, nulli usui sunt: ex quibus Proprium illis, quæ rei naturam conficiunt, coniunctius est, quàm Accidens, ex eo quod Proprium semper alicui inest, Accidens tum inest, tum abest. Huiusmodi separari posse dicuntur: quoniam si ea secreta esse cogitauerimus, nihil hominis naturam imminuent: id si ita esset, nigros non esse homines dicendum esset, quod absurdum uidetur: atque si ridendi habilitatem amitteremus, nihilo tamen secius homines essemus, cum omnes hominis actiones exercere possemus. Iis in hunc modũ constitutis, quonã ordine progressus sit Porphyrius, animaduertite. Ea, quæ substantiæ sunt, & rei naturam perficiunt, præposuit: secũdo loco aduentitia, collocauit. Ex ijs præterea, quæ naturã absolutã reddũt, Genus, utpote quod magis pateat, primũ obtinuit locũ. Differentiam deinde, tanquam minus angusta, quàm genus, sit: postea, Speciem, ueluti minus patentem differentia constituit. Illorum, quæ rerum naturam consequuntur, Proprium, quod ad rei naturam propius accedit, Accidenti præpositum est. Accidens extremum locum habuit, tanquam nihil ei sit cum prædictis cõmune: & uti ipsum solum sine interitu eius rei, in qua inhæret, adsit, atque absit. Est autem hoc loco non immerito quærendum, quonam modo accidens sit generi, & speciei contrarium, siquidem in genera, & species distribuitur. aliud nos esse dicimus, si unum quodque quia sit, consideremus, & aliud, cum ad aliud referatur. Cum enim quidquippiam per se sit, spectamus, hoc Substantiam, illud Quantum, hoc Quale esse affirmamus: cum uero ad summa genera, quæ post substantiam sunt, respicimus, ea quia non cõstant

per se,

per se, sed ad substantiam annituntur, substantiæ accidere dicimus. In unoquoq; item ex decē generibus cum illud quod magis uniuersale est, & quod magis formis cōuenit, & illud, quo ea, quæ formis accommodātur, à magis uniuersalibus diuiduntur, prospiciamus: horum unum Genus, alterum Differentiam, alterum Speciem appellabimus: ita ut idem aliter consideratum, Genus, Speciesue, aut Differentia dici possit: ijs enim differentiæ, quæ in summis generibus insunt, cognoscuntur. Potest item & substantia esse, & aduentitium.

Hæcque contemplatio ad definiendum, & ad ea omnia, quæ de diuisione, ac demonstratione præcepta sunt, utilitatem afferat.

Hoc primum loco Aristotelis, & Platonis artem differendi diuersam esse faciendum est. Aristoteles quinque modis, ut uidere est in Topicis, opiniones affectatur: at Platonis dialectica in quatuor tantum uersatur, Diuisione, Definitione, Demonstratione, ac Resolutione. Hic igitur liber & ad definiendum, & ad ea omnia, quæ de diuisione, & demonstratione præcipiuntur, affert adiumentum: ita fit, ut ad Platonis differēdi artē utilis existat: ac, si ita se res habet, ad uniuersam philosophiā magno nobis erit adiumēto. Philosophia quadripartita est, prima pars in Diuisione, altera in Definitione, tertia in Demonstratione, quarta in Resolutione uersatur. Huius igitur loci sensum haud secus intelligendum cēseo, ac si Porphyrius dixisset, hunc libellum non modo ad philosophorum libros percipiendos, sed etiam si nulla illorum scripta extarent, posse uiam rerum omnium inueniendarum studiosis suppeditare: sed de singulis est ordine differendum.

Diuisionis igitur interest propositū genus in proprias differentias diuidere, hæcque distinguendi est ratio: Animal in id quod ratione utitur, & quod rationis expers est, & mortale atque immortale diducitur: uerum non sic, Animal aliud est homo, equus aliud, & aliud hoc quippiam: nam illos, qui res distribuunt hoc modo, Coquis male frusta secantibus, & obsonia membratim non distinguentibus, id est imperitis, rudibusque hominibus, similes esse Plato scriptum reliquit. Proprium Definitiuæ est, unicuique rei propriam definitionem dare. Principem diuisionem ars definitiua consequitur, quoniam definitio diuisione utitur, cum ex generibus, & differentijs, quæ rei naturam absoluunt, ac complent, eliciatur. Is igitur, qui definiet, ex diuiso genere assumet, quæ ad definitionem faciunt: ueluti si ex hac animati diuisione in animal, & plantam, & animalis in ratione utens, & rationis expers, mortale, & immortale excipere hoiem uoluerit is, qui definit, ratione utens, & mortale animal excipiat. Demonstratiuæ proprium est, ex propria natura res demonstrare: nō quomodo oratores solent, apud quos cum rei dubiæ fidem faciūt, auctoritas ualet plurimum: sed quēadmodum Plato, qui cum animam nullo mortis fato perimi uellet demōstrare, id ex natura propria animæ atque ui confirmauit: Anima, inquit, à se mouetur: quod à se mouetur, semper mouetur: quod semper mouetur, immortale est: anima igitur immortalis est. Ita fit, ut qui demonstrare uoluerit, hunc morem teneat necesse sit: etenim demonstrationes ueræ ex definitionibus fiunt, definitiones rei uim, & naturam patefaciunt. Constat enim demonstrationes ex rerum sumi ui, atque natura, nō autem assumi foris: præsertim cum exteriora non necessario rem ipsam consequantur. Tertium igitur locum sortita est Demonstratio, quoniā ipsa definitione, definitio diuisione utitur. Munus Resolutionis est, cōiuncta in simplicia, ex quorū coniunctione sunt facta, dissoluere: ut Grammatici quoque facere solēt, qui Orationem in nomen, & uerbū, hæc in syllabas, has in elementa diducunt. At Philosophi naturæ interpretes, de rebus agunt: quippe qui Hominem in caput, manus, & pedes, hæc in ossa, carnem, & neruos, eadem in quatuor elementa, ea demum in materiem, & formam dispertiunt. Resolutione in ratiocinationibus utimur, cum eas in propositiones, & propositiones in terminos diducimus, id quod Aristoteles in libris analyticis docet. Prima igitur omnium est diuidendi ratio, altera definiendi, tertia demōstrādi, quarta denique resoluendi: ac trium duntaxat mentio facta est, quoniam hic liber est ad illas maxime utilis. de generibus enim, & differentijs uerba facit, ac docet. Etenim qui diuisionis scientiam callet, genus in species per differentias proprias recte distinguet: atq; is, qui definiet, ex genere, & differentia definitionem sumet. Demonstrationes ex definitionibus constant, & Definitiones ex generibus, & differentijs, ut dictū iam est. Id ipsum alia quoque ratione potest probari. Illæ tres inter se colligatæ admodum sunt, ut definitio diuisione, & demonstratio utrisque utatur: nam qui demonstrat, rerum definitionem assumit, ut rei naturam comprehendat. Item definitio diuisione utitur, at resolutio neutra illarum utitur, quin etiam diuisioni cōtraria est: quoniam diuisio unū accipiens in plura distribuit, resolutio uero usque eò procedit, dum in unū desinat: nam si hominē accipiat, & in partes dissoluat, partes illas in humores, hos in elemēta, hęc deniq; in materiā, & formā partietur: elementa enim ex materia & forma sunt conflata. Alio præterea modo sic: Qui diuidit, à simplicibus ad composita progreditur: qui resoluit, à cōpositis ad simplicia regreditur. & ei, qui definit, aduersatur is, qui resoluit: quoniam alter rei naturam coniungit, alter dispergit. Id alia quoque ratione firmabitur: Si resolutio diuisioni aduersa est, cum definitio sine diuisione fieri non queat, definitioni itidem aduersam esse perspicuum est: ita fit, ut demonstrationi quoque contraria sit futura: etenim si demonstratio definitione, & diuisione utitur, & his duabus aduersa resolutio est, demōstrationi nimirum erit aduersa. Sed in ijs enumerandis quid causæ fuit, cur definitionis prius, quàm diuisionis, quæ prior est, mentionem fecerit? Quoniam, inquam, uidebat huic libro propositum esse, ut illarum uocum definitiones traderentur. Compositio à resolutione differt, quātum tamen ad subiectam rem spectat, nihil interest: nam uelut inter ascendentes, & descendentes, ita inter compositionem, & resolutionem discrimē uersatur, idque tantummodo relatione quadam. Quando autem à superioribus, primisque principijs, ad inferiora, & ultima descendimus, compositio fit: cum ab ultimis ad prima conscendimus, resolutio. Et quoniam compositio, cum id coagmentauerit, quod statuerat, finem construendi faciet: ita quoque resolutio efficiet, cum id, quod propositum erat, dissoluerit. Nam qui resoluit, quippiam compositum resoluit: nisi fortasse uelit in eo, quod fieri nequit, laborare, seq; excruciare, dum simplex omni cura studet dissoluere. Compositū è multorum simplicium compositione cōflatum est: is igitur, qui resoluit, in multa dissoluet. Si quis igitur arbitretur eum, qui compositum resoluit, illud in unum simplex dissoluere, fallet ur'ne, an non? Mea sententia non sanè, quin id proxime ad uerum accedit: dicemus tamen, compositum in plura coniuncta dissolui, & quod ultimum erit, in unum tantūmodo resolui. Oportet igitur hoc nobis planum esse, ut aperte loquar, simplex in multa componi, neque amplius resolui: atque ultimū compositum in multa cōiuncta resolui, neque amplius in unū supremum compositum iri. Neque uero quenquam moueat, φ definitio, quæ posterior est, diuisioni præposita sit: id enim factum est, quoniam nihil nobis impedimēto esse debet, quin ea, quæ nobis placuerit, in doctrina nostra priora, uel posteriora constituamus. Deinde quatenus ad intelligentiam attinet nostram, cōposita ex definitione cognita priora sunt: quibus quidem fit rebus, ut nō sine ratione definitionem diuisioni præposueris. Resolutionē fortasse ideo prætermisit, quòd eadem, ac compositio ratione subiectæ rei, affectione tātum, ac collatione, ut dictū nobis est, differre uideretur. Præterea Contemplatio apud philosophos cognitionem significat.

[Institui tibi ea breuiter, & modo itroductionis declarare.] quoniam alia quoque docendi uia est, quę ita breuis est, ut tantummodo capitum commemorandorum gratia tradi soleat, dixit, breuiter, & modo introductionis, quatenus scilicet ad eos instituendos pertineat, qui ingrediuntur ad studium: deinde addit, [Quæstiones obscuriores silentio inuoluam.] Tria sunt, quæ iuuenes à legendis ueterum libris reiiciunt, Longitudo dictorum, Obscuritas orationis, qualis est in libro Aristotelis, qui de Interpretatione inscribitur, ac demum recōditæ, exquisitæque sententiæ. Porphyrius igitur, ut ad se alliceret eum, qui audit, ait hunc libellum huiuscemodi nequaquam fore: nam neq; futurum prolixum, neque difficiles explicatus habiturum illa uerba, breuiter, & modo introductionis, declarant: cum præterea subiungit. [Obscuriores quæstiones silentio inuoluam.] significat se reconditas, abstrusasque

fasq; sententias non tractaturum: innuit preterea dictata non esse difficilia, cum inquit, [Quę faciliores sunt,] postremo breuiloquentem se fore indicat iis verbis, [Mediocri coniectura persequar:] quę etiam verba ad doctrinam referenda non sunt, Philosophi enim certa sciētia res demonstrant, non coniectura assequuntur. Sed Porphyrius hęc ad Chrysaorium scripsit, quasi se ea tantum dicturum spondeat, quę ad illum instituendum attinerent: pręsertim cum Philosophorum sit omnia vera sciētia demonstrare, nō coniectura coarguere. [Ac oe vager latius, de generibus, ac formis cōstent'ne ipsa per se, &c.] Breuem, facilemq;, & obscuriorum quęstionum expertem doctrinam facere pollicitus est. Ne quis igitur horum disquisitionem minime inuolutam esse diceret, Philosophus esse abditam, ex iis clam innuit. Erat ergo de iis controuersia valde abstrusa, quę data opera pretermissa ab eo est: atque vt apertum id fiat, quammaxime possumus, dilucide exponamus. Ea, quę sunt, vel per seipsa constant, vel in simplici iotellectione sunt: ea rursus, quę per se cohęrent, vel corpora, vel expertia corporis existunt: illa pręterea, quę corpore carent, vt anima rationis compos, atque angelus, auulsa à corpore sunt, alia vt candor, nigror, & brutorum animę à corporibus non distrahuntur: ex illis deinde, quę per se cohęrent, alia ante multa, alia posterius genita, & in anima nostra sita sunt. Eorum quę sunt, quędam constāt per sese, quędam in solis animis nostris insunt: quę cum animo comprehensa sint, constant, & minime intellecta non cohęrent: sed vbi primum insistet intelligeotia, ipsa quoque cessabunt: vt in Hippocentauro luculenter videtur, neque enim vsquam extat: sed cum nos equum, centaurumq; conspicimus, nostra cogitatione vtrosq; coniungimus, atque ita compositis Hippocentauri nomen impooimus. Hircum pręterea, & ceruū natura produxit, vtrunque nos cogitatione componimus, compactumq; Hircoceruum appellamus. Antisthenes vero genera, & species in solis animis, hac ratione fretus, esse censebat, dicere enim solebat, Equum video, illam tamen vniuersam equi rationem, seu speciem, nō video: Hominem itidem video, at non humanitatem. Atq; hęc quidem ille: conuenienter enim sensu solum viuebat, neque rationis auxilio sese in altiorem inuentionem, poterat erigere. Eorum igitur quę constant, alia corpora sunt, alia nō corpora. Atqui ex veteribus alii prorsus hęc esse dixerunt, alii vero nō esse voluerunt. Ex illis postea, qui ea esse prodiderunt, nonnulli corpora, nonnulli sine corpore esse putauerunt. Sed qui corpora illa esse contēderunt, in eadem sententia perstitere: qui vero illa corporis esse expertia dicebant, alii esse per se, sunt arbitrati, alii vero in iis, quæ sensibus percipiuntur: id quod factum est, quoniā nouerant illi ea, quæ corpore carent, de quibus feci supra mentionem, vel per se cohęrere, vt Angelum, Deum, vel in aliis niti, vt candorem, & figuras. Hæc igitur alii per se, alii vero in iis, quæ sensu comprehenduntur, constare dixerūt, quoniam item corporis expertia, quæ in iis inhærent, quæ sensu percipiuntur, vel per totam rem sese porrigunt, atque tendunt, vt candor in fuco, vel extremitati solum insident, vt in globosa figura cernitur: alii ea ipsa per totum se perfundi aiunt, alii vero in sola superficie residere tradiderunt. Sunt etiam, qui nonnulla cohærere in iis, quæ constant, arbitrentur, nec alia ratione posse constare, quām locum, & tempus, cum ea contineant, quæ sub sensum cadunt. Cum igitur tot sectæ sint, atque hominum opiniones, qui prædicta negent, & affirment, quæstio de generibus, & formis in cōtrouersiam adduci poterat, sint'ne, an in simplici quadam ratione, & intelligentia contineri, prout Antisthenes cēsuit, dicendum sit: At postquam hæc ita esse, & constare inuētum esset, existebat etiam quæstio corpora'ne essent, an corpore carerent: huius nanq; diuisionis vtraque pars fautores habuit, qui eam studiose defensitarunt. Verum cum esset compertum, ea esse sine corpore, poterat oriri dubitatio, vtrum à materia distraherentur, an in multis essent, & à materia dirimi non possent. Verum vt hoc clarius fiat, exemplum quoddā adjungam: neque enim fortuito, & nullis subnixi rationibus alii corpora, alii corporis expertia esse dixerūt: sed ratione quadam vtriq; ducti, neque inter se cōtrariis iure procedunt. Intelligatur annulus, qui alicuius, vtpote Achillis, imaginem insculptā habeat; multæ insuper ceræ sint, & ab annulo imprimantur: veniat deinde quispiam, videatq; ceras omnes vnius annuli impressione formatas, annuliq; impressionem in mente contineat: sigillum annulo insculptum, ante multa dicetur: in cerulis impressum, in multis: quod vero in illius, qui illò venerat, intelligentia remanserit, post multa, & posterius genitum dicetur. Idem in generibus, & formis intelligendum censeo: etenim ille optimus procreator mundi Deus, omnium rerum formas, atque exempla habet apud se: vt si hominem efficere velit, in hominis formā, q̄ habet intueatur, & ad illius exemplū cæteros faciat omnes. At si quis restiterit, dicatq; rerū formas apud creatorem non esse: quæso vt diligenter attendat: Opifex, quæ facit, vel cognoscit, vel ignorat: sed is, qui nesciet, nunquam quicquam faciet: quis enim id facere aggreditur, quod facere ignorat? neque enim facultate quadam rationis experte aliquid aget, prout agit natura. Ex quo conficitur, vt natura etiam agat, etsi quæ faciat, non aduertat: si vero ratione quadam aliquid facit, quodcunq; ab eo factum est omnino, cognouit. Si igitur Deus nō peiore ratione, quām homo facit quid, quæ fecit cognouit: si cognouit quæ fecit, in ipso rerum formas esse perspicuū est. Formæ autem in opifice sunt perinde ac in annulo sigillum, hæcq; forma ante multa, & auulsa à materia dicitur. Atqui hominis species in vnoquoq; homine est, quemadmodum etiam sigilla in ceris, & in multis, nec auulsa à materia dicetur. At cum singulos homines animo conspicimus, & eandem in vnoquoque formam atque effigiem videmus, illa effigies in mente nostra insidens post multa, & posterius genita dicetur: veluti in illo quoque dicebamus, qui multa sigilla in cera vno & eodem annulo impressa conspexerat. Poterit hæc à corpore separari, cum non in corpore, sed in anima inhæreat: nō separari vero, quoniam per sese separari nō potest non secus, quām formas ante multa posuit Plato: negat enim has absolute opificis intelligentias esse, sed substantias quasdam, quæ animo cernantur, & ratione intelligantur, in quas opificem intueri vult, vt ea, quæ hic sunt, ad illarum primarum imaginum exemplum efficiat, ac condat. Porphyrius igitur ait se nolle quærere, num ea quæ corpore carent, à materia, veluti ea, quæ in opifice sunt, separari, vel non separari possint, sicut ea, quæ in multis sunt, vel vt ea quæ sensibus percipiuntur, id est ea, quæ post multa sunt. Scire quoque debemus de iis Aristotelem à Platone dissentire: nam Aristoteles vult illas à materia nō posse separari: Plato vero separari censet posse. Verum docere, quomodo hi principes philosophorum inter se dissideant, atque discordent, propterea quòd Aristoteles formas illas naturaliter intelligere videtur, ad hoc nostrum institutum nihil pertinet. [At quomodo de illis, atque iis.] Promiserat Porphyrius se librum hunc vtilem ad Aristotelis summa genera confecturum, quæ progressus, & viæ quædam sunt ad vniuersam philosophiæ contemplationem, quæ in disserendi subtilitate versatur. Orationis vero multæ partes sunt, Enuncians, Optans, Vocans, Imperans, atque Interrogans, ac prætere a multæ, quas nunc colligere propositum non est. In iis enim, quæ Logica appellantur, nō de omnibus, sed de enunciante solum oratione agitur: ea enim interpres animæ est, quæ intelligentia prædita est, & cognitione: Cæteræ vero ei animæ attribuuntur, quæ libidinum æstu fluctuat: nam qui rogat, aliqua cupiditate ductus rogat. Siquis item quempiam vocat, aliquo desiderio impulsus vocat: idem agit, qui aliquem alloquitur. Sola Enuncians oratio vera est, aut falsa: reliquæ nec veræ, nec falsæ sunt. Ita quoque fit, siquis deprecetur. Enuncians oratio vel vera, vel falsa est: veluti si animam mortalem, vel immortalem esse quis demonstret, semper vel verum, vel falsum dicet: est enim Enuncians oratio, quæ rem esse, vel non esse demonstrat, atque duas habet voces, quæ Termini dicuntur, quarum altera subiicitur, al-

tera

tera de subiecta re quippiam enunciat. Sed vt planius, atque apertius id fiat, exemplum apponam: Homo animal est. homo, quia de eo sermo habetur, subiicitur, animal de homine dicitur. Simili quoq; modo in hac propositione, Anima immortalis est, & cæteris eiusdem generis: nam anima subijcitur, & immortalis de illa dicitur: ita fit, vt huiusmodi oratio non immerito illos duos terminos habere dicta sit. Porphyrius autem poterat quoque de generibus, & formis differere, quatenus ad primam philosophiam pertinet, præsertim cum de formis generum, ac formarum, sint'ne apud Deum, an non, oriatur plerunque magna dissensio. Vera igitur Platonis opinio est, qui ideas animo cerni, & ratione intelligi, ac per se constare vult, quas & vere, & primo substantias appellat, siue etiam non vera, vt Aristoteli videtur. Naturaliter quærimus, quando consideramus, natura'ne in seipsa formarum, generumq; rationes habeat: natura enim non facit perinde, ac nix, quæ nulla ratione frigidum reddit quippiam, vel vt ignis, qui adurit: sed omnino ratione quadam efficit, etsi quæ faciat, non cognoscit. Potest item alio modo naturaliter quæri, vtrum videlicet hæc in multis sint, vtrum inquam vniuersum animal, & vniuersus homo in multis esse dicatur. & quæ'nam natura ijs singulis communis spectetur, sed id, quod ita consideratur, diuidi nullo modo potest. Possumus demum de ijs quærere ea ratione, qua solent ij, qui differunt inter se ita, vt prima illa argumentandi principia non transgrediantur: cum scilicet inuestigant, num quædam sint, quæ aliquibus subijciantur, & num quæ dicantur de quibusdam. Genera de formis, ac differentijs, non tamen contra, dicuntur. Dictum enim est Genus, Differentiam, Speciem ordinem quendam seruare: siquidem Genus in vocibus primas tenet, secundum locum Species sortitur, ijs intermedia Differentia est. Superiora de inferioribus dici debent, non tamen reciprocatur: nam si dixerimus, Omnis homo animal est, verum dicemus: at si reciprocabitur oratio, vt dicatur, Omne animal homo est, falsum dicetur. Omnis item equus rationis expers est, verum est: sed omne rationis expers equus est, falsum est: nam rationis expers nō debet equo subiici, vt nec etiam animal homini, vt rocens dicebam. Est igitur explicandum, qui termini subijciendi, & qui dicendi sint, id quod philosophus deinceps faciet, ac propterea addidit, logice, hoc est accommodate ad rationem differendi.

At quomodo de illis, atque ijs, quæ commemorauimus, veteres, præsertim Peripatetici, magis logice disseruerint.

Ratione differendi vtetur is, qui rerum accidentia inuestigabit: Naturaliter disputant illi, qui substantiam inquirunt: Diuine vero, qui rerum omnium ortum, & quare vnaquæq; constet, indagant. Cum igitur Naturaliter agere de generibus, & formis, vt iam dictum est, sit ea, quæ sensibus percipiuntur, exquirere, vt Aristotelem fecisse videmus: Diuine, cum ea, quæ in opifice sunt, perscrutamur, vt in Parmenide Plato: hoc loco logico potius more de ijs agendum est, quoniam in logica facultate enunciantibus orationibus vtimur, in quibus nonnulla subijciuntur, nonnulla de subiectis dicuntur. Subiectus autem terminus, & qui de subiecto dicitur, aut Genus, aut Species, aut Differentia, aut Proprium, aut Accidens est. [Quomodo de illis.] hoc est, generibus, & formis: nam subito de illis verba facit. Addens præterea, [Atq; ijs:] reliqua tria Differentiam, Proprium, & Accidens significauit. Nisi forte ita intelligendum sit, vt cum dicat, [De illis,] Genus, Differentiam, & Speciem: cum addat, [Atque ijs,] Proprium, & Accidens significet. [Præsertim Peripatetici.] Porphyrius horum inuentionem, ac doctrinam non sibi asciscit, sed Peripateticis, qui omnibus, qui ea probabiliter tractauerunt, multo diligentiores fuerunt. Peripateticis id nomen hac de causa impositum est. Diuinum Platonem in academia deambulare solitum, & cum familiaribus congredi, vt corpus exerceret, atque eo pacto ad animi splendorem suscipiendum aptum redderet, literarum monimenta tradiderunt. instrumenta enim signo sunt, quale artificium opificis sit; ita fit, vt etiam Platonis commilitones, propterea quòd disputabant inambulantes in Lycio, Peripatetici cognominati sunt. Ac primo ab ipso Platone Aristoteles, & Xenocrates, quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomē obtinuit, profecti sunt. Aristotelici enim Paripatetici ex Lyceo, Xenocratici Peripatetici ex academia dicebantur. Paulo post vero Aristotelis studiosi, actionis cognomen retinuerunt, & loci abiecerunt: at qui se ad Xenocratem applicauerant, actionis nomē exuerunt, & loci cognomen induerunt, & Academici vocati sunt. Itaq; Porphyrius, qui Platonis etiam sectam secutus est, institutionem quandam ad Platonis dicta, & ad summa genera Aristotelis vtilem scripturus, Tibi, inquit, explicabo, quomodo de ijs antiquiores, præsertim vero Aristotelici (nam ob hanc causam dixit, & præsertim Paripatetici) locuti sint. Summa genera decem sunt, Substancia, Quantum, & reliqua, ex quibus sola substantia se sustentat, cætera ad substantiam annituntur. Hæc generis descriptio, quæ danda est, omnibus decem conueniet. Verum non dicendum est, æque cæteris, ac substantię cōuenire: differunt enim in eo ipso, quia sint, quoniam quicquid acciderit substantiæ, vt videlicet tanquam genus in species, quæ sub ipsa sunt, diuidatur, in cæteris itidem accidentibus efficietur: distribuuntur enim ipsa quoque in species, quæ sub ipsis existunt, veluti genera. Verum aliud est, si quatenus substātiæ, & accidētia sunt, atq; aliud, si prout summa genera, id quod omnibus commune est, considerabuntur.

DE GENERE.

Genvs, & Speciem non simpliciter dici, videtur.

Cvm nobis indicauerit, quid libro propositum sit, quamq; afferat vtilitatem, & quisnam modus, ac ratio habenda sit, vt eos instituamus, qui recens sapientiæ studijs operam innauant, dixeritque velle quæstiones difficiles silentio transire, & faciliores in medium adducere, ostenderit etiam quæ abstrusæ, & quæ faciles sint, singularum nunc quinque vocum doctrinam explanare aggreditur. De genere primum dicit, quoniam cum voces numerarentur, primæ ei delatæ sunt. Genus etiam ob hanc causam speciei præponitur, quia multas sub se species comprehendit: & quanquam Genus, & Species mutuo sese referant, sunt tamē quædam ex ijs, quæ sub eandem rationem cadunt, quibus nonnulla reperiuntur cęteris antiquiora, & eorum causæ dicuntur: quemadmodum Patrem Filij causam dicimus, & quatenus homines vtriq; sunt, priorem: atqui simul cognoscuntur, & sese mutuo constituunt, eo, quòd sub eandem cadunt rationem. Quæ cum aliquo conferuntur, quædā substātię prius sint necesse est: cum igitur causam eorum quæ cum aliquo comparātur, causam inquam priorem inuestigabimus, quam vel tēpore, vel ordine naturę priorem esse comperiemus, eam causam antiquiorem dicemus: in patre igitur ac filio temporis ratione pater senior est, ipse enim substantia quædam est, quæ filij naturam efficit: igitur hoc modo patrem dicemus filio antiquiorem. Dominus quoque ac Seruus, Pręceptor, ac Discipulus, etsi ex ijs sunt, quæ cum aliquo conferuntur, sola tamen causa, non tempore priores sunt: ac tempore quidem itidem essent, si dominus seruo, & magister discipulo senior esset. Idem in Genere, & Specie intelligi par est: Genus enim & Species sub eandem rationem cadunt: quæ sub eandem cadunt rationem, substantias prius esse necesse est. Genus ratione substantię, ordine naturę, quia speciei substantiam constituit, prius constat, at non tempore: genus enim in species diducitur. Omne, quodcunque diuiditur, prius suis partibus est, vtpote quod illas constituat: genus igitur ratione substantię specie prius est. Priora per substantiā in ijs, quę sub eandem cadunt rationē, per causam priora sunt: genus itaq; specie antiquius est, ac merito primum locum obtinuit. Quinetiam in hominis ortu naturam eiusmodi ordinem seruare exploratū est, atq; testatum: nam semen humanum accipiens primo vitale facit atque animatum, paulum procedens, sensum impertitur, & ita animal efficit: tum libidinem, & iram adiungens, rationis expers animal constituit: postremo rationem perfe-

ctam

ctam addens hominem efficit. Genera igitur propter substātiam sunt formis priora. sed prout genera & species mutua quadam relatione simul in alijs sunt, & vna dimouētur, nomina tantum sunt. Quærendum hoc loco dignum putamus, quam ob causam, cum generis doctrinam nobis tradat, speciei, & non differentiæ, ac reliquarum vocum meminerit. Dicendum igitur ad hoc est quam breuissime. Genus & species sub eandem cadunt rationem, vt iam dictum est nobis, species enim generis species est, genusq; speciei est genus: ea re fit, vt non sine ratione in genere declarando speciei mentionem fecerit. Quicunque enim ea, quæ sub eandem cadunt rationem, docere vult, si vnius meminerit, alterum quoque silentio non transeat necesse est. Aristotelis porro regula, ac norma quædam est, qua Porphyrius vtitur: eā, quia seruanda est, vobis ignotam esse non velim. Eum, inquit, qui de aliquo homonymo nomine sic verba facturus, illius nominis significationes prius explicare necesse est, tum dicere de qua significatione loquatur: nominis enim homonymia plerunque etiam errorem creat, cum aliam doctor, aliam auditor eiusdem nominis significationē capit. Siquis, exempli gratia, de cælesti cane sermonem habiturus sit, dicat, canis æstus facit, fructusq; perficit: nisi prius dixerit, de quo cane loquatur, auditor in errorem inducetur. Omnes igitur canis significationes numerandæ sunt, vt distinguatur hoc modo, Canis, alius cælestis, alius terrenus, alius marinus est. Dicatur postea, de cælesti verbum fit. Ita Porphyrius philosophorum præcepta diligenter tenens omnes generis significationes enumerat, deinde de quo genere loquatur, declarat. Quod autem ait, Videtur, non ita intelligeodum est, ac siquis hæsitaret, sed tanquam apparet. Simpliciter quatuor modis dicitur: significat enim ad summā, & vniuerse, quæ significatio apud oratores in vsu frequenti est. Proprie, vt cum inquit Aristoteles simpliciter ortus, proprium ortum intelligit. Temere, & nulla de causa, vt cum dicimus, herus simpliciter seruum verberat, intelligendum est perinde, ac si diceremus, perperam, hoc est, cum nulla causa subsit, qua sic affici seruus debeat. Postremo significat, vno modo, qua significatione dictum est, Veritatis simplex sueuit esse oratio: & ita nunc acceptū est: Videtur, inquit, nec genus, nec speciem vno modo dici debere.

Nam & multitudo aliquorum, qui ad vnum quiddam affecti sunt, atque inter se cognatione quadam iunguntur; Genus appellatur: qua significatione vocatum est Heraclidarum genus ab vnius Herculis relatione, ac nonnullorum multitudinis, qui ea societate sunt inter se coniuncti, quam ab illo traxerunt, qua eadem significatione à cæteris generibus secluduntur. Alio item modo Genus dicitur id, à quo aliquis ortus initium ducit, siue ab eo, qui genuit, siue à loco, in quo quispiam natus est: ita enim Orestem à Tantalo, & Hylum ab Hercule genus duxisse, ac Pindarum genere Thebanum, ac Platonem Atheniensem affirmamus: patria enim perinde ac pater cuique ortus principium præbet. Atque hæc significatio se nobis offerre primum videtur: nam Heraclidæ dicuntur ij, quibus Hercules initium dedit. Cecropidæ itidem, atque ijs agnatione coniuncti appellati sunt, qui à Cecrope sunt profecti. Prius enim Genus appellatum est, cuiusque ortus initium, deinde eorum multitudo, qui ab vno principio, vt ab Hercule, quasi quodam fonte manarunt: quam sanè multitudinem distinximus, & à cæteris disiunximus, cum vniuersam multitudinē, quæ ab Hercule initium sumpsisset, Heraclidarū genus vocaremus.

PRIMAM Generis significationem exponit, quam ait duas habere relationes: alteram multitudinis ad multitudinem, alteram multitudinis ad vnum: vt Heraclidæ ad Herculem affecti sunt, quatenus ab illo genus ducere dicuntur: & eorundem inter se, quatenus sibi ipsis patrui, & nepotes sunt, aut quauis alia generis agnatione coniuncti: nam illud verbum, Quadam, recte additum est, quippe cum alia alteri ex ijs, qui sub eodem genere continentur, relatio fit: vt vel alij aliorum patres, liberi, patrui, vel frates, aut consanguinei sint ita, vt huiuscemodi genus perficiant. [Qua significatione vocatum est Heraclidarum genus.] Cum dixit, Heraclidarum, ipsum ab alijs generibus separauit, veluti à genere Tantalidarū, & omniū reliquorū. [Ab vnius Herculis relatione, ac nonnullorum multitudinis.] Duæ item relationes accipiuntur, vnius ad vnum, causæ, & effecti, vt Herculis ad aliquem Heraclidarum, vtpote qui causa sit: effectus vero is, qui ab illo profectus est. id quod vel à patria, vel à loco, in quo natus quispiam fuerit, deriuari potest, prout Platonem Atheniensem genere, & Pindarum Thebanum dicimus. Relatio quatuor modis dicitur: ex arte, vt doctoris ad discipulum: vel ex fortuna, vt domini ad seruum: vel delectu, vt amici ad amicum: vel propter naturam, vt patris ad filium: sed superiorum relatio est ordine naturæ. [Qua eadem significatione à cæteris generibus secluduntur.] Sciendum est, res distingui alteram ab altera vocibus, & nominibus, quæ aliquid significant: natura enim nobis est comparatum, vt hunc hominem vocari, hūc canem, & reliqua permulta disceremus: & hoc pacto vnamquamque rem à cæteris separaremus. Etenim singulæ artes, cum nouum quiddam, atque etiam admirandum præter alias artes docere volunt, proprijs instrumentis nomina imponūt ita, vt res ipsæ declarentur: verbi gratia, Geometræ cum multas triangulorum differentias traderent, aliud scilicet tria latera æqualia habere, aliud duo tantum, aliud tria non æqualia, proprijs nominibus vsi sunt: quodq; tria æqualia latera haberet, ἰσόπλευρον, quod duo tantum, ἰσοσκελὲς, quod vero tria non æqualia, σκαληνὸν, appellauerunt, cum præsertim ex ijs vocibus vellent vnumquodque horum triangulorum significare. Itaq; hac ratione ex nominibus res significantur. [Atque hæc significatio se nobis offerre primum videtur.] Adhibuit latebram obscuritatis, cum nullo interiecto medio ad primam generis significationem explanandam aggressus est: fuerat enim indicādum de quo genere haberetur sermo: Ipsa tamen exempla nobis argumento sunt, non de posteriori, sed priori verba fieri. primam enim hanc generis significationem videri nobis in promptu, & magis ex consuetudine cognitam dicit: multorum inquam ab vno, vel in multos relationem: quæ prima generis significatio est, se nobis primum offerre, atque in promptu propter consuetudinem inquit esse. Sed est hoc loco non immerito dubitandum, quare primum genus traditum, & nō vnius ad vnū relationem, hoc est secūdum genus in promptu esse dixerit, cum illud ordine naturæ notius sit: primum enim natura ex vno vnum, multos deinceps ex multis facit. Nos hanc dubitationem hoc pacto tollemus: Secunda generis significatio, quæ nobis posterior est, est ordine naturæ certe prior: nam ab Hercule vnus primum, multi deinde oriuntur. Ac prima generis significatio, quæ natura prior est, quantum ad nos spectat, secunda est: & quæ natura posterior est, nobis prior existit: atque, vt summatim dicam, quæ ordine naturæ priora sunt, nobis sunt posteriora: quæq; naturæ posteriora, nobis sunt priora. Naturæ ordine, vt res exemplo declaretur, prima sunt materia, & forma, deinde quatuor elemēta, tum caro, & ossa, cæteræq; partes generis eiusdem, postremo homo: natura enim sic à superioribus ad inferiora delabitur. At nos, qui proniores ad inferiora, ac procliuiores sumus, à propinquioribus ad longinquiora respicimus, & ab ijs, in quibus est maior materiæ pars, ad ea, quæ materiæ expertia sunt, ascendere volumus. Primum enim hominem cognoscimus, deinde ex ossibus, & carne cōponi illum percipimus, tum hęc ex quatuor elementis constare, hæc postremo à materia, & forma deriuari intelligimus: ex quo conficitur, vt quæ natura priora sunt, nobis cognitione fiant posteriora; quæque natura posteriora sunt, cognitione nobis priora efficiantur. Prima igitur generis significatio facilior, obscurior secunda: id quod fuit in causa, vt Porphyrius illius significationem se nobis primum offerri, & in promptu esse dixerit: cum præsertim à facilioribus doctrinam exordiri debeamus: & quia philosophorum genus de quo nunc agitur, simile est ijs generibus, quæ à nobis exposita sunt, & similitudine quadam cum illis iungitur.

Alio

Alio quoq; modo Genus illud appellatur, cui species subijcitur, eorum forsitan similitudine, quæ prædiximus. Etenim id genus formarũ, quæ ei subiectæ sunt, initiũ est, multitudinẽq; vniuersam, quæ ipsi subiecta est, continere videtur.

EXISTIT autem hoc loco quædam quæstio, quid causæ sit, cur cum aliæ multæ generis significationes sint, ipse has solum annumerauerit. Nam alias generis significationes esse Plato, qui Substantiam, Idem, Alterum, Motum, & Statum eius, quod est, genera constituit, planum, atque apertum fecit. At Porphyrius de his non loquitur, quoniam, sicut ante dictum est, sibi propositum erat, de ijs verba facere, quæ ad Aristotelis sententiam pertinerent. Verumenimuero ipse quoque Aristoteles in Physicis materiam vnicuiq; arti subiectã Genus appellare videtur: vt in ignaria, ligna: in medicina, humana corpora: & in omnibus naturalibus, materiam primam. Sed Porphyrio propositum non erat hęc proinde, vt Physici solent, considerare: sed vt faciunt ij, qui differendi, & ratiocinationes efficiendi viam, ac rationem docent. Tertiam igitur significationem connumerat eius generis, de quo philosophis sermo est, quod sanè quandam habet cum prædictis similitudinem. Nam vt prima generis significatio duas quasdam relationes habet, multorum ad vnũ, & eorum inter se: ita quoque species ad genus, & ipsæ species inter se seferuntur. Quemadmodum etiam secunda generis significatio relationem vnius ad vnum, & causæ ad effectum habet: sic & genus vnius relationem ad vnũ, vt animalis ad hominem, & effecti ad causam habet. Illi fortasse, qui primi nomina rebus imposuerunt, cum diuersas hominũ prosapias discerni vellent, hoc Heraclidarum genus, Aeacidarum illud, & aliud Pelopidarum vocauerunt: philosophi posteà illos imitati, sua genera nuncuparunt. Nam vt Heraclidarum genus sub se omnes continet, qui ab Hercule initiũ duxerunt: ita & animal, quod genus est, efficit: singulorum enim animalium, hominis scilicet, equi, canis, & reliquorum, vniuersale animal appellatur. Ac sæpe etiam philosophi sua genera prius inuenerunt, illi postea, qui nomina rebus imposuerunt, ad philosophorum imitationem in hominum familijs genera nominauerũt. id enim in vtranque partem intelligi potest. id quod in causa est, vt ambigatur, verũ philosophi huius nominationis principes extiterint, an illi, qui verba construxerunt. Signo enim est illa dictio, Forsitan, quæ addita est, Porphyrium hac de re addubitauisse.

Itaq; tribus Generis significationibus explanatis, de tertia tantum philosophis habenda ratio est: idq; nobis hac descriptione patefaciunt. Genus est, quod de multis, ijsq; specie differentibus dicitur, cum quid quicque sit, rogatur, vt animal. Ea enim quæ dicuntur, cum de vno solo enunciantur, velut indiuidua, prout Socrates, hic, atque hoc: tum de multis, vt Genera, Species, Differentiæ, Propria, Accidentiaq;, non ea quidem, quæ proprie in vno, sed quæ in multis communiter insunt. Estq; Genus, vt animal: Species, vt homo: Differentia, vt rationis particeps: Proprium, ut facultas ridendi: Accidens, ut quod album est, quodq; nigrum, sedere.

GENERIS significationibus enumeratis, ait philosophos tertij generis habere tantummodo rationem, id quod etiam descriptione apertum fecerunt. Nobis igitur quid Descriptio sit, quidq; Definitio, quæue inter vtranque differentia, & quam ob causam ea descriptione, & non ex definitione genus docuerit, cum definitiones subiectæ rei vim, & naturam declarent, propriaq; concludant, & nihil inferãt alienum, necessario dicendum videtur. In omnibus igitur rebus aut vnum est, aut plura: & propterea vnumquodque aut nomine, aut oratione significatur. Per nomen, cum vnum aliquid: per orationem vero, quãdo aliquid pluribus partibus constans intelligitur. Verbi gratia: si Hominem significare velimus, & hoc nomine, Homo, & oratione, quæ est, Animal rationis compos, mortale, significabitur. Atque ea quidem oratio rerum subiecta significans, vel ex sua sumitur ui, atq; natura, vel assumitur foris. Si igitur ex rei ui sumatur, Definitio dicetur, quemadmodum hæc, Animal rationis particeps, mortale, quæ hominis naturam perficit. Si vero ex ijs, quæ aduentitia sunt, eliciatur, Descriptio nominabitur: vt, Homo animal est, recte gradiens, latos vngues habens, & manibus vtens: hæc enim hominis naturæ adueniunt, eam tamen non perficiunt, sed tantummodo simul eueniunt. Hoc igitur inter Definitionem, & Descriptionem interest, quòd Definitio ex ui, atque natura rem apertam facit: Descriptio vero ex ijs, quæ aduentitia sunt. Dicitur Descriptio quasi adumbratio quædam, & primæ picturæ lineamentum rude: nam velut apud pictores adumbratio imaginis figuram ostendit, non tamen pure, & perfecte: sic descriptiones rem, nõ tamen plene manifestam reddunt. Definitio autem rem clare nobis referat. Definitio igitur perfectæ picturæ, & Descriptio primæ pictorũ adumbrationi cõparari potest. quod etiam in causa est, vt ὑπογραφὴ dicatur, quod uocabulum & descriptionem, & rudem, crassamq; adumbrationem significat. Cum igitur definitiones ex genere, & formarum efficientibus differentijs assumantur, summiq; generis genus nõ extet, ut ne ex ipsomet genere, differentijsq; generis definitio traderetur, (nã de summo genere nunc sermo habetur), non poterat Porphyrius generi dare definitionem: coactus igitur est, illud nobis ex descriptione declarare. Damus enim operam, ut eas res descriptione explicemus, quas definire nullo modo possumus. Itaque Generis definitionem dare nequimus, quoniam, ut dictum est, de summo genere, quod reliquis omnibus conuenit, uerba fiunt. summi namq; generis non inuenitur genus, desineret enim summum esse: atq; ubi genus non est, definitio tradi nullo modo potest. Etenim Definitio omnis ex genere, differentijsq; definitam rem cõplentibus constat. At si genus non sit, non erunt quoque differentiæ formarum procreatrices. Efficientes enim formarũ differentiæ sunt, quarum in generum diuisionibus usus est maximus, de quibus post nobis dicendum erit. Cuius igitur genus non est, differentiæ quoq; efficientes nõ sunt: cum itaq; genus non sit, nec efficientes summi generis differentiæ, definitionem quoque non esse sequetur. Atq; id in causa primũ fuit, ut generis definitio nõ traderetur: Deinde cum genus homonymum sit, non definitur: decem enim modis dicitur, ut in Categorijs uideri potest. Homonyma enim definiri nihil est cur putẽ posse: sunt enim simplices uoces, differuntq; tantummodo à rebus, quæ ex ipsis significantur: & definitio rei uim, & naturam significat. Quorum autem cunq; definitiones eædem sunt, res quoq; eædem sint, est necesse. Vnam igitur communem homonymorum definitionem tradere nõ possumus: quo fit, ut ea per descriptionem explanentur. In ijs enim, quæ in ui, ac natura differunt, esse eadem accidentia possunt, ueluti hoc in loco luculẽter uidetur. Sunt enim inibi multa genera, quæ propter uim, atque naturam inter se differunt: una tamen, atq; eadem omnibus inest ad comprehensas sub se ipsis species relatio. Summi igitur generis Porphyrius ideo non definitionem, sed descriptionem tradidit, ut ea posset omnibus decem cõuenire. Dubitabit fortasse de his quispiam, & inquiet: Si homonyma non definiũtur ex eo, quod tenues, simplicesq; uoces sint, definitioq; rei naturam significet, qua nam ratione describi possunt: siquidem descriptio accidentium concursione subiectam ipsis uim declarat: in eius enim naturæ, cui hæc accidunt, cognitionem nos inducit: itaq; cum unam homonymorum descriptionem tradamus, & per eandem in subiectæ naturæ cognitionem deueniamus, nõ modo nomina, sed res etiam eadẽ esse comperietur: quod nihil est, cur fieri posse putem, propterea quòd decem genera Substantiam, Quantum, Quale, & reliqua in quibus genus homonymum est, esse eadem inueniremus. Hæc sanè dubitatio reiecta, & confutata esse poterat à nobis, cum nuper diceremus, in ijs, quæ ex ui, atque natura differunt, posse eadem inesse accidentia, ex quibus assumeretur descriptio: fieri igitur potest, ut decem summa genera eandem relationem suscipiant: nam Substantia cum in se corporeum, & corporis expers contineat, est eorum genus. sic Quãtitas cum duas species coniunctam & deiunctã contineat, genus earum est. Quale item, cum plures species comprehendat, ipsarummet genus est: idq; in reliquis eodem modo. Ita fit, ut in omnibus decem generibus una, atq; eadem relatio accidat. Proinde mirum non sit, si una eo-

rum descriptio tradatur, quæ per uim, ac naturam differunt, & ea, quæ describantur, eadem non sint. quippe cum decem genera id commune habeát, vt vnum eorum quodq; de multis, nó tamen de eisdem, aut totidem dicatur. ac si forte vnű de quatuor formis diceretur, & de totidem aliud, hæc quidem inter se conuenirent, in eo quod de multis dicerentur, sed quia non de eisdem, ac talibus, discreparent. Descriptio igitur vel ex vi nominis, ac notatione, aut ex fortuita proprietatű concursione sumitur: eaq; proprie descriptio dicenda est. Ex notatione hoc modo: homo dicitur ἄνθρωπος, ἀπὸ τῶ ἄνω, καὶ θρεῖν, quòd supra aspiciat. vel ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, id est contemplans quæ vidit, vel quòd oculos altissimum locum obtinentes habeat, ex quo plurima circunspiciant. Ex fortuita concursione sic: Homo animal est, recte gradiens, latos vngues habens, vt supra diximus. Definitio omnis vel ex materia assumitur, vel ex forma. Ex materia, vt cum iram sanguinis feruorem in corde definimus: ex forma, cum iram esse dicimus vlciscendi libidinem: vel ex vtrisq;, veluti cum iram sanguinis in corde feruorem, & vlciscendi libidinem definimus. At cum ex sola materia, sola'ue forma sumitur definitio, imperfecta est: cum vero ex vtrisq;, perfecta est: quandoquidem vtrunque significat: Est autem perfecta, quæ ex generibus & differentijs rem constituentibus efficitur. genus enim materiæ simile est, formæ differentia. Hæc igitur definitio ad nullas alias res, quàm ad eas, quæ intermediæ sunt, transferri potest: siquidem nec prima, nec vltima genera, neque differentias, quæ generis vim naturamq; complent, sed species, velut indiuidua, solum habeat. Ex quo conficitur, vt eorum descriptiones, & non definitiones tradantur, vt Socrates est Sophronisci filius, Atheniensis, philosophus, ventre opimo, & adipato, caluus, naso adunco, & siquid præterea in eo insit. Quicunque dicunt genera, quæ appellantur generalissima, differentias, quæ vim generis absoluunt, habere, non recte dicunt: quonjam eas tantű differentias habent, quibus genera in partes diuiduntur, non quæ generis vim, naturamq; complent. Omne enim efficiēs effecto prius est: nam, vt paulo ante dicebam, efficiētes aliquorum differentiæ multo prius diuidentes erunt, quàm summa genera. Ratione igitur vtens, & mortale, quæ hominē efficiunt, & mortale, ac rationis expers, ex quibus equus efficitur, genus, animal scilicet, diuidunt, quod in ratione vtens, & rationis expers, mortaleq;, & immortale distinguitur. Recte igitur effectrices aliquorum differentias effectis antiquiores esse dictum est, ac nihil summo superius est. His ita distinctis, cum summi generis dare definitionem non posset, merito descriptione illud patefecit. Verum vt percipiamus quæ nam, & unde hæc descriptio sumpta sit, erit hoc pacto dicendum: vt etiam intelligamus, non fortuito, & temere harum quinque vocum doctrinam à Porphyrio traditā esse: quinetiam omnem vocem sub harum aliquam necessario reduci oportere, & Porphyrium hanc rationem prouidentissime cōstituisse. Ex vocibus aliæ nihil quicquam significant, cuiuscemodi sunt Cnax, Blityri: aliæ significant illæ quidem, sed vel de vno dicuntur, prout sunt Socrates, Plato, & cæteri singillatim: vel de multis. Quæ de multis dicű tur, vel ex ui, atque natura: vel per id, quod aduentitium est, dicuntur. Quæ præterea ex ui, atque natura, vel in quęstione, qua quid quicque sit, quæritur, vel in qua qualitas inuestigatur, efferuntur. Si in quæstione, qua rei natura indagatur, aliqua vox enuncietur, vel de ijs dicetur, quæ specie differunt, vt Genus: vel de ijs, quæ differunt numero, vt Species. Si in quæstione, qua rei qualitas, & modus inuestigatur, erit Differentia. Quæ vero ex eo dicuntur, quod ad rei naturam annititur, vel de vna specie, vt Proprium, vel de multis, vt Accidēs, dicuntur. Hæc sanè diuisio quascunque voces necessitate quadam sub illis quinque, nec pluribus, aut paucioribus contineri demonstrat. Voces tum significare, tum non significare diximus. Quæ significāt, vel de vno dicuntur, vel de multis. De multis dicuntur Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Septem igitur voces cum sint, nihil significantes, de vno dictæ, & quæ de multis dicuntur, Genus inquam, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, duabus primis sublatis, quinq; supersunt. Voces non significātes ideo abiiciuntur, quia nec grammaticis, nec oratoribus, & multo minus philosophis vlli vsui sunt. Illæ præterea, quæ de vno dicuntur, remouentur, quia singularum rerum sunt: & singula infinita cum sint, comprehendi scientia non possunt. At philosophi certa sciētia tradere omnia profitentur. Scientia enim, vt in Cratylo inquit Plato, dicta est, quòd in quendam definitum quæstionum statum, ac metā perducat. Singulæ igitur res cum multæ sint, atque interminatæ, scientiam non faciunt. Quæ vero de vno dicuntur, de singulis dicuntur: id quod in causa esse potissimum videtur, cur prætermittantur, & quinque tantum restent: videlicet Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidēs: sub quibus omnia, quæcunq; finita sunt, atque adeo vocem vnamquanque inuenies, licet motionē, aut infinitatem quispiam nobis obijciat. Sed de ijs sit in diuisione satis iam dictum: deinceps autem copiosius agendum est, proinde ordiar. Vocum aliæ non significant, vt cnax, blityri: aliæ significant. De ijs quæ nullam significationem habent, nulla habetur ratio: appellanturq; hæ ἀκατηγόρητοι, ex eo, quòd de nullo dicantur. Significātes vel de vno dicuntur, vt Socrates, Plato: vel de multis, vt Genera, Species, Differentiæ, Propria, atq; Accidentia. De singulis nō loqui philosophos diximus. Quæ de multis dicuntur, vel ex ui, atque natura, vt Genera, Differētiæ, Speciesq;, quæ rei naturam absoluunt, dicuntur: vel non ex ui, atq; natura, vt Propria, & Accidentia, quæ rei subiectæ naturam non complent. Earum rursus, quæ ex ui, atque natura dicűtur, aliæ de specie differentibus, ut Genera, & Differentiæ: aliæ de numero differentibus dicuntur, uelut Indiuidua, quæ inter se differunt non specie illa quidem, sed materia, & numero, vt fuscus equus, & fuluus: non enim specie quicquā discriminis habent inter se, sed numero, & materia. Denarius præterea numerus ex decem non compactis, sed distinctis componitur: ex decem enim coniunctis nunquam denarius numerus componeretur. Ex his igitur Generis, Speciei, & Differentiæ discrimen habemus. Hoc vero modo discordant inter se. Species de numero differentibus dicitur, Genus vero, ac Differētia de multis, ijsq; specie differentibus dicantur. Quædam etiam in quæstione, qua quid quicque sit, indagatur, enunciantur. In quæstione qua quid aliquid sit, inuestigari dicitur, quoniam siquis nos rogauerit, quid homo sit, animal, quod genus est, respondebimus: id quod in causa est, vt Genus in quæstione, qua quid quicque sit, quæritur, dicatur. In quæstione vero, qua rei qualitas quæritur, dici quippiam affirmamus, quia ipsa qualitas, aut modus inuestigatur. Si, verbi causa, rogauerit nos quispiā, quale animal homo sit: rationis compos, differentiam videlicet, respondebimus: ex quo efficitur, vt Differentia in quæstione, qua rei qualitas indagatur, enunciari dicatur. Liquido ex ijs apparet, quid inter Genus, & Differentiam intersit: nam hoc in vtrisq; discrimen est, vt Genus in quæstione, qua quid quicq; sit: Differētia in quæstione, qua qualitas inuestigatur, enuncietur. Præterea ex illis, que non dicuntur ex ui, atque natura, aliæ in vna quadam specie insunt, vt Propria: aliæ in multis, vt Accidentia. Quæ sanè diuisio Proprij, & Accidētis nobis discrimen declarat. Proprium enim in vna specie, & Accidens in multis inest. Cum igitur hæc diuisio se habeat ad hunc modum, omnem vocem sub harum quinq; vna cōstitui necesse est. Perspicuű quoque est, nos ex proposita diuisione vniuscuiusque, vel definitionem, vel descriptionem tradere posse: modo eligamus quæ ad cuiusque rei explanationem vtilia esse videantur: quemadmodum ipse Porphyrius fecit, cum ait:

[Genus est, quod de multis, iisque specie differentibus, dicitur, cum quid quicque sit, rogatur, ut animal.]

Illa autē verba, [De multis:] genus ab indiuiduis distinguunt, quæ de vno tantű dicuntur: cum adderet, [Iisq; specie differētibus:] genus à specie, & proprio separauit. Subiungēs postea, [Cum quid quicq; sit, rogatur:] genus à differentia distraxit, atq; ab accidēte. Ac nos quidem ita diuisionem amplificauimus, cum ostendere vocum differentiā vellemus, ac docere, his tantum, nec pluribus, nec paucioribus opus esse Aristoteli. Cum septem voces sint,

duabus

duabus reiectis, quinq; tantũ supersunt. Philosophus nolẽs nunc causam afferre, ob quã his solis vsus sit Aristoteles, sed duntaxat significantium quinq; vocum differentiam declarare, arctius hoc pacto diuisionem compressit. Ea, inquit, quę dicuntur, cum de vno solo enunciãtur, tum de multis: & superiorem diuisionis partem reliquit: Ac de uno quidem dicuntur, vt indiuidua, veluti Socrates, Plato, Alcibiades: de multis vero, uel de specie differẽtibus, uel numero. De specie differẽtibus Genus, Differẽtia, & Accidens dicuntur. Genus enim, uelut animal, de multis formis, hoie scilicet, equo, & cane dicitur. Differentia, ut rationis compos de angelis, & hominibus dicitur: & mortale de ijs etiã, quæ sunt rationis expertia, vt de equo, & reliquis bellnis. Accidẽs de multis formis, vt de cãdore, nigrore, statione, motioneq; dicitur. Species, & Proprium ea sunt, quæ de numero differentibus dicuntur. Quæ de multis, & specie differentibus dicuntur, vel in quæstione qua quid quicq; sit: uel in ea, qua modus, aut qualitas inuestigatur, dicuntur. In quæstione qua quid quicq; sit, quæritur, dicitur genus, in qua qualitas, dicitur accidẽs, quod separari nõ potest, in qua uero modus, dicitur accidẽs, quod separari potest. Nam interrogati, quomodo se habeat Plato: bene illum ualere, aut ægrotare, aut sedere, aut aliquid eius generis respondebimus. Dubitarę nunc par est, si quinq; uoces memoratæ sub uoce, tanquã earum genere constituãtur, & genus sub ipsis cõstituatur, num sit genus summi generis: hoc enim esset perabsurdum. Dicimus igitur, Genera non ueluti res, sed tanquam uoces sub hanc diuisionem adduci: nam ut summæ res, non amplius sub quid communius adducentur. [Ea, quæ dicuntur.]

Iis uerbis quomodo exposita generis descriptio ipsum genus ab alijs distinguat, declaratur. [Hic, atq; hoc.] Hæc enim singula sunt, quæ de uno dicuntur. Ac recte mea quidẽ sentẽtia philosophi huuc loquendi modũ à singulis traxerũt: nam cum demõstramus, hoc, illud, & aliud dicimus: siquidem hæc & sub demonstrationẽ, & sub sensum cadunt. homo enim, atq; animal, si uniuerse sumantur, pari quoque modo cæteræ uniuersæ res, quæ in opifice sunt, neque sub demõstrationem, neq; sub sensum cadunt. Recte igitur singulas res, nõ autẽ uniuersas in demonstrationem redegerunt. Indiuidua ideo dicuntur, quia nec in specie similia, nec dissimilia diuiduntur, id quod genera, & species faciunt: nam Indiuidua unà cum diuisione corrumpuntur, ac tolluntur: animal enim, quod in me est, commune nõ est, sed mihi soli adscribitur. Simili quoque modo rationis compos, atque omne compositum, ex quo homo definiatur. [Accidentiaq; non ea quidẽ, quę proprie in uno, sed q̃ in multis cõmuniter insunt.]

Singula de multis non dicuntur, ut candor in corpore, uel in Vlysse cicatrix, ex qua à nutrice agnitus est: in solo enim Vlysse cicatrix inerat, secus quonam pacto nutrix illum ex cicatrice agnouisset? propterea igitur dixit accidẽtia, quæ in multis cõmuniter, & nõ quæ in uno insunt: id est uniuersa, & nõ singula. [Estq; genus, ut animal.] apertissimã doctrinam reddit, cum exemplum uniuscuiusque quinque uocum supponit.

Genera igitur ab ijs, quæ de vno tantum efferuntur, intersunt, quòd ea de multis enunciẽtur: ab ijs autem, quæ in multis dicuntur, à specie, quoniã species etsi de multis, non tamen specie, sed numero differentibus enunciatur. Homo enim species cum sit, de Socrate, deq; Platone dicitur, qui inter se non specie, verum numero solum discrepant: at Animal, quod genus est, de homine, boueq;, atq; equo dicitur, qui non solum numero, sed etiã specie sunt inter se diuersi. Præterea Genus, et Proprium hanc habẽt dissimilitudinem, quòd Proprium de vna tantum specie, cuius propriũ est, deq; indiuiduis, quæ ab eo continentur, enunciatur: velut facultas videndi de solo homine, ac singulis hominibus effertur: at Genus non de vna specie solum, sed de multis etiam, ijsq; differentibus enunciatur.

Q*uomodo* Genus ex descriptione à reliquis separetur, hæc nobis perspicuũ faciunt. Etenim Genus de multis, ijsq; nõ numero solum, uerum etiã specie differentibus, Species autẽ de numero differẽtibus tantũ dicitur: una igitur quæq; uox hoc modo definiẽda est, aut describẽda: Genus uox est significans, quæ de multis, specie aũt differẽtibus, dicitur, cum quid quicque sit, quæritur. Differẽtia est uox significãs, quæ de multis, specie autem differẽtibus, in quæstione, qua quale quid sit, indagatur, dicitur. Species est significãs uox, quæ de multis, ijsq; numero differẽtibus dicitur, cum rei natura quærendo inuestigatur. Proprium uox est, quæ significans quippiã rei naturæ aduentitium de una tantũ specie dicitur. Accidens uox est, quæ aliquid foris aduenniens significat, deq; multis, ijsq; specie differentibus, cum quale quid sit, aut quomodo se habeat, inuestigatur, dicitur. [At animal, quod genus est.] Scire debemus, quæcunq; differũt specie inter se, numero quoq; differre: at quæ numero differunt, nõ itidem specie differunt, neq; enim reciprocatur oratio. Nec quenquã fugiat, Idem triplici modo dici: Idem genere, Idem specie, Idem numero. Genere, ut homo, equus, bos: siquidem hæc omnia & animalia, & eadem ratione generis existunt. Specie, ut Theo, Socrates, Plato: nam hi specie sunt iidem. Numero, ut homo, uir, & ensis, ac gladius. Igitur si Idem tribus modis dicitur, Aliud quoq; totidem dicetur: quædã enim Genere differunt, & alia inter se uel specie, uel numero erunt: quæ autẽ genere uicissim differunt, semper uicissim specie differẽt, & numero, uelut homo, & cãdor: differũt enim inter se genere: nam homo animal est, & candor qualitas. Quin Specie itidem differẽt, quoniã alia est hominis, & alia cãdoris species, uel ex eo, quòd homo animalis species est, quod genus est: Candor aũt est qualitatis, & coloris species. Sed Numero pariter differẽt: homo enim qui percipi sensibus potest, ut Socrates, alius, ac diuersus est à Platone. Recte igitur ea, quæ Genere distãt, specie quoq;, numeroq; dissimilitudinẽ habere dictũ est nobis. Quæ Specie disparia sunt, numero quoq; sunt differentia, nõ tamẽ etiã genere: ut homo, equus, inter quæ speciei ratione uarium interuallum interiectũ est, quãdoquidem alia est hominis species, & equi alia. Quę Numero, nihilominus sunt alia: nam alia est hominis, & alia equi materia. Genere uero cũ utraq; animalia sint, repugnãtia nõ sunt. Quæ uero ab alijs numero absunt, nec genere, nec specie inter se omnino interesse oportet: ac propterea dixit. [Qui non solũ numero, sed etiã specie sunt inter se diuersi.] proinde ut si compertum iam esset, ea, quæ inter se specie discrepantia sunt, numero quoque semper habere uarietatem.

Hoc demum Genus, Differentiæ, communiaq; Accidentia inter se differunt: quòd etsi Differentiæ, cõmuniaq; Accidentia de multis specie diuersis dicuntur, non tamẽ in ea quæstione dicuntur, qua quid sit, sed qua quale quippiã sit, quæritur. Cum enim rogamur, quid nam illud sit, de quo hæc dicantur, nõ differẽtias, & accidẽtia, sed genus respondemus: vel ex eo, quòd differentiæ, atque accidentia non in quæstione, qua quid res sit, sed qualis sit, quæritur, enunciãtur. Nam si quispiã roget, qualis sit homo: rationis particeps respondebimus. Et cum quærat, qualis coruus sit: nigrũ esse dicemus: illud enim differẽtia, & hoc accidẽs est. Siq; roget, quid homo sit: animal dicemus, quod hominis genus ẽ.

D*iffert*, inquit, Genus à Differentijs, & Accidẽtib. uniuersis, quòd illa in quæstione, qua rei qualitas, aut modus quæritur, Genus uero in ea, qua quid res sit, dicitur. Ex ijs, quæ in quæstione, qua quid quicque sit, quæritur, dicuntur, Genus à Specie discrepat, quoniam Species de multis, ijsq; numero differentibus, Genus uero de multis, & specie differentibus dicitur. Est item inter Genus & Proprium discrimen, propterea quòd Proprium uni tantum speciei, & Genus multis conuenit.

Ea re factum est, vt cum Genus in multis dicatur, ab ijs omnibus dissideat, quæ de uno solum dicuntur; quod autem de specie differentibus enuncietur, ab ijs diuersum sit, quæ tanquã Species, & Propria dicuntur, Quòd cum quid res sit indagatur, à Differẽtia, cõmunibusq; Accidẽtibus, quæ nõ


ſpeciem definit, altera cũ à ſpecie incipiat, in genus terminatur. Sola igitur relatione inter ſe differunt, ratione ſubiectæ rei eædem ſunt. Sumit autem initiũ à notiore ſpeciei ſignificatione, quoniã eum Specie, de qua philoſophi loquuntur, quandam habet ſimilitudinẽ: vt enim Species, quæ pulchritudinem ſignificat, ſingulas hominis partes cõplectitur: ita & ſpecies, de qua philoſophi differunt, omnia, quæ ſingillatim diſtincta ſunt, comprehendit.

[Species de uniuſcuiuſque forma dicitur.]

Superius cũ de genere loqueretur, prius q̃ de quo verba faceret, explanauerit, varias generis ſignificationes edocuit: ita etiã hoc in loco, cum de Specie agat, illius ſignificationes exponit, & de qua loquãtur philoſophi, palàm nobis facit.

Illud quoq; Species appellatur, quod generi à nobis iam definito ſubijcitur, ex quo hominem animalis ſpeciem eſſe, cum animal illius genus ſit, & candorem coloris, & triangulum figuræ ſpeciem dicere conſueuimus.

ENVMERATIS Speciei ſignificationibus, declarauit de qua ſermo habeatur: nunc vero ex hac ſignificatione, quaſi exemplo quodam, docet quomodo ſpecies ad genus referatur: triangulum enim & figuram ſumit, ac triangulum vt ſpeciem, figuramq́; vt genus. Nonnulli vitio vertunt Porphyrio, quòd figuram trianguli genus, & triangulum figuræ ſpeciem eſſe poſuerit: aiunt enim, in quibus prius quicquã eſt, & poſterius, id, quod de ijs cõmuniter dicitur, genus eſſe nõ poteſt: ſed triangulũ quadrato prius eſt, illud enim ex tribus lineis, hoc vero ex quatuor cõficitur: & tria priora ſunt quatuor. Alio item modo argumentantur ſic: Omne quadratum in duo rectorum angulorum triangula diuiditur: nam ſi in quadrato ex A, B, C, D, confecto mediam lineam ab A ad D duxeris, quadratũ in bina triangula rectorum angulorum ſecueris. alterum ex A, B, D, alterum ex A, C, D, cõſtat: quo fit, vt quadrato ſublato triangulum non deleatur: ſed ſi auferatur triangulum, fieri nõ poterit, vt quadratum remaneat; quare triangulum naturæ ordine prius eſt quadrato. Idem quoq; in cæteris rectarum linearum figuris demõſtrabitur, in ea videlicet, quæ quinq;, eaq;, quæ ſex angulis cõſtat, in reliquis quoq;, quarum vnaquæq; in triangula diuiditur: Triãgulum igitur ijs omnibus prius eſt: Figura ergo, quæ de ijs communiter dicitur, cum illorum genus eſſe nullo modo poſsit, neque illa eius ſpecies erunt. Sequitur igitur Porphyrium minus proprie triangulũ figuræ ſpeciẽ dixiſſe: qua quidẽ in re omnes, qui Porphyriũ defendere nituntur, hallucinãtur, & improprie, ſed exempli gratia id dictum eſſe aiunt. Nos vero veritatis ſtudioſi omnẽ dubitationẽ his verbis tollemus: Si triangula quadratorum elemẽta eſſent, vt quadrata nunquã niſi ex triãgulis cõponerentur, velut in Timæo dicere videtur Plato, cum omnes rectarũ linearũ figuras in triãgula, veluti in ſimpliciſsima elemẽta diſſoluit: verum eſſet, quod dictũ eſt, & primæ in figuris ſine vlla dubitatione triangulo deferendæ eſſent: neq; figura eſſet ipſorum genus, modo illud quoq; verũ foret, non eſſe genus, quod cõmuniter de ijs, in quibus prius, aut poſterius ineſt, dicitur: nos enim nulla nunc neceſsitas cogit, vt ex ea cauſa fieri quadratũ dicamus, quod triãgulũ prius ſubijciatur: nam Euclides in ſexto, & quadrageſimo præcepto, ſine triangulo ex rectis lineis effici poſſe quadratũ docet: nihil enim obſtat, quin ſine triangulo ex quatuor lineis rectis fieri quadratũ poſsit. Quare falſum illud eſt, quod dicebatur, ſublato triãgulo fieri nõ poſſe, vt quadratũ ſupereſſet. Quid? ſi mediam lineã adiicientes quadratũ in duo triangula diuidimus, iccirco prius, & vt elementũ, vel partem eſſe triangulum dicent? Cum præterea poſsimus ipſum quadratũ in duo quadrata, quorũ altera pars longior ſit, diuidere, & oppoſita latera coniungẽdo, & ſeparãdo, vt ab A ad B, efficere duo quadrata, in quibus altera eorũ pars longior ſit, quæ ſeparabunt C, & D, quadrata ita effecta ipſo quadrato priora eſſe dicentur? nam hac ratione contrariũ quadratũ eo quadrato, cuius altera pars longior eſt, prius exiſteret, ſi quadratũ, cuius altera pars eſt longior, quod vnum latus habet alterius duplum, bifariã in duo quadrata diuideremus. Atqui ſi in circulo media linea ducatur, circulũ in duos ſemicirculos ſecabit: hic erit A, hic vero B. & perſpicuũ erit vnũquenq; ſemicirculũ figurã eſſe ex extremitate lineæ ſemicirculi, & recta linea media conflatã: ita fiet, ut ſimplex circulorum figura ex miſtis ſemicirculis cõficiatur, ſimpliciq; circulo miſtus prior ſit ordine naturæ. Quemadmodum igitur in ijs cogitatione noſtra hanc diuiſionem facimus: nec tamẽ neceſſe eſt quadratum, cuius vna pars longior eſt, prius eſſe quadrato per naturam, præſertim cum quadrata longiora in duo quadrata diuidi poſsint, ſi alterũ è lateribus duplis alterius ſit, ac inſuper ſi miſtæ circuli figuræ ex rectis lineis, & extremitatibus cõfectæ priores ſunt, ita etiam quadratum à media linea in duo triangula, diuiditur, nec ob eã cauſam quadratũ ex triangulis cõponi, & triangula quadrato priora eſſe natura neceſſe eſt. Recte igitur Porphyrius figurã eſſe quadrati genus ſcripſit.



Quòd ſi in genere definiendo, ſpeciei fecimus mentionem, cum Genus eſſe diceremus, quod in multis dicitur, ijsq́; ſpecie differentibus, cum rei natura quæritur: et ſpeciem nunc eſſe dicimus, quæ definito generi ſubijcitur. Illud percipiendum eſt, quoniam Genus alicuius genus, & ſpecies alicuius ſpecies eſt; neceſſe eſſe vt in vtrorumque definitionibus explicandis vtriſque vtamur.

CVM hæc vere, & ſedulo Porphyrius dixiſſet, reciprocata demonſtratione ſe uti oportere exiſtimauit: quæ à philoſophis uel ex eo damnatur, quòd eadem priora, & poſteriora faciat: propoſitionũq; ac cõcluſionum ordinẽ ita inuertat, ut illud, quod primũ eſt, ſecundũ, quodq́; ſecundũ, primũ efficiat, eadẽq; ſibi ipſis notiora, & obſcuriora reddat. Quẽadmodum ſiquis à me quæreret, Anima'ne immortalis ſit: dicerem, etiã, Quid ita? Quoniã, inquã, anima à ſe mouetur: quod ſeſe mouet, nunquã ne moueri quidẽ deſinit: quod finem nõ habet motus, æternũ eſt: anima igitur æterna eſt. Si rogauerit præterea, Quomodo pateat, animã à ſe moueri? demonſtrarem hoc pacto, Anima æterna eſt, quod æternum eſt, nunquã moueri deſinit: quod finem nõ habet motus, ſeſe mouet: anima igitur à ſe ipſa mouetur: Huiuſmodi demonſtratio Reciproca dicitur: cum enim animã æternã eſſe vellẽ demõſtrare, quod à ſeipſo mouetur, primæ propoſitionis loco, æternũ aũt pro cõcluſione ſuſcepi: cũq; mihi demonſtrãdum eſſet, animã à ſe moueri, æternum, quod primũ cõcluſio fuerat, prius accepi, & à ſe moueri, cui ſuperius princeps dabatur locus, concluſionẽ feci, atq; ita id, quod prius erat, poſterius effeci. Ita fit, vt demõſtratio reciprocata, quæ propoſitiones in concluſionẽ, & cõcluſionẽ in propoſitiones mutat, explodenda ſit. Siquidem omnis demõſtratio propoſitiones apertas, & manifeſtas aſſumit, concluſionẽq; obſcurã ex propoſitionibus claram, & perſpicuã reddit. Illa igitur criminãda eſt, quæ hunc ordinẽ peruertit, vtpote quæ obſcurã cõcluſionem in propoſitionis ordine accipiẽs clarã faciat, propoſitionẽq; iam pro cõceſſa acceptã, concluſionẽ faciẽs incognitã reddat. Mulierem præterea lac habere cum demonſtrare voluerimus, dicemus, Mulier hæc peperit, quæ peperit habet lac, mulier igitur hæc habet lac. Si præterea demonſtrare velimus illam peperiſſe, dicemus hoc modo: Mulier habet lac, habens lac peperit, mulier igitur peperit. Hic etiã eadem eiſdem & priora, & poſteriora, notioraq́;, & minus cognita præſumuntur: nam peperiſſe, quod magis liquet, ac prius eſt, accipimus: obſcurũ autẽ, & poſterius, lac habere, deinde apertũ, & prius, lac habere, de quo poſtea minus conſtat, poſteriusq́; eſt, peperiſſe. In hac igitur mutua demonſtratione eadẽ iiſdem priora, & poſteriora, apertioraq́;, & inuoluta accipiuntur. Omnis enim demonſtratio vel ex re cognita rem cognitã declarat, uel rem obſcurã ex clara reſerat. at illa eſt vna omniũ optima demõſtratio, quæ re aperta rem opertã aperit: reliquæ vero demonſtrationes vel falſæ ſunt, vel omnino demonſtrationes dicendæ nõ ſunt. quoniã nec rẽ cognitã ex inuoluta, nec abſtruſam ex latẽte poſſunt vllo modo declarare: neq; res notæ demonſtrationis egent, vt videlicet ab alijs cognitis explicentur. Multo ergo abſurdius eſſet confiteri, manifeſta explanari ab occultis poſſe. Vna igitur ſola vera demonſtratio eſt, quæ ex cognita re, incognitã

cta sunt, ex qua eorum species appellantur: alteram, qua ad inferiora, ex qua eorum genera dicuntur. Extrema vero vno tantum modo comparantur: nam Genus summum ad ea affectum est, quæ sub ipso sunt constituta: cum prioribus autem, quoniam summum est, primumq; principium, atque id, prout diximus, cuius nullum esse genus potest, nullam habet rationem. Ita quoque Species infima unā comparationem habet, eam scilicet, qua affecta est ad priora se, quorum species est: neque enim aliam habet, qua cum inferioribus comparetur, sed eam ipsam, qua species indiuiduorum appellatur: ac propterea indiuiduorum species dicitur, quòd ea complectatur: at superiorum species appellatur eo, quòd ab illis contineatur.

DIXIT, [Proxime,] quod ita accipiendnm est, quasi dicatur, nullo intermedio interiecto: propterea quòd ante indiuidua animal est, non tamen medio vacans, interiacet enim homo. Igitur homo, quia proxime de indiuiduis dicitur, species erit tantum.

[Ita fit, vt duas habere comparationes dicantur.] Substātia, quia nihil ea superius est, uno tantum modo comparatur: affecta enim ad ea solum est, quæ inferiora sunt. Ac Species itidem comparationem modo habet ad ea, quæ se sunt superiora, non etiam ad ea, quæ inferiora snnt: quoniam specie posterius est nihil. Inter hæc quæ interiecta sunt, duas comparationes habent. Vnam ad ea, quæ antecedunt, ex qua illorū species sunt: alteram ad ea, quæ subsequuntur, quorū genera dicuntur esse. Ex prima igitur comparatione Species, ex secunda, Genera nominantur.

[Extrema vero vno tantum modo comparantur.] Summum videlicet genus, & infima species.

[Ac propterea indiuiduorum species dicitur.] Infima species relationem quandem habet ad indinidua: non tamen eādem, quam ad ea habet, quę ante ipsam sunt. Homo Socratis, & Platonis genus oon dicitur, sed species, à qua indiuidua continentur.

Definiunt vero primum Genus sic, cuius esse genus nō potest. Speciem autem vltimam hoc modo, quæ ita species est, vt non etiam genus sit. Atque ita: quæ species est ita, vt in species diuidi nullo modo possit. Et hoc præterea modo: quæ de multis, ijsq; numero differentibus, dicitur, cum rei notio indagatur. Quæ vero inter extrema sunt collocata, Genera, et Species vocant: et vnum eorum quodque esse Genus, & Speciem ponunt, si tamen cum alio, atque alio conferatur. Ea enim omnia, quæ superiora sunt, vltima specie ascendendo vsque ad summum genus, Genera, & Species altera sub altera constitutæ nominantur: vt Agamemnon Atrides, Pelopidesq;, ac Tantalides, & extremum Iouis.

VERBA fecit de Summo genere, Vltima specie, & ijs, quæ inter summum & vltimam interiecta sunt: nunc, quod reliquum erat, ad ea describenda aggreditur. Summum, inquit, genus est, quod etiam species esse nullo modo potest, & quo nullum antiquius. Infima species est, quę ounquam est genus, & quæ non amplius in species distribuitur. Ea, quæ inter extrema statuuntur, tum genera, tum species sunt: de quibus cum vellet disserere, adiunxit exemplum à genealogia, quo res fieret apertior. Quemadmodum, inquit, in ortu, & familiarum descriptione Iupiter quoddam principium est, & quasi caput, & supremus omnium parens, filios esse non potest, ita Orestes solum filius erit: at Agamemnon Orestis pater, Atrei filius: Atreus Agamemnonis pater, Pelopis filius: Pelops Tantali filius erit. In generibus, & formis, de quibus philosophi loquuntur, vno, & eodem modo res se habet: nonnulla enim sunt, quæ solum genera sunt, vt Substantia: nō nulla, uelut Homo, esse tantum species possunt.

Verum in genealogiis cætera ad vnum ferè principium, verbi causa, ad Iouem, referuntur: in generibus uero, ac formis eadem ratio non est: Quoniam id, quod est, non est commune genus omnium: neq; omnia, quæ sunt, vt inquit Aristoteles, ad vnum primum genus referuntur.

HVIVSMODI exemplum in aliquam forte dubitationē nos videtur adducere, quam Porphyrins suis verbis ex animo oobis euellit. Suspicaretur enim quispiam, nunquid vt in prosapiis coniunctiones ad vnum fere omnium initiū, exempli gratia ad Iouem referuntur, nam Iupiter a Poetis pater, diuumque, hominumq; dicitur: hoc quoque loco ita se res habeat, vt videlicet omnia genera summa ad vnū aliquod principium, ad id scilicet, quod est, referantur: nam Substantia est id, quod est, & quātum, & quale, ac reliqua genera. Quod si ita est, decem summa genera nō erunt, sed id, quod est, erit commune genus omnium. Id quod innuens philosophus ait id, quod est, generum summorum genus non esse. Nos rem ita habere demonstrabimus hoc modo: Quæcunque diuidūtur, vel tanquam genera in species diuidūtur, vt cum animal in canem, eqnum, & bouem diducimus: vel vt totum in parteis. idque dupliciter: vel in ea, quorum particulæ suot similes inter se, vel in ea, quorum partes sunt dissimiles. Quæ in similes partes secantur, sunt venæ, arteriæ, caro, & ossa: hæc enim diuisa easdem habent partes, & inter se, atque vniuerso similes. In dissimiles vero, quando corpus in caput, manus, & pedes partimur: vel vt homonyma vox in diuersas significationes, vt canis partim terrestris est, partim marinus, partim cælestis. Si igitur id, quod est, neque vt genus in species, neque vt totum in partes in summa genera partiri probabimus: oportebit, vt tanquam homonyma vox in varias significatiooes distribuatur. Non diuidi igitur tanquam genus io species, est ex hoc perspicuum. Genus cum in formas distribuitur, in omnibus formis æqualiter inest: neque in formis, quatenus generis participes sunt, prius, posterius'ue cernitur: homo enim nec magis, nec prios equo animal est. Item vna specie sublata, reliquas auferri necessum non est: quoniam etsi homo dimouetur, animal tamen, & reliquę species, vt equus, leo, canis, & arbores non abiicientur. Si vero id, quod est, in decem summa genera, vt genus in species diuiditur, in ipsis oec prius esse, nec posterius, nec vnum ipsorū magis, aut minus ex eo, quod est, assumat oportet, sed prius, & posterius in summis generibus omnino apparet: siquidē Substantia prior est, ac reliqua posteriora: qua inquam Substantia sublata, accidentia quoque auferuntur: ex quo conficitur, vt eius, quod est, magis particeps esse videatur. Ea enim Substantiæ vis, ac facultas est, vt efficiat, quò accidentia sint, vtpote quæ in ipsa annitantur: verum vt substantia ipsa sit, accidētium non eget auxilio. Accidentia sanè non essent, nisi substantia foret, cui acciderent: cum enim aliquid alicui accidit, prius intelligendum illud est, cui accidat. Id igitur, quod est, vt genus in species in summa genera oon distribuitur: quoniam licet ablata sit vna species, noo tamen auferetur genus, vt dictum est: nunc vero substantia remota, reliqua genera ad nihilum recident: illius enim beneficio sunt. Id ergo, qđ est, non vt genus diuidetur. Fieri ergo nequit, vt id, quod est, in decem summa genera, vt genus in species, atque vt vniuersum in partes, hasq; vel similes, vel dissimiles diuidatur. Similibus partibus constans est, cuius partes toti similes sunt ita, vt partes à toto nominentur, nec quicquam inter se differant: veluti lignum, & ligni partes, ligna dicuntur, nec inter se differunt. Simili qooque modo neruι pars, carnisq;, ac venæ ex totius appellatione nominantur, & inter se nullum habent discrimen. Id igitur, quod est, vt similibus partibus constans in decem summa genera diuidi oullo modo potest: quia si diuideretur, partes, hoc est summa genera ex toto appellarentur, & ea, quæ sunt dicerentur. Sed magnum & in nominibus, & in rebus inter ea discrimen versatur: aliud quippe Substantia, aliud Quale, aliud Quantum significat. Præterea cum id, quod est partium dinersarum, diuiditur, partes ex toto non appellantur, differunt enim inter se: vt in vultu facile videri potest, cuius partes sunt nasus, oculi, quæ nec à toto appellantur, nec inter se similes sunt. nasum enim nec vultum, nec oculum dicemus. Sequitur igitur, vt id, quod est, in decē summa genera non vt id, quod est dissimilium partium, diuidatur. Etsi enim partes & nomine, & re differunt, noo tamen id, quod est, dissimilibus partibus constare dicetur: quoniam

à totius

à totius nomine partes appellantur. Id enim, quod est, substantia est, & quantum, & quale, & ea, quæ dissimilibus, è partibus sunt compacta. à totius nomine minime sunt appellata. Si ergo neque vt similibus, neque vt diuersis partibus cõstans, id quod est, in decem summa genera diuiditur, nam tãquam genus in species diuidi non posse demonstrauimus, reliquum erit, vt tanquam homonyma uox in diuersas significationes diuidatur

Sed ponenda sunt, vt in decem summis generibus, decem prima genera, quasi decem capita rerum.

NVNC, inquit, rerum primordia veluti decem genera ponamus. Decem principia tantum esse, quia subtiliore eget disputatione, nunc non demonstrabimus: in categorijs enim decem esse probatur. In præsenti vero pro concesso, ac cognito statuatur.

Quæ siquis omnia Esse dicat, homonyme inquit, non synonyme appellabit. Nam si id, quod est, esset commune rerum omnium genus, vna ratione dicerentur: at cum decem prima sint, est nominis tantum, & non definitionis, quæ nomini constituta est, communio. Prima igitur decem sunt: infimæ vero species aliquo sanè numero illæ quidem, sed non infinito continebuntur.

HOMONYMA sunt, quæ idem nomen habent commune, non tamen eiusdem nominis rei, quæ significatur, sunt cõsortia: vt Canis terrestris, aquatilis, & cælestis: omnibus enim Canis nomen commune est, sed differunt, quantum ad res à nomine significatas attinet. Synonima sunt, quæ & nomen, & definitionem habent communem: vt Homo, & Equus: vtrique enim animalia sunt, & communiter animalis nomen possident, eandemque ex animali definitionem sumunt, eæ hæc est, Natura animata, sensus particeps. Ait igitur, Si omnia appellauerimus ea, quæ sunt, homonyme, non synonyme dicemus. Homonyma sunt, vt paulo ante dicebam, quæ tantummodo nomen habent commune: Συνώνυμα vero dicuntur, quarum & nomen commune est, & eadem nomini attributa naturæ definitio. Illud igitur, quod est, solius nominis societatem eorum, quæ sub se sunt, continet. decem prima genera dicuntur entia, definitio tamen naturæ nomini congruens, alia atque alia est. nam vnumquodq; summum genus est ab alio diuersum, qua est, qua nominatur, quaq; definitur. Quibus quidem fit rebus, vt id, quod est, in decem prima genera, in Substantiam, Quantum, Quale, Quę sub eandem rationem cadunt, Vbi, Quando, Facere, Pati, Situm esse, atque Habere, tanquam vox homonyma diuidatur.

Indiuiduorum, quæ secundum formas infimas sunt, infinitus. Quamobrem iubebat Plato, eos, qui à summis generibus ad infimas species descendissent, insistere: eos vero, qui ijs differentijs, quæ speciem absoluunt, diuiderent, per media descendere, indiuiduaque omnino prætermittere, propterea quòd comprehendi scientia non possunt.

INDIVIDVA non ideo infinita dicuntur, quòd sint, sed q iterum, atq; iterum fiant.

[Differentijs, quæ speciem absoluunt.] Id est, quæ substantiæ participes sunt: vt animal in rationis compos, & expers. Sunt enim quædam differentiæ, quæ substantiæ expertes sunt.

[Indiuiduaq; omnino prætermittere.] Quia scilicet sub scientiam non cadunt. Id Plato in libro, qui est de Summo bono, scriptum reliquit, Scientia enim suis finibus continetur, quos egredi non licet. Illud igitur, quod comprehensibile non est, percipi scientia non potest. Ad summam in libro de Demonstratione singularum rerum definitionem, & scientiam non esse, sed solum vniuersarum demonstratum est.

Necesse igitur est, vt ij, qui ad infimas species descendunt, multitudinem diuidendo percurrant.

DIXIT id, quod est, non esse genus primorum, quæ suapte natura definita sunt, & sub cognitionem nostram cadũt. Nunc autem vtrum infimæ species ita se habeant, vt prima genera, perscrutari vult. Nonnulla, inquit, sunt, quæ summũ, & definitum numerum habent, nobisq; non ignotum. siquidem genera summa decem sunt. Infimæ vero species, vt homo, bos, equus, canis, vitis, olea, post quas indiuiduorum diuisio statim collocatur, suapte natura terminatæ sunt illæ quidem, sed incognitæ nobis, cum aliæ alijs in locis fiant. Multæ enim sunt animalium, arborum, metallorumq; species, quæ nos latent: eas tamen, quæcunque sint, definitas esse, ac terminatas sumptione quadam euidenti demonstrabimus. Eo, quod infinitum est, multitudo maior est nulla. Hoc assumpto statuatur infimas species infinitas esse. cum ergo in vnaquaque specie multa indiuidua sint, humana species vna cum sit, in sexcenta, verbi causa, indiuidua, homines videlicet singulos diuidetur: simili quoq; modo equina species, quæ vna est, multa indiuidua continebit. idq; in reliquis omnibus eodem modo. multo maiorem esse indiuiduorum, quàm formarum multitudinem omnibus cognitum est, ac perspectũ: Si vero indiuidua multo plura sint formis, sub quibus locantur, formarumq; infimarum sit numerus infinitus, indiuiduorum numerus maior erit, & latior, quàm numerus formarũ, quem infinitum posuimus. Sed si infinito infinitius est nihil, vel omnino maius, formarum numerus infinitus esse nõ potest: nam cum numerum numero maiorem dicimus, minorẽ terminis concludimus, ac definimus. Quod enim aliquo maius est, exuperantia quadam maius sit necesse est: exuperantia amota, reliquum finibus concludetur, & determinabitur. Hac ergo ratione ultimas species infinitas non esse affirmatum est. Eodem modo indiuidua, quæ sub infimis sunt, etsi formis plura sunt, tamen infinita non esse demonstrabimus. Siquis enim indiuidua infinita dixerit, ea, quæ sub unaquaq; specie sunt, infinita dicere cogetur. Verbi gratia, Indiuidua, q sub humana specie sunt, equinaq;, & reliqua, quæ sub aliis omnibus formis sunt, per sese infinita esse dicet, uel indiuidua, quæ sub unaquaque specie sunt, natura definita esse, omniumq; indiuiduorum, quæ sub formis sunt, congregatã multitudinem infinitam esse confitebitur. Quòd si ea indiuidua, quæ sub unaquaque specie sunt, infinita dicet: aliquid iterum infinito maius, & amplius esse sequetur. singuli enim homines, & singuli equi infiniti sunt. Quod igitur ex utrisque cõponetur, erit duplum eius, quod infinitum est. quodque ex omnibus, multo magis: quo quid dici potest obtusius? Nullo igitur pacto indiuidua sub qualibet specie constituta infinita esse poterunt. quæ si definita sunt, ipsæ quoque infimæ species, atque ex omnibus composita multitudo definita erit. Quod enim ex definitis componitur, ipsum quoque definitum est. Definitus igitur, & terminatus est numerus indiuiduorum, Quod enim semper fit, si semper est æternũ, infinitione præditum est. Qua etiam ratione numerus infinitus dicitur, quoniam augeri semper potest, & non interit: re tamẽ ipsa acceptus, semper definitus est. Sic etiam arenam definitã esse probabimus. id quod Apollo Pythius oraculo edidit.

Noui ego mensuram pelagi, numerumq; arenarum.

Etenim si numerus arenæ infinitus esset, adiecto hominũ numero ex utrisque maior redderetur, & sic aliquid infinitius esset, quod fieri nequaquam potest. Infimæ igitur natura determinatæ sunt, tamen nobis incognitæ. Indiuidua uero natura definita non sunt, propterea quòd iterum, atque iterum generentur. nobis tamen dum actu ipso in tiim formarũ uersa sint, ortusq; initium habuerint, cognoscentur: & si quot sint ignoremus, ita tamen cognita erunt, ut illorum natura, prout etiam infimæ species, se nobis intelligendam præstabit. quãdoquidem illarum numerum terminis præfiniri probauimus.

Qui uero ad summa genera contendunt, multitudinem in unum concludant, necesse est: nam Species multa in unam naturam colligit, ac multo etiam magis Genus. Singulæ uero res unum in multa diducunt. Siquidem speciei societate unus homo ex multis efficitur, & singulorum natura ex vna, & communi re multa fiunt. Ea enim est singulorum vis, vt distrahant, ac dißipent: communium vero, vt cogant, vnamq; naturam constituant.

HOC loco dicere uult Porphyrius, quid eueniat ijs, qui

ab infimis ad summa genera nituntur, & qui à summis ad infimas descendunt.

[Ac multo etiam magis genus.] Species singula tantum indiuidua, Genus uero & ipsas species, & indiuidua comprehendit. Inferius enim ab indiuiduis ad summa conscedendo res multitudine coangustantur, & potestate augentur. Species, quantum ad multitudinem spectat, sunt indiuiduis pauciores, potestate tamen & accretione plures. Eodem pacto species à generibus superantur, donec ad unum summũ peruentum sit. Id quod iure factum censetur: quoniam rerum omnium una sola causa est, & origo: & propterea, quæ ad eam propius accedunt, multitudine coarctantur, facultate uero augentur. At quæ longius absunt, numero augentur, potestate diminuuntur.

Sed cum explicatum nobis sit, quid Genus sit, quid Species, cumque genus vnum sit, species multæ (genus enim semper in multas species diuiditur) restat, vt dicamus, Genus semper de specie, & de inferioribus dici superiora omnia: Species vero neque de genere vltimo, neque de superioribus vllis dicitur, propterea quòd non reciprocatur. Oportet enim, vt vel paria de paribus dicãtur, quemadmodũ id quod ad hinnitum natum est, de equo: vel de minoribus maiora, vt de homine animal. At minora de maioribus dici non par est: neq; enim vt hominẽ esse animal, ita animal esse hominẽ commode dices.

PORPHYRIVS harum quinque uocum doctrinam probabiliter, id est, quantum ad differendi subtilitatem spectaret, sese tractaturum pollicitus erat: explicata ergo Generis Speciciq; natura, quomodo horum cognitio ad sermocinandum nobis afferat adiumentum, uult demonstrare. Quoniam omnis differendi facultas in Demonstratione uersatur, & Demonstratio quædam ratiocinatio est, in ratiocinationibus uero propositionibus opus est: propositio duobus ẽ terminis constat: quorum alter subiicitur, alter enunciatur. Subiectus est, de quo loquimur, alter autem est, qui de eo, de quo sermo habetur, dicitur: ut Socrates ambulat: subiicitur enim Socrates, de quo est oratio: enuntiatur, ambulat, utpote quòd de Socrate dicatur. Si dicatur præterea, Anima à se mouetur: subiicietur anima: &, à se mouetur, enunciabitur. Si item dixero, Homo animal est: homo subiectus terminus erit, animal uero de homine dicetur. & in quacunque propositione eodem modo. Vult simili ratione demonstrare de genere, aliqua scilicet de aliquibus dici, & quædam subijci. atque ut cognoscamus quomodo complicita propositiones faciãt, ex quibus fit ratiocinatio, in qua ratio differendi uersatur, ait, Genus semper de specie dicitur, ut animal de homine; & de animali substantia. Verum species non etiam de genere dicitur, quoniam minime uerum est, siquis substantiam esse animal, & animal esse hominem dixerit. Hinc igitur genera semper de formis dici perspicuum est: at species de generibus nunquam. Et ut summatim dicam, oportet terminos, qui de alijs dicuntur, latius patere subiectis, ut animal homine: uel pares esse, ut ridendi facultas homini. Pares ij dicũtur, quòd uicissim retro commeent: nam ut omnem hominem ridere, ita & omne, quod ridet, esse hominem dicemus.

[De inferioribus dici superiora omnia.] Substãtia de corpore, corpus de corpore animato, corpus animatum de animali, animal de homine dicetur.

De quibus aũt species dicitur, de ijs itidẽ speciei genus, et generis genus usq; ad caput generis necessario dicetur. Nam si uere dicitur, Socrates est homo, homo animal, et animal substantia, Socratem quoque esse animal & substantiam uere dicimus. Cum enim superiora de inferioribus dicantur, species de indiuiduo, & genus de specie, deq; indiuiduo dicetur. Primum uero genus & de genere, seu de generibus, si multa media interiecta sint, & de specie, & de indiuiduo dicetur.

ALIVD preceptum utile ad differendi facultatem tradit: Si, inquit, species de aliquo dicatur, de eodem speciei genus ad summum usque dicitur. Verbi causa, de Socrate homo, de homo animal, igitur animal de Socrate. Animatum quoq; de animali, ergo de homine, deq; Socrate pari modo. Præterea corpus de animato, igitur de homine, animaliq;, ac Socrate. Postremo substantia de corpore, & ob eam causam substantia de corpore, corpus de animato, animaliq;, atq; homine, & Socrate dicetur.

Etenim primum illud Genus de omnibus generibus, formis, atque indiuiduis inferioribus dicitur: Genus uero, quod infima specie prius est, de omnibus formis infimis, et indiuiduis: ea uero, quæ tantum species est, de omnibus indiuiduis, indiuiduum de uno singulorum tantum.

NAM si superiora semper de inferioribus dicuntur, summum de omnibus generibus, quæ ei subiiciuntur, deque formis, & indiuiduis, & speciem de ipsis solis indiuiduis dici constat.

Indiuiduum Socrates dicitur, et hoc, quod album est, et hic accedens Sophronisci filius, modo ei solus filius Socrates sit: hæcq; uel ex eo Indiuidua appellantur, quòd vnumquodque ex proprietatibus constet, quæ omnes in alio reperiri non possunt.

ADDENS, Hoc, illi uerbo, Albũ, quod uniuersale erat, singulare fecit. Quòd autem, Quæ omnes: & non, Quarum unaquæq;, dixerit, hoc fuit in causa: nã unaquæq; illarum proprietatum in alijs inesse potest, omnes uero eædem simul in nullo reperiuntur.

Quæ enim in Socrate sunt, in alio eædem esse nullo modo possunt. Verum proprietates hominis communis, ac uniuersi eædem in multis, atq; adeo in omnibus singulis hominibus, quoniam homines sunt, esse possunt.

HOMINIS proprietates in singulis quoque hominibus esse poterunt. Genera, Species, atq; Indiuidua quasdam proprietates habere sciendum est: Generis tamen, & Speciei proprietates in multis insunt, at Indiuidui, si collectæ sint, illi soli indiuiduo sunt accommodatæ. Generis proprietates, animalis inquam, erunt, Substantia, Animans, Sensus particeps; & hæ multis, homini uidelicet, equo, cani, & reliquis sigillatim animalibus sunt attributæ. Homo cum species sit, has proprietates habet, Animal, Rationis particeps, Mortale, Ad scientiam, & cognitionem natum esse, quæ multis hominibus insunt. Sed ad indiuiduum, uerbi gratia, ad Socratem accedendum est, cuius proprietates sunt, Philosophus, Caluus, Simus, Obesus, Sophronisci filius, Atheniensis, & eiusmodi, quarum unaquæque per sese inesse alijs poterit, propterea quòd alij sunt & calui, & simi, & præpingues, philosophiq;, ac Athenienses, & forte Sophronisci filij: sed omnium collectio, philosophum dico esse, caluum, simum, adipatum, & in eodem tempore fieri, soli Socrati, neq; alij cuiquam inerit.

Ita fit, ut Indiuiduum à Specie, & Species à Genere contineatur: siquidem Genus quiddam totum est, pars indiuiduum, Species vero, & totum, & pars ita, vt alterius pars sit, totum non alterius, sed in alijs existat, quòd totũ ex partibus constet.

SPECIES, si ad indiuidua referatur, totum est: si ad genus, pars: sed quoniam totum, & pars sub eandem cadunt rationem, ex ijs, quæ sub eandem rationem cadunt, nonnulla in recto casu, & nonnulla in obliquo efferuntur, ut Pater filij pater, id in secundo casu dicetur: in tertio uero sic, Amicus amico amicus: in quarto hoc modo, Verberans uerberatum uerberat. Quod cum ita sit, partem alterius, & totum in alijs dixit. Dicimus enim recte Partem totius, & relatio in secundo casu fit: sed Totum partis totum, dicimus nequaquam: quoniam totum ex una parte conflatum non est, sed multis. Dicimus tamen, Totum partibus totum, ac relatio per tertium casum efficitur: totum enim in partibus est. Recte igitur Totum non alterius, sed, In alijs, à Porphyrio dictum est. Scire quoque debemus, in secundo casu numeri multitudinis dici posse, Totum partium totum: sed Porphyrius communem loquendi morem secutus, In alis, dicere maluit.

Ac Genus quidem, & Speciem, quidque Summum genus, quid Infima species sit, quæ Eadem genera, & species sint, quæ Indiuidua, ac quot modis Genus, & Species dicantur, aperuimus.

CVM ait, quæ eadem genera, & species sint, intermedia intelligit, quæ generis pariter, ac speciei subeunt rationem.

[Ac quot modis genus, & species dicantur.] Genus tribus modis, & speciem duobus dici nobis indicauit.

DE DIFFERENTIA.

DIFFERENTIA autem Communiter, Proprieque, ac Maxime proprie dicatur. Alius enim ab alio differre Communiter dicitur, quoniam vel à se, uel ab alio uarietate quadã differt. Etenim Socrates à Platone differebat distinctione, & à se ipse cum esset puer, & in media ætate, cum quid ageret, & cum ociosus esset: ac semper in ijs commutationibus spectatur, in quibus rei modus consistit. Proprie inter aliqua interesse dicitur, quando accidens, quod separari non potest, uarietatem facit. Accidens fixum, & immotum, est ueluti cæsius oculorum color, nasi aduncitas, & cicatrix ex uulnere obducta. Maxime proprie differre dicuntur ea, quæ differentia speciei procreatrice differunt: ut homo, quia rationis particeps est, ab equo distat.

QVID causæ fuerit, cur cum Differentia Specie prior sit, de Specie prius fuerit disputatum, iam reddita est ratio: nunc de Differentia uerba facturus, vtitur Aristotelis regula, de qua feci supra mentionem, Differentiæq; significationes enumerat. Sed quo facilius intelligamus ea, quæ sunt nobis dicenda, ita sermonem ordiar: Differentia est aliquarum rerum inter se uarietas, ac commutatio, quæ uel separari potest, & ex aliquo accidenti est, atque ei natura est comparatum, ut ab illis, in quibus inest, auelli posit, uel non posit. Verbi gratia: Differunt aliqui inter se, si unum sedere, stare alterum contingat: potest enim qui sedet, stare, quique stat, sedere, atque ita differunt inter se: eaque differentia Separabilis esse dicitur, quam Porphyrius Communem uocat: id quod fit, quoniam non alicui præcipue, sed omnibus communiter inest, separabilisq;, ac fortuita differentia est. Verum si differentia separari non poterit, uel per se inerit, hoc est, rei naturam absoluet: uel fortuito, id est, nihil quicquam ad rei naturam conferet. Differentia, quæ auelli à re, in qua sita est, non potest, est ueluti aduncas, uel pressas nares, uel oculos cæruleos habere: interest enim inter aliquos eo, quòd alter simus, alter repandus sit. Fortuitæ differentiæ sunt, quæ rerum subiecta non complent: potest quidem Socrates simus non esse, & tamen esse Socrates. quæ separari à subiecta re non queunt, à Porphyrio Propriæ appellantur: nam alicui determinatum est, ut simus sit. Differentia autẽ, quæ nec separari potest, nec fortuita est, substãtiam complet: eiusmodi est Rationis particeps, & Mortale. Ratio enim nos à belluis distinguit, quia illæ rationis sunt expertes: quã differentiam Maxime propriam uocauit. Differentiarum igitur alia Communiter, alia Proprie, alia Maxime proprie dicitur. Quæ Communiter dicitur, fortuita est, ac separari ab re, in qua sita est, potest: quæ Proprie, fortuita est, nec abstrahitur à re, cui inhæret: quæ Maxime proprie, non seiungitur, & rei subiectæ naturam complet, ac per se inhæret. Quoniã omnis philosophus in iis uersatur, quæ ad perdiscendæ philosophiæ uiam, & rationem spectant, quæ & diuidendi, & definiendi ars est: cumque diuisio, ac definitio nunquam foris, sed ex iis, quæ ex ui, & natura sunt, assumatur, merito de differentia Maxime propria, cum illa substantiæ particeps sit, uerba facit. Prima ergo differentiarum diuisio hæc est. Easdem rursus diuidit hoc modo: Ex Differentijs aliæ Diuersum subiectum faciunt, aliæ uero Aliud, Communis enim, Propriaq; differentia Diuersam rem facit, atque tantummodo immutat. Sedere enim, stare, simum esse, & aduncum, immutant: at Maxime propria Aliud efficit: aliud sanè est Rationis particeps, & aliud Rationis expers. Porrò Diuersum in eorum, quæ ex re sunt, immutatione uersatur: Aliud uero rem omnino alteram facit. Rationis enim compos, animal aliud facit ab eo, quod ratione careat. Sedẽs autem à stante, non aliud, sed diuersum. Simili quoque modo repandus, atq; aduncus. Cum igitur differentiæ tribus modis dicantur, Cõmuniter, Proprie, & Maxime proprie: de iis, quæ Maxime propriæ sunt, philosophi loquuntur. Communes autem, & Propriæ ad generum diuisionem nihil faciunt: quis enim ita abhorrebit, & erit absurdus, ut aiat, Animal aliud sedet, aliud stat? neque enim omnia assumimus, neque alia sima, alia adunca esse ob ipsammet caussam affirmamus. Sed si ad genera diuidenda nullum afferunt adiumentum, multo minus ad definiendum afferent. illæ igitur solæ, quæ Maxime propriæ dicuntur, nobis sunt adiumento. [Maxime proprie dicatur.] Addens, Dicatur, significauit se id nomen construxisse: antiqui enim cum aliquo trito uocabulo uterentur, dicere consueuerant, Dicitur: cum uero ipsi imposuissent, Dicatur, uel Vocetur, addebant. [Socrates à Platone.] Quia sint homines, non differunt, sed quatenus ille ambulat, hic sedet. [Ac semper in iis commutationibus spectatur.] Hoc loco differentiæ fortuitæ intelligendæ sunt. [In quibus rei modus cõsistit.] Id est, quæ ex accidenti sunt: siquidem Accidens in quæstione dicitur, qua rei modus, & qualitas indagatur. [Speciei procreatrice,] Id est, qualitate, quæ speciem perficit: animal enim si rationis compos & mortale suscipiat, hominem: si mortale, & rationis expers, equum, & reliqua animalia ratione carentia efficiet. Ipsæ igitur differentiæ si ad genera addantur, species efficient: id quod in causa est, ut differentiæ formarum efficientes appellentur.

Omnino igitur omnis Differentia alicui adiuncta dissimilem alij facit: sed Communes, & Propriæ diuersum faciũt: Maxime uero propria eum, in quo sit, alium efficit. Quæ igitur alium efficiunt eum, in quo insunt, Efficientes formarum appellantur: quæ uero diuersum, Absolute differentiæ. Si rationis particeps ad animal adiungatur, aliud efficiet: at motus id solum diuersum ab eo facit, qui non mouetur. Quare hæc aliud, illa diuersum solum animal facit. Itaque ijs differentijs, quæ aliud genus faciunt, & genera in partes diuiduntur, & definitiones ex genere, & huiuscemodi differentijs traduntur: ex illis autem, quæ diuersum tantummodo faciunt, uarietates solum, & commutationes eius, quod aliquo modo se habeat, ortum trahunt.

ALTERAM Differentium diuisionem tradit. Ex Differẽtiis, inquit, aliæ eum, in quo sint, dissimilem alii faciunt, aliæ omnino alium efficiunt. Quæ alium efficiunt, Per se; Quæ commutant, Fortuitæ, & Separabiles dicuntur. Separari posse dico Propriam, & Communem: siquidem Propria cogitatione separari potest ab eo, in quo sita sit: nam Socratem absque aduncitate, comatum, gracilem, Socratem tamen intelligere possumus. Illa uero, quæ Maxime propria est, ab eo, in quo inhæret, ne cogitatione quidem auellitur: nunquã enim hominem, si rationis particeps ab eo auferemus, intelligere poterimus, quòd non esset homo: omnes enim homines, & rationis participes, & mortales sunt. Quare simum hominem possumus cogitare aduncum esse, ipso etiam homine remanente: at homo, si rationem, & mortalitatem amiserit, non cognoscetur. Differentiæ igitur Propriæ, Communesque separabiles sunt: cum enim aliquis stans sederit, non factus est alius, sed diuersus: id quod Poëta de Vlysse à Pallade ex euentis commutato significauit: apud quem ita dicitur:

Hospes diuersus mihi nunc, atque ante, uideris.

non enim alium Poëta dixit, sed diuersum, attamen si quispiam simus, aduncus esse intelligatur, non alius, sed dissimilis, ac diuersus fiet: poterit nanq; ille idem, & non aduncus esse. [Quæ igitur alium efficiunt eum, in quo insint, efficientes formarum appellantur.] Rationis particeps non diuersum hominem ab equo, sed alium facit: illa enim Alia dicuntur, quæ ex ui, & natura differũt, ut homo, & equus, de

quibus

quibus ante dixi. [Itaq; iis differentiis, quæ aliud genus faciũt, & genera in parteis diuidũtur.] Animal enim cum rationis compos, tum rationis expers esse dicimus, ac præterea mortale, uel immortale: atque ita postea hominem definimus, Homo animal est rationis particeps, mortale, animum aptum habens ad scientiam percipiendam.

Vt igitur rem à capite arcessam, perspicuum esse uelim, Differentias alias separari posse, alias non posse: nam moueri, stare, ægrotare, ualere, & cætera generis eiusdem, separantur: nasum uero aduncum, uel simum habere, & particeps, atque expers rationis, reuelli à subiectis non possunt. Earum uero quæ distrahi non queunt, aliæ rebus per se insunt, aliæ fortuito. Particeps enim rationis, mortalisq;, & quod ad scientiam, & cognitionem natum est, homini ex se conuenit: aduncæ autem, & simæ nares, non ui sua, sed casu.

PERFECTIOREM diuisioné exorditur, & aliud quoddam initium sumit, ut omnes differentiæ distinctæ inter se sint. Differentium igitur alia separãtur à rebus, in quibus insunt, alia non separantur. Hac diuisione Differentiæ communes à Propriis, & Maxime propriis distinguuntur. Aliæ rursus Aliud, aliæ uero Diuersum faciunt: atque ex hac diuisione Maxime propriæ à Communibus, & Propriis discernuntur. Ex iis ergo repugnantiis, quibus differentiæ uicissim seiunguntur, coniugationes fiunt, quarum duæ sine dubio nõ cohærent: non enim esse simul queunt, quod separari potest, quod non potest: uel diuersum esse, & aliud. Ex reliquis quatuor, hæc separabilis & aliud faciens non cõstat: cæteræ tres apte cohærent, quandoquidem separabiles, & diuersam rem efficientes Communes sunt: quæ autem non separantur, & aliud faciunt, sunt Maxime propriæ: quæ uero non separantur, ac diuersum faciunt, Fortuitæ sunt. Ac Communes quidem, ut sedere: Propriæ, ut aduncitas: Maxime propriæ, ut rationis particeps. Videbitur etiam quædam esse distincta coniugatio earum, quæ separari possunt, quæq; aliud efficiunt, re tamen uera ipsa quoque coniugatio ratiocinatiua nõ est: rationis enim particeps per sese homini attributum est, & quia homo sit, rationis particeps est, ob eamq́ue causam omnes homines rationis participes sunt: sed aduncum, nigrumq́ue esse, sedereque, ac stare, non per se, quoniam homo quia homo, aduncus nequaquam est, uel omnes homines adũcos, uel nigros esse oporteret: etsi enim aliquis nec adũcus, nec niger est, homo tamen est. Nulla igitur harum Differentiarum aliam rem facit, sed diuersam. At Rationis compos cum per se aderit homini, aliud faciet: hac igitur causa cum ea differentia, quæ diuersam rem facit, constare non potest.

Ita fit, ut ea, quæ per se adsunt, ad rerum naturas definitione explicandas assumuntur, resq; alia efficiatur: quæ autem fortuito, neq; ad rei definitionem adhibeantur, neque aliam rem faciant, sed immutent: quæ item per se adsunt, nec contentionem, nec remissionem capiunt.

DIFFERENTIAE, quæ per se insunt, ad rei uim explicandam, ac definiendam adhibentur: siquidem definitiones ex generibus, & differentiis formarum efficientibus assumũtur. [Nec contentionem, nec remissionem capiunt.] Neque enim quisquam magis, aut minus rationis particeps dicetur. Pueruli enim etsi propter ætatem ad eas actiones, quę in ratione uersantur, apti non sint, nihilo tamen minus sunt rationis participes. Illa præterea magis, & minus suscipere dicuntur, quæcunque aduersa sunt, & in eodem subiecto consistunt, quæq; inter se commiscentur: ut, album albo magis, minus'ue album dicitur: & nigrum magis, uel minus nigro: quippe cum eadem res subiecta tum alba, tum nigra fiat, & alba cum nigris commisceantur: atque aliquando puriora, nonnunquam magis mista & confusa euadant. In substãtiis autem nec intentio est, nec remissio, quoniam substãtiæ nihil aduersatur: nec rationis particeps, & rationis expers consistere in eodem subiecto possunt. At si quis diceret, cur Aristoteles in summis generibus aiat, Substantia, quæ proprie, & primum, & maxime appellatur, cum illud maxime, uideatur significare substantiam amplificari & imminui: Ei nos respõderemus, hoc ab Aristotele dictum fuisse, utpote quod magis esset ad cognitionem nostram accommodatum. primã enim, & maxime dixit indiuiduam: quoniam & magis à nobis cognoscitur, & prior comprehenditur: ab illa enim tempore, & scientia educti ad secundam, quæ ex generibus, & speciebus est, deuenimus. Verum si aliquis cócederet, magis & minus in substantiis esse, non in latitudine, sed crassitudine concederet. Homo enim nõ magis homo, ac rationis particeps homine est: nec equus magis animal boue: nec homo magis boue, atque equo. Sed in altitudine, ut dixi, potest hoc sic cognosci. Superiora inferioribus perfectiora sũt, idq; quatenus à melioribus longius absunt. uerbi gratia, Rationis particeps magis in mente est, quàm in anima: & magis in angelis, minus autem in cælestibus corporibus: siquidem ipsa quoque animata sunt, habentq́ue rationem: atque id magis in iis, quàm in nobis situm est. Alio quoque modo probatur: Substantia magis in animali est, quàm in homine, ac magis in utrisque. Simili etiam ratione animal magis in homine, quàm in Socrate est: quoniam substantia non inest Socrati sine ullo interiecto medio, animal enim intercedit: & hoc rursus per medium hominem ei competit. Perspicuum igitur est, id, quod primum, proximeque alicuius rei particeps est, maiorem eius rei partem habere, quàm quod secundo, & aliquo interiecto medio est. Recte igitur substantias non in latitudine, sed altitudine magis, minusq; suscipere dictum nobis est: nam si in latitudine amplificarentur, aut minuerentur, eadem distantia eorum, quæ sub genere sunt, rationis inquam participis, & ratione carentis, mortalisque, & immortalis non esset.

At quæ casu, etsi seiungi non possunt, contentionem tamen, & remissionem capiunt: neque enim genus magis, minus'ue de eo, cuius genus sit, dicitur: neq; differentiæ generis, quibus genus ipsum in parteis distribuitur.

CONTENTIO, & Remissio magis, & minus significãt: hæc enim nomina à chordis per translationem sumuntur: illæ enim admodum intentæ uehementiorem sonum, remissæ uero minorem reddunt. Philosophi igitur uehementem rei impressionem, Contentionem, leuiorem uero Remissionẽ uocauerunt.

Quandoquidẽ hæ sunt, quæ cuiusq; rationẽ absoluunt: & nullius rei uis, quæ una eadẽq; est, nec amplificari, nec minui potest: at aduncis & simis naribus esse, colorariq; magis, et minus dicitur. Cũ igitur tria differẽtiarũ genera habeamus, aliæ, quæ separari à rebus possunt: aliæ, quæ nõ possunt: atque ex ijs, quæ separari non possũt, quædã, quæ per se insunt, quædam, quæ fortuito: rursusq́ue earum differentiarum, quæ vi sua adsunt, aliæ sunt, quibus genera in formas diducimus, aliæ, quæ speciem efficiunt, cuiusce modi sunt Animatũ, Sensus, rationisque particeps, & Rationis expers, Mortale, & Immortale: ex quibus cum omnes per se animali inhæreant, hæ duæ Animatum & Sensus particeps animalis naturam absoluunt: animal enim est natura animata, sensus particeps. Hæ vero, Mortale, & Immortale, Rationis compos, & expers, genus in species partiuntur: iis enim genera in species diuidimus. Sed quæ genus in partes distrahunt, eæ species perficiunt. uel ex eo, quòd his differentijs Particeps, & Expers rationis, Mortale, & Immortale, animal in species diducatur. Id quod fit, ut Particeps rationis, & Mortale, hominis: Rationis compos & Immortale, Dei: Expers rationis, & Mortale bestiarum genus constituant. Simili quoque modo cum hæ differentiæ Animatum, & Inanimatum, Sensus particeps, Sensus expers summæ substantiæ sint: duæ ex iis Animatum, & Sensus particeps ad substantiam adiunctæ, animal: Animatum uero & Sensus expers, plantam complent. Cum igitur eadem differentiæ alio, atque a-

lio modo sumptæ & efficientes formarum, & diuidẽtes sint, omnes Formarum effectrices appellantur.

QVAE rei naturam complent, eædem definitiones perficiunt, definitiones uero eiusdem semper eædem sunt. Homo non est aliquando animal rationis particeps, mortale, & quãdoque non est: sed semper eodem modo se habet. Nec amplificatur, nec minuitur: neque enim tum magis particeps rationis, tum minus est. [Colorarique magis, & minus dicitur.] Hoc est, album, uel nigrum esse: intenditur enim, & remittitur: quippe cum aliquid magis album alio fit, magisque nigrum, aut simum, atque repandum. Cum igitur triã differentiarum genera nobis cognita siut, ex quibus aliæ separari ab eo, in quo insint, possiut, aliæ autem non possint: atque ex iis, quæ non separantur, aliæ ni sua adsint, & aliæ casu, ac temere: Porphyrius magna ratione adductus uoluit de eis differere, cum præsertim ea, quæ ad definitionem, & diuisionem pertineant, in medium proferre uelit. Ait igitur ad hunc modum: Ex differentiis formarum efficientibus aliæ constituunt, aliæ diuidnut: eæque non aliæ, atque aliæ, sed eædem sunt: partim enim diuidentes, & partim constituentes fiunt, si tamen alio, atque alio modo sumantur. Rationis nanque particeps, & expers, Mortale, & Immortale animalis differentiæ sunt: eædemque ipsæ sunt, quæ diuidnnt, & in qnas animal diuiditur. Si uero illæ, quæ coniugari simul possunt, accipiantur, ueluti Mortale, & Rationis particeps, differentiæ fient, quæ hominis uaturam absoluent, quòd ex iis humana natura sit constituta. Est igitur ex hoc perspicuum diuidentes differeutias ad diuidẽdum magno nobis esse adiumento: quoniam hac ratioue generum in partes diuisiones fiunt. Illæ uero, quę constituunt, ad definitiones utiles sunt: siquidem ex genere, & huiusmodi differentiis definitiones traduntur. Scire autem debemus, ex iis simul coniunctis quatuor fieri coniugationes: quarum tres ratiocinatiuę sunt, una uero uequaquam constat: ut exemplo ponatur, Rationis compos, & Rationis expers, Mortale, & Immortale; ecce Rationis compos, & Mortale simul stant, est enim homo: Rationis uero particeps, & Immortale, Deus: Rationis expers, & Mortale, equus. Fieri enim non potest, ut quid ratione careat, ac immortale sit. Qua de coniugatione, Rationis, expers dico, & Immortale, disputatur, constet uecne: & num aliquid rationis expers immortale sit: quod fieri posse Poëta de Scylla dicere uidetur, cum ait,

Monstrum immortale, malumque.

Nonnulli esse genus quoddam dæmonum immortalium, ac ratione carentium sunt opinati, quod inferiorem ordinem sortitum est: quos inquam dæmonas deuitamus, & auersamur: alii hoc genus esse mortale dixerunt, quoniam id, qnod æternum sit, idem rationis esse particeps contendant. Sed ut eò, unde egressa est, referat se oratio, ad substantiam reuertamur, & eadem inueniemus. Atqui cum illæ duæ repugnantię sint, Animati inquam, & Inanimati, Sensum habentis, & non habentis, tres tantum coniugationes quæ cohæreant, oriuntur, reliquæ tres non constant. Animatum, & Sensu præditũ animal est: Animatum, & sensus expers, planta: Inanimatũ, & Sensu uacans, lapis: Inanimatum uero, & sensus particeps, nihil: quod enim sensum habet, multo etiam magis naturalem animam habet. Id tamen non reciprocatur, quoniã ubi naturalis anima est, illic non erit omnino sensus: at ubi sensus erit, illic naturalem esse animam necessitas omnino cogit. [Iis enim genera in species diuidimus.] Nã quemadmodum quædam solum species sunt, quædam & generis, & speciei subeunt rationem: ita etiam in differeutijs euenit, ex differeutiis formarum procreatricibus aliæ tantummodo diuidentes sunt, hæque summorum generum sunt: aliæ solum constituentes, hæque infimis sunt attributæ: quæ uero utrũque faciunt, ad intermedia, quæ genera, & species sunt, illæ pertinent. Etenim substantiæ differentiæ corpus, & corporis expers substantiam solum diuidunt, nunquam enim efficiẽt. Hominis uero differentiæ rationis particeps, & mortale, sunt hominis tantum effectrices: at mediorum uelut animalis mortale, & immortale, rationis compos, & expers diuidunt, & efficiunt: quoniam aliquid ipsis superius habent.

Differentiæ uero aduersæ animal partiuntur, quòd ipsæ quoque in alias partes diuidantur: ueluti sunt Mortale, & Immortale, in quæ animal diuiditur: ac Rationis particeps, & expers eodem modo. Quæ uero sunt alia sub alia constitutę, species constituunt: nam Rationis particeps, & Mortale hominem faciunt: Ratione utens, & Immortale, angelum: Ratione uacans, & Mortale, bouem: ac differẽtiæ Rationis expers dico, & Mortale sunt omnium reliquorum brutorum. Rationis expers, & Immortale, tanquam dubia substãtię sint necne, Porphyrius omisit. Sunt enim quidam dæmones: de quibus ante dixi, qui enim rationis expertes sint, inferiores orbis terrę partes incolũt, meritasq; illic animarum pœnas sumunt: hiq; à quibusdam immortales, & à quibusdam mortales esse existimantur.

Quarum maximus usus est in genere diuidendo, & rebus definiendis. earum autem, quæ fortuito separari nequeunt, non ita, ac multo etiam minor earum, quæ auelli possunt.

HOC loco cum dicat, [In rebus definiendis:] quonam pacto illę differentiæ sumantur, considera. nam significat uoces in accidentium definitionibus substantiæ participes esse debere: siquidem definitiones ex uocibus, quæ substãtiæ participes sint, componuntur: ut, candor color est, quo uisus noster dispergitur. Præterea addidit, Maximus: quoniam sæpenumero propter humanam imbecillitatem huiusmodi differentiis caremus, & definitiones ex accidentibus assumimus: ut in coruo manifesto apparet, in quo explicando nigrorem pro differentiis accipimus, & in olore candorem: ac cum equum definimus, animal esse dicimus rationis expers ad hinniendum natum, proprium, quod substantiæ aduentitium est, differentiæ loco, quæ substantiæ est particeps, suscipimus. Id quod fit, quoniam differentiã substantiæ participem equi, & asini reperire nullo modo possumus.

Eas autem definiunt hoc modo: Differentia est, quæ genus à specie superatur: nam animal ratione, & mortalitate ab homine superatur, quoniam animal nihil horum est: unde enim formæ differentias haberent? nec uero omnes contrarias habent, propterea quòd in eadem re formæ concurrerent cõtrariæ: sed ut arbitrantur, omnes differentias, quæ in eis subiectæ sunt, facultate complectãtur, re uera nullam. Quocirca neque de nihilo quippiam fit, neque formæ contrariæ in eadem re simul insunt. Eam hoc quoque modo definiũt. Differẽtia est, quæ de multis, iisque specie differentibus dicitur, cum qualia sint, quæritur. Nam rationis particeps, & mortale de homine dicuntur: & qualis homo sit, non autem quid sit, explicant. Cum enim rogamur, quid sit homo, rectè animal respondemus: cum uero quale animal sit, interrogamur: rationis particeps, & mortale congruenter respondemus.

CVM Differentiæ significationes numerauerit, & de qua philosophi loquantur, dixerit: hanc præcipuam descriptionem tradit: Differentia, inquit, est, qua genus à specie superatur. Ex hac definitione Porphyrius dubitationem mouet, & eam postea dissoluit, Duo quędam perspicua dubitationis effata suscipit: quæ sic à Peripateticis appellantur, quòd per se credenda sint: ex quibus hoc primum est. Nihil ex nihilo oritur: ut abacus ex ligno confectus partim fuit, quia lignũ erat, partim uero non, quia non erat abacus: nam si fuisset, artifice, ut fieret, non indiguisset. Lapides præterea sunt, tum uero non sunt, quia nondum domus est: quonam igitur modo ex penitus nihilo quippiam fiet? Alterum effatum est. Aduersa in eadem subiecta re in eodem tempore simul esse non possunt, Aduersa enim sibi ipsa mutuum interitum afferunt. His præpositis ita oritur dubitatio: Differentiæ uel ex genere, in quo prius erant, formis insint, uel ex nihilo fiant, necesse est: Horum utrunque absurdum est: nam si in generibus, tanquam in corporibus differentiæ sint, aduersa simul erunt in eadem subiecta re, mortale uidelicet, & immortale, rationis compos, & expers. quod absurdum est: ac nisi in generibus sint differentiæ, quonam pacto in formis? esset enim aliquid, quod ex iis, quę nulla sunt, factum esset, quod item à

ratione

ratione alienum est: ex nullo enim alio fieri poterunt, cum inter genera, & formas, nihil medium interiectum sit. Patet igitur hunc sermonem esse maxima dubitatione inuolutum. Itaque Porphyrius dubitans Peripatetico more controuersiam soluit: Aduersa, inquit, in una et re, & eodem tempore actu inesse non possunt, at potestate queunt. Atque ut ea, quę diximus, clara fiant, non est ignorandum, aliud esse Potestate quippiam existere, & aliud Actione. Id nanque Potestate esse dicitur, quod imperfectum est, neque deductum ad rem ipsam, commode tamen traducitur ad actum: ut puerulus facultate grammaticus est, quandoquidem fieri grammaticus potest: & aqua gelida, potestate calida est, cum possit calida reddi. Hoc igitur est, quod Potestate esse dicimus. Re ipsa grammaticus dicitur, qui grammaticam scientiam sit planè consecutus, ipsamq; reliquos doceat: & frigida aqua potestate calida dicitur, quæ cum calefacta sit, actu calida dicetur. Ait igitur, aduersa, calidum inquam, & frigidum, actu simul alicui non adesse, potestate tamen posse. Tepida quidē aqua, neque actu calida est, neque gelida, potestate tamen utrunque: atque infans potestate uirtutem habet, & uitiositatem: materia item potestate omnia aduersa possidet. Si igitur genus materię rationem habet, ut post dicetur: clarum est, ipsum potestate omnes differentias aduersas habiturum: id quod aliter etiam probatur hoc modo. Aduersa in uno esse possunt: si uero alterum aduersorum actu habeat, alterum potestate habebit: quod re ipsa frigidum est, facultate calidum est, quoniam sua pte natura ei est comparatum, ut calidum fiat. Hoc enim dictum est, propterea quòd quędam sunt, quę alterum aduersorum tantum suscipiunt: ut glacies, quę frigida cum sit, calefiet nunquam, atque ignis nunquam frigidus reddetur: aer, & aqua utrunque admittunt: aduersa enim facultate in eodem esse possunt. Nam si duo aduersa potestate quippiam non habuerit, nunquam actu in horum utrunq; commutabitur. Sed quoniam duo aduersa potestate continet, propterea in utraque transfertur. Hoc ergo modo genera aduersas differentias habere ait: non enim ex nihilo penitus fiunt, neque aduersa in eodem esse re ipsa possunt. Peripatetici hac solutione utuntur, qua Porphyrius, quoniam librum ad summa Aristotelis genera utilem se scripturum promisit, usus est. Nec clam me est, Platonis studiosos huic solutioni repugnare: uolunt enim differentias generibus actu inesse. Nec dubitandum, quin rationis compos, & rationis expers, mortale, & immortale generibus subiiciantur: ad cuius rei demonstrationem hisce rationibus utuntur: aiunt enim mortale, & immortale, particeps, expersque rationis aduersa non esse, quòd aduersa sese uicissim interimant: hæc autem tantum abest, ut sibi mutuum interitum parent, ut etiam sese conseruent: rationis enim particeps, & immortale seruant mortale, & rationis expers. Nam Deus cum rationē habeat, immortalisque sit, mortalia omnia seruat, & custodit. Prętereà homo ratione carentium curator est, & conseruator, Angeli uero immortales, homines mortales curant, & custodiunt. Quare rationis particeps, & ratione carens aduersa non sunt, nec item mortale, & immortale: quòd si aduersa non sunt, quid obstat, cur generibus non insint, quandoquidem facultates, quæ rationis expertes sunt, iram dico, cupiditatemque, & sensum, atque animam, quę rationis particeps est, simul in uno hominis corpore inesse conspiciuntur. Dicunt rursus: sint licet inter se contraria, nihil tamen absonum est, eadem in eodem genere actu inesse, quoniam non in corporeo subiecto, sed in eo, quod corporis expers est, existunt: genus enim corpore uacat, nam in subiecto corporis experte aduersa inesse possunt. Cur uero duo aduersa in subiecto corporeo simul inesse non possint, causa est, quòd utrunque vult esse subiecti particeps. Singulare corpus per sese ea, quæ se inuicem perimunt, non admittit. At in iis, quæ non corpora sunt, id non ualet, propterea quòd natura aduersorum omnium in iis habeat rationem ita, ut oculus, qui candoris, & nigroris rationes admittit: anima quoque simul, & eodem tempore aduersorum, boni scilicet, & mali, frigidi, ac calidi rationem habet. Vna igitur est aduersorum sciētia. Quare à ratione non alienum uidetur, si quis dicat aduersas differentias generibus inesse. Similiter etiam in abaco, atque in eadem eius parte triangulum, quadratum, turbinem, & globosam figuram fingere simul non possumus, quoniam inter se confunderentur formę omnes, cum in re corporata essent collocatę. At in anima hæc omnia habemus, & ea non confusa. Ex quo fit, ut ea etiam distinctè proponamus: & primam, secundamque, ac tertiam speculationem demonstremus: non secus uero de turbine, triangulo, & quadrato, ut diximus. Ita fit, ut in iis, quę concreta, & corporata nō sunt, aduersa re ipsa insint. Alia præterea ratione probatur: Si differentię generibus potestate insunt, quid est, quod illas cum formis actu componit, & inserit? Omne, quod potestate est, à quodam, quod tum actu est, ad actum traducitur. Aqua frigida cum potestate calida sit, actu fit calida ab igne, qui tum calidus est: & puerulus potestate grammaticus, redditur grāmaticus ab eo, qui tum est grammatices peritus. Si igitur potestate esse possunt in generibus differentiæ, si ad actum traducantur, aliquo quod actu differentias habeat, indigebunt, sed nihil aliud in iis est: potestate igitur in generibus non erunt differentię. Rursus sic probant: Omne, quod esse potest, imperfectum est: quod uero actu est, perfectum est. Si ergo species actu differentias habent, & genera potestate, ultimę species erunt cęteris perfectiores, & digniores, prima autem genera omnibus imperfectiora, atq; indigniora: id quod à uero sensu maxime abhorret: sequeretur enim effectas res suis causis esse & perfectiores, & pręstabiliores. Oportet igitur differentias in generibus actione inesse. Est'ne igitur ob eam causam Peripateticorum ratio, atque omnino explodenda sententia? Id equidem ne unquam quidem censuerim: propterea quòd, cum triplex genus sit, de eo genere, quod ante multa esse diximus, Platonici loquebantur, in quo differentiæ actu sunt, omniumq; rationes re ipsa inesse possunt: Peripatetici uero de eo, quod in multis est, uerba faciunt. Naturam ab uniuersis ad singulas res proficisci, singulasque in uniuersis potestate cohęrere sciendum est. Semen primum carunculam quandam in matrice finget, & efficiet, ut medici inquiunt, quæ sanè caro corpus erit, ac corpus uniuerse sumptum. Hoc tamen ut corpus, re ipsa est: ut animatum, potestate: quia necdum animatum actu est. Vbi uero aletur, augebiturque, animabitur, ac tunc animatum actu dicetur, & potestate animal: non enim adhuc sentit, & mouetur: quæ cum nactum sit, actu animal rationis particeps erit, potestate grammaticum. Differentias igitur inesse potestate in generibus, quę in multis sunt, uidemus. Simul etiā patet physicos hoc modo rectè dicere. Ex quo conficitur, ut cum Porphyrius librum hunc non ad Platonicam, sed Aristotelicam doctrinam utilem scribere uellet, peripatetica solutione usus sit. Sed cum supra diceremus, quinque uocea corpore uacare, neque id probatum adhuc sit, restat ut id rationibus affirmemus. Corpus (ut hinc initium sumam) nunquam in maiori ęque, ac in minori consideratur, uelut in elephante, & formica: at quinque uoces pari ratione & in magnis, & in paruis considerantur. Deinde omne corpus corpori adiunctum accessionem affert ei, quod additamentum capit: sed genus & species, ac reliquæ uocea ad Socratem additæ nihil amplificāt, nec ullam ei accessionem faciunt. Prętereà nunquam idem corpus in eodem tempore in multis uidebitur: licet simile uideatur, idem tamen non erit: ut in Platonis crure os elephantis esse uidebitur: non tamen idem erit cum illo, quod Orestes habebat: at genus, & species eodem tempore in multis considerantur. Tum corpora diuisa nunquam speciem, & eandem quantitatem seruant: stater enim nummus in multas partes diuisus unam formam, unamque stateris quantitatem non seruabit: genera uero & formæ eandem formam & quantitatem seruant, si in Socratem, & cęteros distribuantur. Aliter etiam demonstrari potest. Omne corpus ex materia, formaque componitur, genus & species eo modo non fiunt, nunquam enim species ex specie componetur, igitur quinque uoces corporis expertes sunt. Omnia iam percepimus, id quod sequitur, per se apertū est, tamen nihilominus legendum esse existimamus, ut si in obscuri quippiam inciderimus, à nobis declaratum sit.

[Animal nihil horum est.] Id est expers, quippiam enim tale subaudiendum est. Si enim animal particeps non esset eius, quod rationis particeps est, & mortale, unde has differentias species habeat?

[Nec uero omnes contrarias habet, quoniam res concurrerent contrariæ, vt arbitrantur.] Quoniam Porphyrius Platonicus, ea dicebat, quæ sibi recta non videbantur, sic inquit, ut Peripatetici putarunt: illi enim naturaliter loquuntur, atque ita recte sunt opinati, Vniuersas scilicet res singulis priores esse, & eo pacto ad actum traduci. [Eam hoc quoq; modo definiunt.] Perfectam differentiæ descriptiooem ex earum uocum diuisione sumptam tradit: ita enim erat, Vocum aliæ significant, aliæ non.

Etenim res omnes è materia, & forma, uel ex iis, quæ materiæ, & formæ proportione dicuntur, sunt conflatæ. Nam vt statua ex æris materia, & ex figura tanquam ex forma efficitur: sic homo communis, quique species est, ex genere, quod materiæ rationem habet, & ex differentia, quæ formæ ratione quadam respondet, conficitur: ex quibus totum quiddam, quod efficitur, animal rationis particeps, mortale, homo perinde est, atque illic statua.

Reddit nunc rationem, quanam de causa genus in quæstione, qua quid res sit, indagatur: & differentia in ea, qua qualis sit, dicatur. Res omnes, inquit, uel proprie ex materia, specieque constant: uel ex iis, quæ materiæ, & speciei ratione dicuntur. Omnibus igitur naturalibus rebus res quædam subiecta est, quam proprie Materiem uocant turpem & informem: Forma uero proprie est, quæ suo ornatu materiã, quodque ex ea fit, ornat. Atque ita propria materia, & propria forma in rebus naturalibus spectatur: in artificiosis autem, quædam proportio est materiæ, & formæ. ut cum ex ære fiat statua, æs materia dicatur, non proprie illud quidem, sed promiscue, & proportione quadam: æs enim non est forma uacans: sed propterea quòd artifici substratũ est, statuæq; formam accepit, tanquam proprie materia, ea de causa materia dicitur. Figura item formæ proportionem habet, quandoquidẽ æs imprimit: nam cum naturalibus rebus una quædã materia tributa sit, ob id omnes reciprocantur: neq; enim omnia vicissim retro commearent, si non una quædam, omnibusque communis materia subiecta esset. Aenea quidem uasa mutari ita possunt, ut ex lebete statua efficiatur: at quibus eadem materia non est, inter se commutari non queunt. ex lebete enim nunquam abacus fiet. Atqui ex terra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre æther: quoniã materiem subiectam habent eandem: quod enim frigus, humoremque suscipit, aqua fit: quod siccitatem, & calorem, æther: ita quoque reliquæ duæ naturæ, ex quibus omnia constant. Omnes igitur naturales res, uelut homo, equus, & cætera generis eiusdem ex materia proprie, & forma constant: ea uero, quæ arte constructa sunt, ex iis conflantur, quæ eandem habent cum materia portionem. Atque ex iis, quæ figuram habent, formæ respondent: genus igitur materiæ, & differentiæ formæ ratione quadam respondent. Nam ut in substantia nihil inter se differt, ueluti materia, sicut ænea uasa, differentia tamen in figura fit: sic quoque in genere, quia homo, equus, canis animantes sunt, nihil differunt illi quidem, sed propter differentias magnopere distant. Si rationis particeps, mortaleq; ad animal additum sit, fiet homo: si rationis expers, & mortale, equus. Quare genus materię, & differentia formæ comparatur. Cum igitur materia unicuique naturam, forma uero qualitatẽ tribuat, merito genus in quæstione, qua quid quicque sit, exquiritur, ut materię comparatum dicitur: differentia autem, utpote quę formæ similis esse comperiatur, in qua rei qualitas indagatur. [Communis.] Id est, uniuersi homines. [Quique species est.] Id est homines singuli.

Eam hoc quoque modo definiunt: Differentia est, quæ suapte quadam natura separat ea, quæ sunt sub eodem genere constituta: nam Rationis particeps, & Rationis expers hominem, & equum, qui sub idem genus subiecti sunt, inter se distinguit. Demum ita describunt: Differentia est, qua vnumquodque differt, ac discernitur: homo enim, & equus genere inter se non differunt, quoniam & nos, & equi animalia sumus: sed cum rationis particeps adiunctum est, nos ab illis distinxit. Sumus item nos, & angeli rationis participes, sed Mortale interiectum nos ab illis disiunxit.

Rationis particeps, & Mortale cum accedunt, hominem ab equo seiungunt.

Qui uero differentiæ rationes exquisitius colligunt, non quoduis eorum, quæ separant ea, quæ eodem genere continentur, differentiam esse dixerunt: sed quod ad rem, eiusque notionem, quid sit, explicandam ualeat, quodque rei pars existat.

Non, inquit, quiduis eorum, quæ separant omnia, quæ subiecta sunt sub idem genus, in differẽtiarum numero habetur ab iis, qui differentiæ rationem accuratius persequuntur: quandoquidem nec Cõmunis, nec Propria, ut stare, sedere, ac repandum esse, sed Maxime propria differentia separat, ut rationis, atque intelligentiæ particeps, quæ hominem efficit. Soli enim homini attributum est: in Deum autem, utpote qui omni intelligentia præstet, non cadit: multo etiam minus in bruta, quibus id natura insitum non est. Homo præterea non alicuius scientiæ, ueluti grammaticæ, tantum capax est, sed omnium. [Quid sit.] Hoc est, quod ad eius uim, & naturam definiendam pertineat. nam hoc uerbum Quid, apud Aristotelem definitionem significat, non secus, quàm apud grammaticos ira iracundiam: propterea quòd definitio, quid queq; res sit, explicat. Quod igitur definitionis pars est, illud est quod rem distinguit: rationis enim, & intelligentiæ participem esse, definitionis pars est, quæ differentia hominem à cęteris animantibus disiungit.

Non enim, aptum esse ad nauigandum, hominis differentia est, licet sit hominis proprium: nam si dixerimus animantium alios ad nauigandum aptos esse, alios non esse: hominem quidem ab aliis distinguemus. Aptum tamen ad nauigandũ esse neque hominis naturam absoluet, neque eius pars erit, sed habilitas quædam: cum earum differentiarum numero non habeatur, quæ speciem procreant. Quapropter formarũ effectrices differentiæ sunt, quæ aliam speciem efficiunt, quæque ad rei naturam aperiendam assumuntur. Quare de his satis.

Ad nauigandum, inquit, non natandum, aut ut super aquis feratur, siquidem hac ratione bruta, inanimaque ad nauigandum apta essent: sed Nauigare intelligendum est hoc loco, nauem gubernare, quod est hominis proprium: homo tamen non efficitur, aut formatur ob nauis gubernandæ facultatem, quoniam eo pacto ii, qui naues non gubernarent, homines non essent.

DE PROPRIO.

Proprium *diuidunt in partes quatuor. Primum dicunt esse proprium, quod uni soli, neque toti speciei conuenit, ut homini mederi, uel terram metiri: deinde quod toti, sed non soli, ut homini bipedem esse: tum quod soli speciei, totique, & interdum inest, ut homini cuicunque canescere in senectute: postremo in quod hæc concurrunt omnia, quod in sola, totaque specie, & semper inest, ut in homine ridendi facultas, qui etsi non semper ridet, ad risum tamẽ aptus dicitur: idque non quòd semper rideat, sed quòd semper sit ad risum natus, id quod ei proinde innatum est, vti equo habilitas ad hinnitum. hæcque quoniam uicissim retro commeant, uere propria appellantur. si enim equus sit, ad hinnitum quoque aptus existet: & siquid ad hinnitum aptũ sit, equus itidem erit.*

Cum de Differẽtia finẽ habuerit oratio, restat ut de Proprio disseratur, ita enim ordo institutus postulat: propterea quòd cum de iis, quę substantię sunt, disputatum sit, sequitur necessario, ut de illis loquamur, quæ rerum naturę adueniũt,

Atq; à Proprio initium sumemus, quia intermedium quiddam sit: nam quia maxime Proprium soli, totique, ac semper speciei conuenit, substantiæ particeps est: siquidem ea, quæ substantiæ sunt consortia, in omnibus, quibus conueniunt, semper intelliguntur. Accidentibus porrò comparatur, quòd nō secus, atque illa, à subiecta re cogitatione diuellitur. In eadem præterea docendi forma perseuerat, quam usque ante hac seruauit: nam prius, quàm dicat, de quo Proprio philosophi loquantur, eius significationes enumerat. Proprium igitur diuidit quadripartito, atque ait, Proprium vel vni soli speciei, vel non soli inest: si soli, uel in tota, uel non tota intelligitur: si item non soli, vel toti, vel nō toti speciei, uel semper, nel non semper conuenit. hæcq; diuisio est. Primo autem Proprium est, quod in una sola specie, & non tota reperitur: ut in homine medicinam facere, uel philosophi, aut astronomi, geometræ ue, aut alterius cuiusquam fungi munere. Deinde quod toti speciei, etsi non soli conuenit: ut homini bipedem esse, omni enim homini cōuenit, ut bipes sit, nō tamen soli, quoniam id etiam est uolucribus attributum. Tum quod toti, solique, at non semper, sed aliquādo: ut homini in senectute canescere: soli enim, omnique conuenit, sed homo canos in senectute tantum, non semper emittit. Postremo in quod hæc omnia concurrunt, & coueniunt, quod in sola, totaque specie semper intelligitur: ut in homine ridendi facultas, & equo aptum esse ad hinniēdum, canique ad latrandum. Horum unumquodque re ipsa nō est, sed potestate: non enim quia homo risui aptus est, & equus hinnitui, ridens est, uel hinnieos: sed quia huic ad ridendum, illi ad hinniendum suapte est natura comparatum. Vere autem, & maxime Proprium est, quod soli, & toti speciei, ac semper conuenit, quare Porphyrius reliquas significationes omittens, omninoque communius Proprium accipieos in quatuor diuisit. Itaque cum tres repugnantiæ sint, ex quibus Propriorum significationes accipiuntur, iis inter se coniugatis multæ relationes fiunt, ex quibus nonnullæ constant, nonoullæ non constant, ut picturæ exemplo clarum fecimus. Cū diceret, Innatum: potestatem, & facultatem hominibus insitam significauit, non actionem. Nam etsi semper nō ridemus, apti tamen semper ad ridendum dicimur. quippe qui ridendi facultatem sic habeamus, ut ridere semper possimus, præsertim cum semper aptum animum habeamus ad risum, non tamen semper rideamus. Aliud quippe est ridere, aliud ad ridēdum aptum esse: atque aliud est hinnire, & aliud habere hinniendi facultatem.

DE ACCIDENTE.

ACCIDENS est, quod adest, & abest sine interitu rei, ad quam annititur. Quod bipartito distribuitur: alterum, quod separari potest: alterum, quod non potest. Ac dormire quidem separari potest, nigror uero à coruo, & Aethiope auelli noo potest: tamen & coruus albus, & Aethiops intelligi potest, si colorem mutet, resq; subiecta incolumis remanebit.

IN iis, quæ ad doctrinam pertinent, Accidens extremū locum nactum est, ac propterea restat, ut de illo disseramus: In quo primum noo ignorandum puto, Porphyrium solitam regulam non seruasse: nam io reliquis uocibus explanandis cum prius illarum significationes enumerasset, cuius postea philosophis habenda ratio esset, indicabat: qua sanè regula ounc usus noo est, sed multis accidentis significationibus sibi propositis, cœpit de prima primum disputare: id quod iure optimo factum puto: habebat enim exploratum, nullam Accidentis significationem esse, de qua philosophi non disserent. Accidens autem adesse, & abesse sine interitu eius rei, in qua situm est, rationibus firmabo. Accidentia corpora noo sunt, nam si corpora essent, corporibus adiuncta augerent, & ablata minuerent: sed neque addita amplificant, neque remota diminuunt: corpora igitur non sunt. Præterea si corpora essent, unus locus multorum corporum esset capax, qđ fieri nequit: nam in pomo est dulcedo, ac color, odorisque suauitas, quæ si corpora essent, unum non haberent locū, fieri id quidem nullo modo posset, cum corpus aliud corpus oon penetret, iis præterea accidentibus, quę à subiecta re segregari possunt, seu aduenientibus, seu recedentibus, subiecta illa res incolumis manet: siquidem sedere, stare, refrigerari, calefieri adsunt, absuntque, neque rem, in qua inhærent, interimunt. Quid? eam'ne ob causam ea, quæ auelli à subiecta re non queunt, ut nasi aduncitas, & nigror, qui in coruo est, absunt sine rei, in qua sita sunt interitu? Hæc nos separari cogitatione dicimus posse, actione aūt, & re ipsa nō posse: nā si uel repādus, uel simus, vel silus nasus intelligatur, nasus nihilominus erit. Ex accidētis pterea definitione dubitationes quædam oriuntur: aiunt enim nonnulli (ut paulo ante nos quoque dicebamus) traditam definitionem, adesse inquam, & abesse, omnibus accidentibus non conuenire, sed iis tantum, quæ separantur: nigrorem enim in Aethiope, & coruo sine subiectæ rei interitu & adesse, & abesse oon posse. Quibus respondemus, etsi re ipsa non potest abesse, cogitatione tamen Aethiops, & coruus erunt albi. At animal ab homine ne cogitatione quidem separari poterit: quoniam nisi unà hominem, animalque intelligemus, hominem ipsum perdemus. Coruum uero Aethiopemque nigros non esse cogitantes, nihil ab eorum natura detrahemus: auferat quispiam, auellatque à coruo plumas, nihilo tamen minus coruus erit: Aethiopem etiam siquis cogitarit album esse, hominem tamen remansurum nemo ignorat. Ea igitur, quę nequeunt separari, etsi actu non absint, cogitatione tamen abesse possunt. In hac etiam definitione quęrunt, quomodo adesse, & abesse quippiam preter subiectę rei interitum dicatur, cum febris animal, quod in febrim incidit, corrumpat. Iis ita respondemus, non modo de febri dubitandum esse, sed etiam de frigore immoderato, siccitateque vehementi, & humore: quoniam hęc omnia cum adueniunt, animali interitum afferunt. Dicimus igitur in iis sic fieri, quemadmodum in fidibus conteotis, & incontentis concentus seruari potest, neque subiecta res corrumpitur: nam si calor, aut frigus immoderatum, aut aliud quicquam superuacaneum aduenerit, corporis coouenientiam, concinnitatemque in animali peruertet, subiecta tamen res, corpus uidelicet seruabitur: quod uero calefiat, & refrigeretur, noo omnino animal, sed corpus est: ex contrariis enim calore, frigore, siccitate, atque humore est concretum. Etenim (vt scriptum his uerbis reliquit Hippocrates) si homo ex una re constaret, nullo unquam morbi genere afficeretur: sique afflictaretur, vna quoque necessaria esset curatio. Nunc nero eum altera qualitas cum altera tēperetur, & inter se magno amicitię uinculo teneantur, noo modo ex prędictis qualitatibus inter se contrariis animalis corpus componetur, sed ex subiecto etiam quodam triplici modo dimenso ex propria ratione corporis, quod qualitate careat, in quo qualitas omnis consistat. At nulla qualitas proprio subiecto repugnat, neque id in quo est, corrumpit: nam si subiectum corrumperet, seipsam vnà perimeret. Interempto autem eo, io quo uitam habet, ipsa quoque omnino concidat necesse est: cum per sese cohęrere non possit. Verum nihil est, quod sibimet interitū parare studeat, qualitas enim qualitati, & non corpori subiecto repugnat: quare fieri non potest, ut febris, aut alia quæuis qualitas rem, cui inhæret, corrumpat: siquidem omnia in rerum oatura esse desiderant. Cum igitur ex iis contrariis, ex quibus corpus componitur, aliquod paulo nimium redundarit, totius corporis concinnitudinem peruertet. Nam cum materiam quandam qualitas expetat, ut incolumis in ea seruetur, repugnantem, sibique aduersam perdit, vt ea expulsa, & eiecta illius occupet locū. Nam nelut de iis, qui de communi agro certāt inter se, cum festinat unusquisque aduersarium reiicere, ipseque in agri possessionem poni: sic de calore, frigoreque de eadem subiecta re inter se pugnantibus dicere possumus: nam materia in qua neutrum horum superarit, in moderatione erit: at si alterum excedat, contrarium à potentiore corruptum expelletur: subiecta tamen res nihil patietur, quin etiam à superāte qualitate nou perdetur. Concinnitas igitur, vel earum qualitatum, quæ in corpore sunt, temperatio à febri peruertetur, ipsumque corpus, neluti qualitatibus ipsis subiectum esset, non perimetur. Posset quispiam nobis ex dictis obiicere, corpus absolute febri non esse subiectum, sed animantis corpus, quod est ex illis qualitatibus compactum, quod

cum febris, nimiamue frigus, aut aliud huiusmodi accesserit, corrumpetur. Non enim quiuis immoderatus calor febris est, vt manifesto apparet in ferro calefacto, & igni: sed calor, qui animantibus inhæret: quorum corpus si perdatur, febris quoque, utpote quæ in illo sita sit, interimetur. Hunc nodum nullo negotio nos dissoluemus, Mutatio quadripartito distribuitur: unum enim genus ad substantiam pertinet, alterum quantitatis est, tertium in qualitate uersatur, quartum omnia locorum spatia comprehendit. Et primum quidem genus constituit generatio, & interitus: est enim Generatio ex eo, quod non est, in id, quod est, mutatio: Interitus autem ex eo, quod est, ad id, quod non est: Secundum accretio, & diminutio: Tertium alteratio, candor item, & tepor, & quæcunque mutationes ex aliis qualitatibus fiunt: Quartum ea, quam lationem, loci inquam mutationem appellamus. Si igitur ortus à substantia procedens id, quod nó est, efficit, ut sit: interitus uero contra, id quod est, nullum facit, & mutatio in substantia fit, si febris subiectum corpus interimet, non erit accidens, sed substantiæ mutatio, quam interitum uocant: quoniam Ortus, & Interitus, vt immutationes non sint, sine immutatione tamen fieri nequeunt. Cum igitur calor, & frigus ex tam temperata immutatione fiant, ut concinnitatem animalis non corrumpant, ea qualitas accidens erit, quæ sine interitu eius rei, cui inhæret, abesse poterit: cum uero ex uehementiore ita, ut conformationis, ac moderationis temperationem immutent, mutatio non dicenda erit alteratio, nec temeraria, & fortuita, sed substantiæ ipsius commutatio. Omnis igitur febris non corrumpit, sed intemperata, quæ accidens non est illa quidem, sed mutatio eius, quod nihil est, in id, quod sit. Est præterea controuersia de caluitio, nam dicunt caluitium id, quod ei subiectum est, crines dico, corrumpere. Qua in re explicanda sciendum tantummodo est, caluitio non capillos subiici, sed caput, cui ab eo interitus non affertur. [A coruo, & Aethiope.] Hæc iusta de causa dicta sunt, quoniam multa nigra possunt dealbari. Sed quod ipse dixit auelli non posse, cogitatione separari poterit. Verum maxime proprie differentię ne cogitatione quidem amouentur, cum hominem remoto rationis participe intelligere non possimus: homo enim non esset: ac neque etiam angelus esset, si immortale ab eo auferretur: angelus enim esse desineret.

Hac quoque definitione illud explicant: Accidens est, quod in eadem re & esse, & non esse potest: tum, quod nec genus est, nec differentia, nec species, nec proprium, & semper in re subiecta annititur. Explicatis his, de quibus disserere mihi propositum erat, quid Genus esset, quid Differentia, quid Species, Proprium, & Accidens; quid commune, quidque proprium habeant inter se, deinceps persequar.

TRADIT Accidentis descriptionem diligentius, quàm prius: multo enim melius hæc verba, in eadem re & esse, & non esse, accidentibus, quæ separari non possunt, conueniũt, quàm adesse, & abesse. [Tum, quod nec genus est.] Hæc Accidẽtis descriptio unicuique reliquarum quatuor uocum per aliarum amotionem attribui etiam poterat. Est enim Accidens, inquit, quod neque genus est, neque species, neque differentia, neque proprium, semperque in subiecta re inhæret. Idem porrò de cæteris dixerit quispiam, ac primum de genere, Genus est, quod nec differentia est, nec proprium, nec accidens, ac semper in subiecta re consistit: & de omnibus eodem modo, quas ita nõ definiuit, quoniam uoces, quæ deinceps sequebantur, nondum cognitæ nobis erant. Nunc uero omnibus declaratis, hanc merito Accidenti tribuit definitionem. Præterea cum aliarum uocum ademptio non solum Accidens inferat, sed etiam hippocentaurum, & chimæram, ideo addidit, Et semper in subiecta re inhæret: quibus uerbis accidens ab iis, quæ nunquam omnino fuerunt, quæ non constant, sed sola uix cogitatione comprehenduntur, separauit. Sed quoniam quid accidens esset nondum explanauerat, descriptionem à negatione sumpsit hoc modo, Accidens est, quod nec genus est, nec differentia, nec species, nec proprium: explicat postea quid sit, & ait, Et semper in re subiecta inhæret.

DE COMMVNITATIBVS ET DIFFERENTIIS QVINQVE VOCVM.

COMMVNE quidem omnium est, quemadmodum iam dixi, vt de multis dicantur: sed ita, vt Genus ac Differentia de formis, & indiuiduis, quæ eis subiecta sunt, enuncientur: Species uero de suis indiuiduis: Propriũ de specie, cuius proprium sit, cum etiam de indiuiduis, quæ speciei sint tributa: Accidens & de formis, & de indiuiduis: Animal enim de equo, & boue, quæ species sunt, & de hoc boue, quæ sunt indiuidua, dicitur. Expers uero rationis & de equo, & boue, & de singulis dicitur: sed Species, vt homo, de singulis tantum hominibus: Proprium autem de Specie, cuius est proprium, necnon de indiuiduis sub eadem specie constitutis, uelut habilitas ridendi & de homine, & de singulis hominibus enunciatur: nigror uero de specie coruorum, & de coruis singulis dicitur, propterea quòd accidens est, quod auelli non potest: Moueri quoque, quod separabile accidens est, de homine, deque equo dicitur, ac de indiuiduis quidem primo, tum etiam de his, à quibus indiuidua continentur.

IN omnibus rebus tria considerantur, Substantia, Conuenientia, & Discrimen. Substantiam nunc uoco, non illam quidem, quæ accidentibus contraria est, sed vniuscuiusque rei naturam, ex quo conficitur, ut res omnes esse dicantur. Habent præterea Conuenientiam, quoniam cum unum omnium sit principium, cuncta communitatem quandam inter se habeant necesse est: insuper quoniam ea, quę sunt, multa reperiuntur esse, Discrimen quoddam habere coguntur, ut multa sint: nam ubi multitudo, ibi & discrimen est. In propositis igitur quinque vocibus uim, & naturam, communitatemque, ac differentiam quæramus oportet. Verum de Substantia supra dixit: uocum enim uim & naturam nobis aperuit: nunc de Communitatibus & Differentiis disserit. Adolescentes uero, qui maiore ad uirtutem indole, quam cæteri sunt, possunt hæc omnia ex prædictis edoceri. Sed quoniam hunc librum ad quendam non satis peritum scribit, ut ex præceptis non ita exquisite, accurateque tractatis, quæ in eo traduntur, cognosci potest: ipsemet philosophus ea, quæ sequũtur, ex iis quæ ante dicta sunt, elegit. Prius autem quæ omnium communia sunt, referat, ut unamquanque uocem cæteris quatuor comparet. Tum in quibus communicent, in quibusque discordent, ostendit. Sciendum autem est, si ex differentiis quoquo modo subiectis discere noluerimus, quot coniunctionum inter se discrimina conficiãtur, hac ratione, & uia utendum nobis esse. Numerus uno minor sumendus est, deinde cum eo multiplicandus, qui principio erat constitutus: tum numerus ille, qui factus sit, bifariam diuidendus erit, dicendumque, tot oriri coniunctiones, ut hac exempli appositione clarum fit. Voces, quæ in præsentia inter se comparantur, quinque sunt: accipito numerum uno minorem, quatuor scilicet, & ducito quater quinque, & uiginti fient: dimidia horum pars est decem, totidemque inter se è quinque uocibus coniugationes fieri dices. Accipimus autem numerum uno minorem, quoniam aliud alij, non idem eidem comparatur: multiplicamus postea numeros inter se, quandoquidem mutuam uocum comparationem, deinde differentiam inuestigamus, confecti demum numeri dimidium capimus, quoniam ex multiplicato bis eadem mutuo comparari sequetur: vnaquęque earum quinque cæteris quatuor comparata multiplicatur: exempli causa, Genus reliquis quatuor, Species generi, & reliquis tribus, & bis cuiusque uocis eueniet comparatio, & Differentia, quo numero confecto dimidium sumimus. [Ac de indiuiduis quidẽ primũ, tum etiam de his, à quibus indiuidua continentur.] Pręceptum maxima refertum utilitate in iis Porphyrius tradit: dicit enim genera, & differentias de formis, deque indiuiduis dici: Animal quidem & homo dicitur, & Socrates: sed

ita.

sita,ut primum de formis, secundo autem loco propter formas de indiuiduis: propterea quòd si homo animal est, Socrates itidem animal, cumque homo rationis particeps sit, Socrates quoque rationem habebit. Propria & Accidentia de formis & indiuiduis dicuntur: dicitur enim risui aptus homo,& Socrates: albus homo,& Socrates. Sed primum de indiuiduis,secundo de formis: non enim propterea quòd vniuersalis homo ad ridendum aptus dicitur, uel albus, omnes singillatim risui aptos,albos'ue dicemus: uniuersus enim homo corporis expers est,neque facultatis ridédi particeps est: uerum ex eo,quòd singuli homines ad risum apti,uel albi sint. Vniuersa autem de iis,quæ in multis, aut post multa sunt,dicuntur.

DE GENERIS ET DIFFERENTIAE COMMVNITATE.

GENERI cum Differentia communis est formarũ comprehensio. Differentia enim etsi non omnes,quas Genus, formas tamen continet. nam rationis particeps quanquam non complectitur ea, quæ ratione vacant, vt animal: hominem tamen & angelum, qui species sunt, continet.

COMPARATIS inter se quinque vocibus, communitatibusque,ac differentiis illarum explicatis,vnamquanque separatim assumere vult,& cum reliquis quatuor conferre, atque indicare, quanam ratione vna vox cum multis conueniat,vel differat. [Formarum comprehensio.] Hinc collationem exorditur, ac primum confert Genus cum Differentia,& quid hæc commune habeant, quidque differens diligenter declarat.

Quæcunque de Genere, quia genus sit, dicuntur,ea quoque de iis formis,quæ illi subiiciuntur,dicentur: quæque de Differentia, quia differentia sit,omnia etiam de illa specie, quam efficit differentia,dicuntur. Quoniam enim animal genus est, substantia,quodque animatum est, & sensus particeps de eo,quasi genere dicentur: quæ etiam de formis,quæ animali subiectæ sunt,ad indiuidua usque enunciabuntur. Ac quia particeps rationis differentia est, de eo,vt differentia,ratione vtens efferetur: idque quod ratione utitur,non solum de eo,quod particeps rationis est, sed de formis etiã, quæ à rationis participe continentur.

QVAE dicuntur de animali, ea etiam de formis animalis, atque indiuiduis enunciantur: eodem quoque modo fit in differentia. An propterea quòd genus de animali dicitur, (dicimus enim animal genus esse) de formis etiam,& indiuiduis dicetur? Id si ita est,necessitas cogit, hominem, & Socratem genus dicere, quod falsum est: cumque genus duarum syllabarum uox sit, ita & hominem dicere necesse erit. Dicemus igitur Porphyrium ea de causa generatim, [Quia genus sit,] adiecisse: hoc est: quia res sit, non autem quia relationem habeat: genus enim, duabusque è syllabis constans, & huius generis permulta animalis relationem declarant. Quæcunque igitur de animali, quia animal sit, (hoc enim ipsum ut genus dici patet) eadem semper de formis, indiuiduisque dicuntur. Genus quidem de animali, non quia animal sit, sed quia relationem declaret,enunciatur. Animal non modo hominis, equi, & reliquorum genus appellatur, verum & color genus candoris est,& nigroris, necnon omnium reliquorum: quod in aliis quoque summis generibus haud secus inuenietur. Quo fit, ut genus de animali, non ut animali,sed quod affectionem quãdam eorum, quæ sub ipso sunt,accipiat, dicatur, quod in causa est,ut de formis, deque indiuiduis nõ dicatur. Habere quoque eandem de Differentia rationem debemus. quæcunque enim de differentia tanquam differẽtia, & non relationem indicantia,omnia etiam de formis omnibus quæ differentiæ subiectæ sunt, deque indiuiduis dicuntur.

Illud præterea commune illorum est,quòd Genere, Differentiisque sublatis,ea,quæ illis subiecta sunt, nusquam manent: vt enim si animal tolleretur, nec equus, nec homo superesset: ita si nihil rationis particeps sit, animal ratione vtens constare non poterit.

DVAE regulæ eorum sunt,quæ priora censentur,tollere, & non tolli: inferreque,& non inferri, quas nunc Generi, Differentiæq; communes ascribit.

DE GENERIS, ET DIFFERENTIAE DISCRIMINE.

PROPRIVM generis est,de pluribus dici,quàm differentia,& species, proprium, & accidens dicantur: nam animal de homine,equo,aui,et angue dicitur: quadrupes vero de iis tantum,quæ quatuor habent pedes: homoque de solis indiuiduis: quod ad hinniendum aptum est, de solo equo,et singulis,eodemq; modo accidens de paucioribus enunciatur.

CVM exposuerit, quam similitudinem inter se habeant Genus & Differentia,ad declarandum nunc eorum discrimẽ aggreditur. Hic dupliciter, & bipartito sumere Differentias oportet, (nam bifariam capi, ac considerari Differentias diximus) uel ut efficiunt, & absoluunt speciem, uel ut genus in partes secant.

Eas sumere differentias oportet, quibus genus diducitur in partes, non quæ generis naturam perficiunt, sed quæ dispertiunt.

SVMENDAE, inquit, sunt differentiæ, quibus genera in partes diuiduntur,non quæ generis uim, naturamque complent: quandoquidem illæ generum, non quia genera sint, sed quatenus species, erunt differentiæ. Oportet,inquam,differentias,quæ diuidunt accipere, quæ generis sunt: animal enim magis,quàm hæ patet: cum tamen minus serpat, quàm differentiæ, quæ perficiunt. Nam quod supra dixit, accidẽs de paucioribus dici, absurdum uidetur, præsertim cum accidens de pluribus,quam genus dici uideatur: id enim,quod nigrum est,(ut hoc exemplo utar) non tantum animantibus, uerum etiam inanimatis conuenit. Quanam igitur ratione de paucioribus? Hunc nodum ita dissoluemus: Siquid sit sub eodem genere constitutum, ut accidens in animalibus, angustius serpet, quàm animal: id nanque,quod nigrum est, omnibus animalibus non est attributum, & quod in plantis est,planta minus est.

Genus item vi sua Differentiam continet: quoniam animalium aliud rationis particeps,expers aliud. Differentiæ autem non continent Genera. Deinde genera priora sunt differentiis,quæ sunt eis subiectæ: quocirca si tolluntur, differentias secum adiment. At illæ sublatæ genera non tollunt: sublato enim animali, rationis compos, et expers auferuntur: At genera à differentiis non tolluntur: nam etsi tollerentur omnes,natura tamen animata,sentiens,quod animal est,intelligeretur. Genus præterea cum rei natura quæritur, Differentia,cum qualitas,respondetur,ut supra dixi.

DIFFERENTIAS in generibus facultate priores esse, quàm species, quæ sub illis sunt, supra diximus Peripateticos imitati.

Præterea genus in vnaquaque specie unum est,vt animal in homine,differentiæ uero multæ. ut quod rationis cõpos, mortique obnoxium,et mentis particeps est. quibus homo distat à cæteris animantibus.

HAEC est altera Generis, & Differentiæ varietas: Genus enim in vnaquaque specie vnum est, Differentiæ autem multæ.

Demum Genus materiæ persimile est, formæ autem differentia.

GENVS quod in multis est, præsertim naturale, materiæ simile est, & Differentiæ formæ.

Sed cum multa sint, quæ Generis, et Differentiæ propria, ac communia sunt: hæc tamen dixisse sufficiat.

ALIA his esse propria ac communia dicit, tamen ait hæc esse satis multa: communis enim iis est substantiæ impartitio, quoniam ut Genus conficit substantiam, ita etiam Differentia. Commune præterea habent, ut eadem ratione, & definitione dicantur: nam vt Genus de iis, quæ sub se sunt, una ratione, ita etiam Differentia dicitur. Eorum item proprium est, ut Genus, uelut animal, cũ alio genere ad aliquid efficiendum, non coniungatur: Differentiæ contra, ut coniunguntur, & aliquid efficiant: nam rationis particeps cũ mortali, & mentis, ac scientiæ capaci si coniungatur, hominem efficiet.

DE GENERIS, ET SPECIEI COMMVNITATE.

GENVS, *et Species commune habent, ut de multis dicantur, vt iam diximus. Speciem sumi uolo, quæ solum species est, non etiam genus, vt species et genus idem existat. Horum quoque commune est, quòd priora sunt iis, de quibus dicuntur, et quòd vtrunque est quiddam totum.*

CVM Genus cum Differentia cõpararit, dixeritque quid commune habeant, quid proprium, ipsum Genus hoc loco cum Specie confert, quidque cum specie commune habeat, palàm facit. [Quæ solum species est.] Hæc uerba maxima ratione adductus philosophus adiunxit: ne infimam, quæ de multis non dicitur, aut eam, quæ Subalterna dicitur, tanquã subalternam acciperemus: ea enim est & species, & genus eorum, quæ inferiora sunt. Et genus etiam inuenietur: quod licet subalternum sit, ut species, tamen, non ut genus sumitur: ut generis, & speciei, & non utrorunque generum fiat comparatio. Eam deinde communitatem, ut de multis dicantur, ob eam causam præposuit, ut hæc illis, de quibus dicuntur, priora esse significaret.

DE GENERIS ET SPECIEI DIFFERENTIA.

HOC *quidem differunt inter se, quòd species à genere comprehenduntur, ipsa vero species genera non complectuntur: siquidem Genus de pluribus quàm species dicitur. Genera quoque præponenda sunt, quæ differentias formarum procreatricibus informata species perficiũt. Quo fit, vt genera naturæ ordine priora sint, auferantque, neq; auferantur: nã si genus sit, species et oĩo erit: at si genus non sit, species nusquã omnino manebit. Genera ꝑterea vna ratione de formis, quæ sunt eis subiecta, dicũtur: at formæ de generibus nõ dicũtur. Cæterũ genera formas superãt ipsarũ formarũ cõplexione: formæ vero genera, ꝙ proprias differentias complectuntur. Species item nunquam genus summum, & genus nunquam infima species fiet.*

DECLARARE aggreditur, quid differant inter se: ac prima quidem differentia clara est, dicit enim necesse esse, vt genera præponantur: nam animal, vt dictum est, tanquam materia prius ponitur: deinde id, quod rationis particeps est, & mortale assumit, atq; hominem facit. animal quidem genus est, & homo species. [Quo fit, vt genera naturæ ordine priora sint, auferantque, neque auferantur.] Duas regulas tradit, ex quibus discerni possunt ea, quæ ordine naturę sunt priora. Vna hæc est: Id quo sublato aliud tollitur, nec tamen uicissim, prius est: vt animal si tollatur, homo simul tollitur: at si homo adimatur, animal simul non adimetur; igitur ordine naturæ genus est prius forma. Altera est: Id quod infertur est inferente ordine naturæ certe prius: vt cum homo sit, animal semper erit: sed si animal sit, non necesse est hominem inferre. Ergo harum ambarum regularum necessitate genus prius esse naturæ ordine quàm species cogitur. Si genus sit, speciem non inferat: at si species statuatur, unà genus inferet. [Formę uero genera.] Genera à formis superantur, quòd formæ re ipsa continent differentias, quæ vim habent formarum absoluendarum.

QVID COMMVNE SIT GENERI CVM PROPRIO.

GENVS, *& Proprium commune habent, species vt sequantur: nam ut siquid sit homo, idem animal sit, ita siquid sit homo, statim ad risum est natum: Genus etiam æque de formis dicitur, ac proprium de individuis suis: homo enim, & bos æque animantes sunt: & Anytus, & Melitus æque apti ad ridendum. Illud etiam commune est, vt genus una ratione de suis formis, & proprium de ijs, quorum proprium sit, dicatur.*

GENVS cum Specie comparauit, id ipsum nunc cũ Proprio confert. Aliquid porrò sequi dicitur, cum maius necessario sequitur id, quod minus est: ut animal hominem: nam si homo est, animal quoque est: Vel cum æquale aliud æquale consequitur, vt hominem ridendi facultas. Si homo fit, ridendi etiam facultas erit. [Illud etiam commune est.] Id causæ fuit, vt Proprium in iis, quæ substantiam participant, & iis quæ substantiæ aduenticia sunt, medium habere locum diximus: propter tamen hanc cognationem ad ea quæ substantiæ sunt, propius accedit.

DE GENERIS ET PROPRII DIFFERENTIA.

INTER *Genus, & Proprium interest, quòd genus prius est, posterius proprium: primum enim animal sit, differentiis deinde, & proprijs diuidatur, oportet. Item genus de multis formis, proprium de una sola, cuius propriũ est, dicitur. Proprium præterea cum de eo, cuius proprium est, dicitur, reciprocatur: Genus uero de nullo uicissim dicitur: neque enim si quid sit animal, id continuo sit homo: neque si quid animal sit, continuo ad ridendum aptum sit: Atqui si aliquid sit homo, mox ad risum aptũ sit, idq; uicissim retro commeat. Proprium etiam toti speciei, soliq;, ac semper, cuius est proprium, inest: at Genus etsi toti, & semper, cuius genus sit, ei tamen soli non inerit. Si præterea propria tollantur, non vnà auferent genera: at generibus sublatis formæ, quarum sunt propria, unà tolluntur. Ita fit, vt si species, quarum sunt propria, euertantur, ipsa quoque propria simul corruant.*

IN quibus conueniant cum referenerit, in quibus discordent, deinceps declarabit. Prius dicitur non tempore, sed natura. Si Propria tollantur, genera non tollentur: at si genera deleantur, species ad nihilum omnes recident: quibus sublatis, propria nusquam manent: Itaque generibus sublatis propria tolluntur: id quod fit, quoniam species, quarum propria sunt, simul cum generibus adimuntur: homine enim sublato ridendi habilitas unà perit. Hocque iure factum videtur: nam si ablatis formis propria auferuntur, & generibus sublatis tolluntur & species, si genera adimãtur, propria itidem euertentur.

DE GENERIS ET ACCIDENTIS CONVENIENTIA.

HOC *maxime inter Genus, & Accidens, vt supra diximus, conuenit, vt de multis dicantur: idque siue in iis accidentibus sit, quæ separari possunt, siue quæ*

non

non possint. Etenim moueri de multis dicitur, & id quod nigrũ est, de coruis, Aethiopibusque, & aliis nonnullis, quæ inanimata sunt.

GENERI cum Accidente vnicam tantum communitatem attribuit, vt scilicet de multis dicantur. Genus uero ab Accidente plurimum differt: atque eorum, quæ maxime disiuncta sunt, uelut genus, & accidens, difficile est ostendere communitatem, vtpote quæ nulla ferè sit: at differentiã certe facile, quandoquidem quæ plurimum distãt, in multis sunt dissimilia. Ita arduum est opus discrimen eorum afferre, quę proxima sunt, & quasi coniuncta: contra vero cognatio nobis in prompt est: ut siquis lupi, canis, palumbique, ac colũbæ communitatem dicere noluerit, facile expediet: si vero quid differant explicare tentarit, difficiliter faciet. Nullo item negotio dicet, quid homo à formica differat: at in quibus conueniant, ægre, & difficulter. Atque, vt summatim dicam, quæcunque multum inter se absunt, parum admodum communitatis habent, ac differentiæ plurimum: contra, quęcunque parum distant, proximaq; sibi ipsa sunt, parum habẽt discrimen, magnamque conuenientiam.

DE GENERIS ET ACCIDENTIS DIFFERENTIA.

DIFFERT ab Accidẽte Genus, quòd Genus prius formis sit, Accidentia uero formis posteriora. Nam etsi Accidens id, quod auelli non potest, statuitur: id tamen cui inhæret, accidente prius est. Quæ præterea Genus participant, æquam illius partem sumunt: quæ accidens, nõ item. Accidentium enim communio contentionem, & remissionem capit: at Generum communio id nequaquã fert; Deinde Accidentia in indiuiduis primo insident: Genera, & species priora sunt indiuiduis substantiis ordine naturæ. Item Genera de iis, quæ eis subiecta sunt, dicuntur in quæstione, qua natura: Accidentia autem, qua qualitas, aut cuiusuis rei modus inuestigatur: qualis enim Aethiops sit interrogati, nigrum esse respondebimus: aut quomodo Socrates sit affectus, ægrotare eum, aut bene valere dicemus.

GENVS quidem, & Accidens inter se distant plurimum, & parua nimirum alteri cum altero similitudo intercedit: discrimen vel maximum: quod effecit, vt Porphyrius unam tã tum illorum communitatem, varietatesque complures exponat. [Contentionem & remissionem capit.] Homo enim, equusque, atque aliæ præterea species uno, & eodẽ modo animalis sunt participes, æque enim animantes sunt: at corpora non pari ratione candorem, vel nigrorem participant: quicquam enim magis, aut minus album dicitur.

Iam quid Genus à reliquis quatuor differat, exposuimus: cætera autem omnes poterunt etiam à quatuor differre, quare cum quinque sint, & vnaquæque à cæteris quatuor differat, efficitur, vt quater quinque ducta, viginti differentias omnes conficiant. Sed alia nunc ineunda est ratio, quoniam semper deinceps enumerantur, & ex duobus una differentia relinquitur, quòd ea iam sumpta sit, ex tribus duæ, ex quatuor tres, ex quinque quatuor differentiæ colligũtur; nam ex quatuor, tribus, duabus, una, decem fiunt. Genus enim quid à differẽtia, specie, proprio, atque accidenti differat, iã dictũ est, itaq; ex hoc quatuor differentiæ nascuntur. Quid aũt differẽtia à genere distaret, tũc explicauimus, cũ quid genus ab ea distaret, exprimeremus. Quomodo nunc à specie, proprio, atque accidente discrepet, dicendũ restat, ex quo differẽtiæ tres oriũtur. Quid pterea species à differentia differat, exposui, cũ qd differẽtia à specie interesset, exponerem. Quid itẽ species à genere differret, dixi, cũ quid genus à specie differret, dicerẽ. Reliquũ est, vt aperiamus, quid inter speciẽ, propriũ, & accidens intersit, ex quo duæ nascuntur. Deinde quid proprium ab accidente differat, nobis explicãdum sumemus; quo enim pacto à specie, differentia, & genere distaret, supra dixi, cum mutuum illorum discrimen explanarẽ. Cũ igitur quatuor generis, differentiæ tria, speciei duo discrimina, atque vnum propriũ ab accidente in vnũ conferantur, ex omnibus decem fient: quorum quidem quatuor, quibus genus ab aliis distinguebatur, iam demonstrauimus.

Hoc loco Porphyrius demonstrare vult, quot relationes fiant ex mutua uocum comparatione. Relationes inquit fiũt, non vt quispiam arbitraretur, viginti, propterea quòd vnaquæque vox bis reliquis comparetur: sed viam quandam & rationem docet, de qua feci supra mentionem: qua quidem via, quot comparationes ex mutua vocum propositarum collatione nascantur, reperiemus. Ait enim, id quod nos quoq; paulo ante dicebamus, debere nos propositum uocum numerum per alium uno minorem multiplicare, numerique effecti dimidiam partem sumere, quod tot relationes oriantur. Si, verbi causa, quinque per numerum uno minorem, quatuor videlicet, multiplicemus, uiginti reddentur. id si in bina media diuidas, eorum alterum erit decem, & tot erunt huiuscemodi quinque uocum inter sese relationes. Quid uero causæ sit, cur hoc modo faciamus, in promptu est ratio: una enim quæque uox reliquis comparetur est omnino necesse: ac propterea quinque quater ducimus, & viginti omnes relationes fiunt. Sed quoniam comparationes bis fiunt, dimidium tantummodo sumimus: quandoquidem si genus cæteris comparatur, cæteras quoque cum differentia conferri pspicuum est: sique differentiam reliquis, genus cum differentia bis accipitur: de reliquis eadem est habenda ratio. Alter modus tradi solet, ex quo, quot relationes ex mutua comparatione terminorum propositorum oriantur, cognoscimus. Si aliqui termini sint, aliique ad illos addantur, ex vnoquoq; terminorum totidem fient relationes: uerbi gratia, Quinq; sint propositi termini, primi non erit relatio: si alter apponatur, una oritur, quandoquidem terminus propositus unus erat: si alius adiungatur, duæ, quot scilicet propositi termini fuerant: omnes igitur relationes tres fiunt. Si alius terminus iis accedat, relationes tres emanant, omnesque sex omnino redduntur: addito præterea illis termino, quatuor relationes nascuntur: quare quinque terminorum relationes decem fiunt. Id quoque probatur hoc modo. Vnaquæque ex quinque uocibus cæteris quatuor comparanda est. itaque genus cæteris comparatum quatuor relationes efficiet: Differẽtia vero generi cõparabatur, cũ ei cõpararetur genus, qđ idem est, atque si generi compararetur differentia: at cæteris tribus comparata treis relationes faciet, itaque fiunt septem, Species præterea generi, differentiæque comparata est, quando ei genus, differentiaque comparabantur: itaque reliquis duabus comparata, duas relationes creat, ex quo nouem redduntur. Proprium deinde generi, differentiæque ac speciei comparatum est, quando ea ipsi comparabantur, accidentiq; comparatum facit unam relationem, quo fit, ut decem omnino fiant. Accidens nihil habet qui cum conferatur; sed ipsum cæteris comparatum est, cum omnes cum eo conferrentur. Omnes ergo relationes quatuor, treis, duas, vnam oriri iam constat: generis quatuor, differentiæ tres, speciei duas, unam proprii, quæ omnes decem sunt. Proprium rursus generi comparatum non est, quãdoquidem id factum est, cum genus cum eo coniungeretur. Superest ut ante oculos ponamus, quomodo à specie differat; eadem enim relatio est generis ad differentiam, quæ differentiæ ad genus: at genus non iam differentiæ comparatur; sed cæteræ tantum uoces, quæ eam sequuntur.

DE SPECIEI, ET DIFFERENTIAE COMMVNITATE, ET DISCRIMINE.

DIFFERENTIAE cum Specie commune est, vt æqua sit utriusque communio: nam singuli homines æque participes sunt hominis, & eius, quod rationis particeps est. Illud etiam commune est, vt nunquam

seiun-

sciungentur ab iis, quæ ipsarum partem capiunt: nam Socrates & semper homo est, & ratione præditus. Differentiæ proprium est, ut in quæstione, qua qualis res sit, quæritur, dicatur. Speciei uero quæ quid sit: nam etsi homo aliqua affectus qualitate sumitur, non absolute tamen qualis erit, sed quia differẽtiæ generi coniunctæ eum talem reddiderint. In multis item formis Differentia sæpe spectatur, uelut quadrupes in uariis animãtibus, quæ specie differãt: at Species in solis indiuiduis, quæ ei subiecta sunt, reperitur. Differentia itẽ prior est ea Specie, quam ipsa creat: nam si id, quod rationis particeps est, tollatur, homo statim tolletur: homine uero sublato, id, quod rationis est particeps, non adimetur, cum angelus constet.

Ad communia, propriaque Differentiæ, ac Speciei, reliquarumque vocum declaranda aggreditur: atque ita hoc opusculum ad finem perducet. Differentię quidem, & Speciei communitates duas, discrimina plura nos docet. Itaque primo Differentiæ proprium est, dici in quæstione qua quale quicque sit, Speciei uero in ea, qua quid quicque sit, quæritur. Ipse quoque clarum facit id, quod nos in dubitationẽ adducere posse videbatur. Nam cum posset quærere quispiam, quam ob causam, Speciem in quæstione qua rei natura, & differentiam, in qua rei qualitas indagatur, dici asseruerit: præsertim cum homo quadam etiam qualitate sit affectus, (nam si rogamur, quid Socrates sit, animal esse respõdemus: si quale animal, hominem dicimus, ita vt species quoque in ea quæstione dicatur, qua rei qualitas quæritur.) ait, [Non absolute qualis erit, sed quia differentiæ generi coniunctæ eum talem reddiderint.] Species enim à generibus sortiũtur, vt in quæstione, qua uis & natura indagatur, dicantur: & à differentiis, vt in ea, qua quæritur qualitas. Etenim si quis nos roget, quale animal sit, rationis particeps, mortaleq́; respondemus. Quibus quidem fit rebus, vt differentiæ suapte natura in quæstione ea dicantur, qua inuestigatur qualitas, species autem id à differentiis acquirant.

Præterea Differentia cum alia differentia coniungitur: nam quod est rationis particeps, quodque mortale ad hominem efficiendum in unum conferuntur. Species uero cum specie non connectitur, ut alia inde species fiat: aliquis enim equus cum asina coniungitur, ut mula inde nascatur, at si omnino equus asinæ copuletur, ex illa contrectatione nunquam mula gignetur.

Aliud Differentiæ, & Speciei discrimen ostendit. Differentia, inquit, cum alia differentia coniungitur, vt aliquid aliud efficiatur: siquidem quod rationis est particeps, quodque mortale in naturam hominis concluduntur. Sed vniuersus homo, atque vniuersus equus nihil efficiunt: cum tamen vniuersum id, quod rationis particeps est, quodque mortale, hominem faciant. Nam etsi mulus ex equi & asinæ contrectatione nascatur, non tamen ex omnino equo & asina, sed ex singulis, aut quibusdam: nam equus asinam si contrectet, mulum gignet: isque equus aliquis erit, & asina item aliqua, nõ vniuersa aut equi, aut asinæ species. Differentiæ quoque, quę ad cuiusquam speciei ortum conueniunt, nihil quicquam inter se patiuntur, quandoquidem singulæ naturã seruant suã, veluti in homine procreando, specie inquam efficienda, id quod mortale est, quodque rationis, ac mentis est particeps concurrunt, & nihil horum quicquam patitur. At equus & asina congredientes, mulumque generantes, suam in mulo naturam synceram non seruant: id quod fit, quoniã non species sunt, sed indiuidua. Nam cum vtriusque natura corrupta sit aliquid ab vtrisque diuersum effectum est: quocirca Species cum specie non copulatur.

DE COMMVNITATE, ET DISCRIMINE PROPRII, ET DIFFERENTIAE.

Differentia, & Proprium commune habent, ut ea, à quibus assumuntur, æquam illorum partem capiant: rationis enim participes æque rationis cõpotes sunt: atque ii, qui ad risum nati sunt, æque nati sunt omnes. Hoc etiam commune est, ut semper, & omnibus cõueniant: nam etsi bipes uno sit claudus pede, semper tamẽ id habebit, ad quod natum est: idque quod ad ridendum natum est, quamuis non rideat semper, tamen propterea quod ad id natum est, semper intelligitur. Proprium autem Differentiæ est, ut de multis formis sæpe dicatur: ut rationis particeps in homine, et angelo: & Proprium de una sola, cuius propriũ sit. Præterea Differẽtia ex iis cõsequitur, quorum differentia est, ita tamen ut non reciprocetur: at Propriũ uicissim retro commeat: ex eo, quod ipsum, & ea, quorum proprium est, retro dicantur.

Differentiae, & Proprij duas conuenientias tradit: altera est, vt ea, à quibus assumuntur, æquam illorũ, Proprij inquam & Differentiæ partem capiant: altera est, ut iis, quibus ipsorum conuenit communicatio, semper adsint. Socrates non magis rationis particeps est, quàm Plato, neque magis ad risum aptus. Etsi enim aliũ magis, vel minus rationis participem alio dicimus: tamen illis verbis, Magis & Minus, aliud nescio quid significamus. Ibi enim non quærimus naturam rationis participem, sed habitum, aut artis perceptionem alicuius, aut scientiam: qui sanè habitus animi affectio, atque habilitas dici potest. Semper enim homo rationis particeps est, semperque aptus ad risum: non quòd semper rideat, sed quòd ad ridendum natus sit. Geminas præterea dissimilitudines declarat. Differentia enim multas species complectitur, Proprium autem in una tantum cernitur. Differentia item quanquam ex iis consequens est, quorum est differentia, eis tamen ex altera parte non respondet: nam si quid homo sit, id rationis particeps sit, at si quid rationis cõpos sit, non semper homo e[...]it. Proprium autem & sequitur, & reciprocatur: nam si homo est, ridendi habilitas est, si ridendi habilitas est, homo itidem est.

DE COMMVNITATE, ET DISCRIMINE DIFFERENTIAE, ET ACCIDENTIS.

Et Differentiæ, & Accidenti conuenit, ut in multis dicãtur. Cum Accidentibus quoque, quæ separari nõ queunt, Differentiæ commune est, quòd semper, & omnibus adsint: nã bipes semper & homini, et coruis adest, nigror item omnibus coruis: differunt uero, quòd differentia ita formas continet, vt à formis non contineatur: id enim, quod rationis particeps est, & angelum, & hominem comprehendit. Accidentia uero, quia in multis sint, quodãmodo complectuntur: ac quia ea, quibus inhærent, non vnũ aliquod accidens, sed multa recipiant, quodammodo continentur. Differentia neque intenditur, neque remittitur. Accidentia intentionem, & remissionem capiunt. Præterea Differentiæ contrariæ misceri inter se non possunt: Accidẽtia contraria miscentur quandoque, ac coniunguntur. Differentiæ igitur cum aliis vocibus communitates, & proprietates hę sint. Species enim quid à genere, & differentia differret, explicauimus, cum quid genus, ac differentia à cæteris discreparent, doceremus. Superest quid à proprio, & ab accidenti differat, nobis dicendum.

Duae sunt Differentiæ, atque Accidentis communitates, una ut de multis dicantur, altera ut formis semper adsint. Sed prima & separabilibus accidentibus, & iis etiam, quæ separari non possunt, conuenit: secunda uerò iis tantum, quæ nequeunt amoueri, Homo enim non semper sedet, at coruus semper niger est. Sunt autem tria discrimina, siquidem Differentia species continet, quandoquidem rationis particeps plura, quàm homo complectitur: Accidentia & continent, & continentur: nã quia nigror non Aethiopi modo, uerum etiam coruo, cæterisque conuenit, continet: quia uero Aethiops alia accidentia potest recipere, continetur. [Quodammodo.] Id adiectum est, quoniam nec proprie continet, nec continetur: etenim

Socrates

Socrates non est magis rationis particeps alio homine, nisi id ex scientiis acquirat, quæ animi habitus, ac proprietates sunt: sed nec etiam ex substantia, quæ ratione constat, ut diximus. Accidens contentionem, & remissionem suscipit: siquidē Aethiops alio Aethiope, & coruus coruo nigrior inuenitur. Contrariæ differentiæ misceri, iungique inter se nō possunt, quoniam rationis compos, & capers non coniungūtur. Id uero, quod album est, quodque nigrum mista fuscum faciunt. Ita fit, ut contraria accidentia misceri inter se, coniungique posint.

DE COMMVNITATE SPECIEI, ET PROPRII.

SPECIEI cum Proprio commune est, quòd vicissim retro commeant: nam siquid homo sit, ridendi etiam habeat facultatem, ridendi facultatem siquid habeat, homo sit. Sæpe enim dictum est, quod aptum est ad risum, intelligendum esse ex eo quod ad risum natum sit. Hoc etiam commune est, vt ijs æqualiter conueniant, à quibus assumuntur: nam species illis, quæ se participant, æque insunt, ac propria ijs, quorum propria sunt.

CVM sermonem de Differentia institutum perfecerit, ad declarādam Speciem aggreditur, aitq; dictum iam esse quid Species à genere & differentia differat, quidq́ue cum illis cōmune habeat, cum illa speciei compararentur. Itaque quomodo Species à Proprio differat, & accidenti, quidq́ue commune habeat, dicetur. Species quidem & Proprium in duobus conueniunt, tum ut reciprocentur: vt, si homo est, ridendi facultas est: si ridendi facultas est, homo est. Ridendi facultatem dicit, non quod rideat, sed quod suapte natura est cōparatum, vt rideat: tum vt æque insint formis, quæ sunt ipsorum participes: omnes enim, quantum ad substantiæ rationem spectant, rationis participes sunt, ac ridendi habilitas est omnibus æqualiter impertita. Differentiæ multæ sunt: nā Species aliorū genus esse potest, vt animal animati species cum sit, hominis, & equi genus est.

DE DIFFERENTIA SPECIEI, ET PROPRII.

SPECIES à Proprio differt, quòd Species aliorum genus potest esse, Proprium aliorum esse proprium nequit: ac species prius, quàm proprium constat, propriū speciei accidit: necesse enim est hominem esse, ut sit aptus ad ridendum. Præterea Species in re subiecta inest re ipsa, Proprium uero nonnunquam potestate: homo enim semper re ipsa Socrates est, uerum non semper ridet, et si semper est aptus ad risum. Quorum item definitiones diuersæ sunt, ea inter se differunt. Cumq́ue Speciei sit, sub genere constitui, deq́ue multis, & iis numero differentibus, dici in quæstione, qua rei natura quærendo inuestigatur: Proprij est in vna sola, totaq́ue, ac semper reperiri.

SPECIEM hic intellectam uult eam, quæ media est, non autem vltima. Proprium alterius esse proprium non potest. Species prius, quàm Proprium cohæret, fit enim prius homo necesse est, ut postea fit aptus ad risum: at Proprium posterius specie est. Cumq́ue Species in subiecta re insit re ipsa semper, (nam Socrates semper homo est) Proprium interdum potentia inest: non enim semper homo ridet, semper tamen potest. [Quorum item definitiones diuersæ sunt, ea inter se differunt.] Hoc etiam cæteris quatuor conuenit: idem enim de genere, & reliquis dicere possumus, quorum si differunt definitiones, ipsa quoque inter se discrepabunt.

DE COMMVNITATE, ET DIFFERENTIA SPECIEI, ET DIFFERENTIAE.

CONVENIVNT inter se Species, & Accidens, quòd de multis dicuntur. Raræ admodum sunt horū communitates, quoniam Accidens, & id cui accidit, inter se plurimum distant.

VNAM speciei, & accidentis communitatem, multaque discrimina tradit. Quid vero causæ sit, cur vnam tantum conueniētiam nobis explicauerit, nos paulo ante declarauimus, id quod ipse nunc ait, Quæ scilicet plurimum distant, in paucis conueniunt, & differunt plurimum: contra, quæ uicina sunt, & proxima, parum differunt, in multisque conueniunt. Itaque vtrisque commune est, vt in multis dicantur: nam homo de Socrate, & Alcibiade; nigrorq́ue de coruo, & Aethiope dicitur.

Hæc vtrisque sunt propria: Speciei, vt in quæstione, qua quid res sit, quæritur, de iis, quorum species est, dicatur: Accidentis vero, in qua qualis sit, aut quomodo affecta sit, indagatur. Item quòd vnaquæque substantia vnius speciei particeps est, accidētis autem, quod multorum, separabilium inquam, & quæ seiungi nō possunt. Species quoque ante, quàm accidentia, licet ea secerni non queant, intelliguntur: Res enim subiecta sit, vt ei quicquam accidat, necesse est. Accidētia vero posterius fiunt, & suapte natura substantiæ sunt inhærentia. Speciei item communio æqualis est, Accidentium, atque adeo eorum, quæ auelli non possunt, non ita. nā Aethiops magis, aut minus alio Aethiope nigro colore infici potest. Restat nunc, ut de Proprio, atque Accidente verba faciamus: quid enim proprium à specie, differentia, & genere differret, explicauimus.

SPECIEI proprium est, vt in quæstione qua vis, & natura quæritur, dicatur: Accidētis vero in ea, qua quale quid sit, aut quomodo affectum sit. Nam siquis nunc me roget, quomodo Aethiops affectus sit, valere illum, aut ægrotare respōdebo. Species enim, etsi in qualitate indaganda dicatur, id tamen à differentiis, vt dictum est, nanciscitur. Vniuscuiusque item rei natura vnius formæ, & multorum accidentium est particeps: velut aduncitatis, nigroris, & candoris. Species etiam prior est, Accidens posterius: quòd prius esse hominem, quàm nigro colore imbui, & infici oporteat. ac speciei communio par est, & æqua, cum & Socrates, & Plato æque homines sint, non tamen æque albi, aut nigri: inuenietur enim Aethiops coloratior. Nunc philosophus ad proprii & accidentis proprietates ac communitates declarandas aggreditur, & dicendi finem facit. Proprium quidem quid à genere, differentia, & specie differret, diximus, cum illa ei compararentur. Quid autem cum accidenti commune habeat, quidque ab eo differat, in præsentia dicemus.

DE PROPRII, ET ACCIDENTIS COMMVNITATE.

COMMVNE est Proprio, atque Accidenti, quòd separari non potest, vt ea, in quibus esse spectantur, sine ipsis non constent: vt enim sine ridendi facultate hominem, ita sine nigrore Aethiopem non reperies. & quemadmodum Propriū & semper, & in iis omnibus, quorum proprium est, inest: ita Accidens, quod separari non potest.

NON sine ratione addidit, [Quod separari non potest:] quoniam hæc distinctio facit, vt non intelligatur separabile, cui cum proprio nulla fermè communitas intercedit. Igitur commune est illud proprio cum accidenti immobili, quòd illa, in quibus cernuntur, constare sine ipsis non possint. nam si id, quod ad risum aptum est, non sit, non erit homo, perinde

ac coruus

ac coruus non erit,si nigror non existat. Accidens vero discretum non semper inest speciei: quoniam homo non semper sedet,& fieri etiam potest,vt homo sine illo constet,presertim cum Socratem non sedentem animo concipere possimus. Quatenus igitur Proprium,& Accidens immotũ commune quid habent inter se,accidens mobile nihil habeat: at quatenus differunt,Accidens quod seiungi potest,à Proprio differat plurimum.

DE PROPRII, ET ACCIDENTIS DIFFERENTIA. 19

DIFFERVNT, quòd Proprium uni tantum speciei conuenit, ut homini ridendi facultas: Accidens, quod amoueri non potest, ceu niger, non solum Aethiopi, sed & coruo, & carboni, & ebeno, atque alijs nõnullis rebus. Ita fit, vt Proprium de sua specie vicissim dicatur, inque omnibus æque insit: Accidens autem immobile non reciprocetur. Propriorum item communio æqua est, 20 *Accidentium tum maior, tum minor. Sunt præterea multæ aliæ communitates, & proprietates earum uocum, de quibus supra disseruimus: sed hæ ad earum discrimina cognoscenda, & communitates declarandas sufficere iam debent.*

PROPRIVM ab Accidenti,quod non separatur, differt, quòd ipsum uni modo speciei, vt risus soli homini: & illud multis conueniat,veluti nigror, qui non tantum Aethiopi inest,verum etiam coruo,& aliis nõnullis. Proprium etiam reciprocatur ita,vt eius communio par,æquaq; sit: nam si homo est,ridendi quoque habilitas est: si est habilitas ridendi, homo itidem est. Socrates enim, & Plato æque apti sunt ad risum. Accidens quod separari nequit, non reciprocatur, & ob eam causam ipsius communio tum maior,tum minor est: si enim coruus est,niger est, at siquid nigrum sit, non tamen coruus erit. Aethiops quoque,vt supra dicebam,alio nigrior inuenitur: ridendi autem habilitas, nulli magis, aut minus conuenit. Illud quoque scire debemus, Porphyrium dixisse eas substantias,in quibus proprium, & accidens cernuntur, sine proprio,& accidente constare non posse, quandoquidẽ substantia res est,quæ se pulcherrime sustentat, sed substantias sine proprio & accidenti non constare,non quia substantiæ sint, sed quia in propriis,& accidentibus considerentur: nam musicus Socrates,quia Socrates est,sine eo, quod musicus sit,constabit: at quia musicus est, sine eo, quod musicus existat,constare nullo pacto potest.

FINIS.

MATTHAEO DANDVLO,

EQVITI ORNATISSIMO,

ET SENATORI PRVDENTISSIMO

Io. Baptista Rasarius

S. P. D.



EST hoc nobis natura comparatum Dandule clarissime, vt quo quisqne cæteris excellit id ipsum omni cura, omnique diligentia sibi esse perquirendum, atque etiam obtinendum putet. quod cum omnes homines in plerisque rebus faciunt, tum vero ij, qui in rerum cognitionem incumbunt, in veritate inuestiganda præcipuum ponendum esse studium arbitrantur. cum enim cætera omnia nobis esse cum aliis animantibus communia, hancque hominis esse propriam videant: ad eam inneniendam incitato ardenrique studio perpetuo feruntur: ac tum denique se ad finem sibi propositum peruenisse, ac se præstare cæteris, existimant, cum & inuenire, quæ uoluerint, & inuenta recte iudicare, id est, veritatem ipsam intueri, atq; aliis indicare posse videantur. id autem quam uere fieri, doctissimi veteres iudicarint, tu pro summa tua prudentia, singularique doctrina perspicere optime potuisti. nam cum illi humanæ sapientiæ tres omnino partes facerent, vt vna esset, in qua de Deo Opt. Max. ac mentibus superioribus quæreretur: altera de natura, cuius intersit, causas earum rerum videre, quæ mouentur, quæq; natiuæ sunt, ac mortales: tertia uero, in qua ageretur de vita & moribus: his tribus partibus adiuncta est ab iisdem dialectica, veritatis indagatrix, non ut ancillula quædam, & pedissequa, sed data est comes, & pene socia, quæ rebus earum interesset, quasi procurator quidam, per quem illæ omnes suas controuersias transigerent: cuius præcipue officium est, veritatem, qua præstant cæteris animantibus homines, proferre in lucem, atque perpolire. constat enim inter omnes, eam omnibus scientiis, quæ ratione & via vtuntur, deseruire: siue enim illæ genera distribuere in partes, siue definitione res inuolutas explicare, siue sua probare, siue refellere aliena uoluerint, nisi dialectica adhibita, quo modo tam multa efficiant, profecto non habebunt. itaque nihil est omnium diuinarum, humanarumque rerum, de qno posit philosophus recte loqui, nisi hanc artem plane cognitam, perspectamque habuerit. itaque Aristoteles, vir summo iudicio, cum huius artis vim, dignitatemque probe perspiceret, eam summo studio excolendam putauit. comprehendebat enim animo, suum cuique animanti munus a natura tributum esse, quo ab alijs segregatum viueret: atque ita hominem quoque, in quo insitum quendam amorem sciendi esse intelligebat, a brutis veri cognitione, & scientia separatum esse animaduertit. qua in re mirifica naturæ liberalitas, & singularis in nos amor extitit: vt in quo seiuncti essemus ab alijs, in eo ipso, Deo immortali coniungeremur. cum enim in homine sint, quibus excellit, multæ et eximiæ virtutes, nulla tamen est eius propria, præter vnam ueri cognitionem: qua effectum est, vt alia omnia dignitate superaret, & proxime ad deorum similitudinem accederet. cum enim ex omnibus hominis bonis, quæ virtutes vocantur, in Deo nihil esse, præter ueritatem posit: profecto efficitur, vt quemadmodum Deo nihil est præstabilius, sic de bonis omnibus humanis nihil sit ueritate melius, quę facit, vt cum Deo nobis similitudo sit, quo neque maius quicquam optare homo, neque à Deo generi humano dari potuit honorificentius. quam ob rem non sine causa hanc facultatē, qua uerum a falso dignoscimus, & inuenisse, & uero etiam omnibus numeris absoluisse Aristoteles prædicat: ac nobis summa animi contentione dandam ei esse operam persuadet. hæc autem multis uoluminibus, quę tibi omni liberali doctrina polítissimo, & in Aristotelis libris diu, multumque uersato, commemorare non est necesse, continetur. itaque Græci homines, qui acumine ingenij præstiterunt, quę perobscure uir ille diuinus tractauisset, ea quibusdam explanationibus illustranda esse censuerunt: qnorum institutum secutus Ammonius Hermeę filius, Syriani, magni illius philosophi, propinquus, & Procli Platonici frequens auditor, multos ipse quoqne commentarios in Aristotelis libros scripsisse memoratur. quos cum ego de Gręcis Latinos fecissem, existimaui meæ in te singularis esse obseruantiæ, tibi eos, qui in categorias scripti sunt, [illegible]. quos tibi vel ob eam causam charos fore iudicani, qnod de iis rebus agunt, quæ initia & quasi semina continent veritatis, cuius tu semper fuisti studiosissimus: & quod in ueterum sapientum libris ita versaris, vt quantum tibi resp. tribuit otij, id totum libentissime in rerum cognitione, & contēplatione, summa tua cum voluptate consumas. quam ob rem minime mirum videri debet, si tantum progressus

es, quan-

es,quantum omnes & norunt,& uehementer gaudent. cui enim incognita est uirtus tua? cui inaudita sapientia,& eloquentia? cui tandem potest nou perspectus esse, qui in te est, maximarum & pulcherrimarum rerum vsus? nam & Galliæ, cum eas legatus obiisti, te ita sunt admiratæ, ut prope colerent: ac non iam vt exterum esse hominem, sed tanquam patrium numen venerarentur: tum vero Romana urbs, in qua aliquot annos pro hac maxima rep. legatus uixisti, & ad quam sæpe de maximis negotiis missus es, in qua vrbe iudicia de hominum ingeniis uera fiunt, atque sincera, te semper summis in cælum laudibus extulit: denique uero hæc urbs, quæ est tanquam orbis theatrum, ita semper te coluit, vt omnibus honoribus sic te deinceps ornarit, ut etiam maximos, & amplissimos, quos alii multis precibus, ac prensationibus uix adipisci potuerunt, ad te ultro detulerit. Sed quæ tandem potuit illustrior esse omnium animorum in te significatio, quam cum proximis superioribus diebus soror tua fœmina primaria, & matrona præstantissima maximi atque optimi Principis vxor, ad principatum euecta est? eo enim die ludi tanto, tamque vario apparatu, tanta pompa, tanto omnium concursu facti sunt, vt nullus vnquam dies lętior, nunquam beatior illuxisse huic urbi felicissimæ uideretur. ecquis secum non gaudebat? ecquis in uiis prę gaudio non exiliebat? ecquis tibi non uehementer gratulabatur? Sed nolo esse hac in re longior: copiam enim & elegantiam diserti hominis postulat. quare redeo ad Ammonium: quem ita conuerti, & ad te misi, ut meam in te summam obseruantiam aliqua ex parte tibi sic ostenderem: & si quid mea diligentia plus, quam antea, erit Ammonius consecutus, & quid commodi inde homines ferent: id per te, in cuius nomine uolui eum apparere, se adeptos intelligant. Vale. Venetiis Idib. Octob.

CIↃ IↃ LVIII.

AMMONII
IN ARISTOTELIS CATEGORIAS EXPLANATIO,

IOANNE BAPTISTA RASARIO, NOVARIENSI, MEDICO, INTERPRETE.

ARISTOTELIS GENVS, AC VITA.



ARISTOTELES genere Macedo fuit: patria, Stagirita: filius Nicomachi, qui Amyntæ Macedonum regis medicus erat; quam ob rem eius filium Nicomachum nominauit: vt patris sui memoriã conseruaret: ad quem etiam libros de moribus conscripsit: Phæstidem matrẽ habuit. Vterque autem & Nicomachus & Phæstis genus ab Aesculapio ducebant: id quod epigramma in Aristotelem confectum testatur: quod quidem est huiusmodi.

» Nicomachus genus Asclepi, Phæstisq; tulere
» Te patrem sophiæ, maxime Aristoteles.

Parentibus vita functis, Aristoteles apud hospitem quendã Atarnensem educatur, cuius educationis memor, non solum illius filium Nicanorem vicissim alendum suscepit, atq; omnibus doctrinis expoliuit, sed etiam sibi filium adoptauit: & moriens legato suo instituit, vt Pythais eius filia Nicanori nuberet. Atque Aristoteles quidem adhuc adolescens in liberalibus disciplinis eruditus est, quemadmodum eius scripta & de arte poëtica, & cõtra poetas, itemque homericæ quæstiones, & ars rhetorica declarant. Annum vero agens septimum decimum, cum ei quoque Pythia studium philosophiæ suaderet, Athenas profectus est: vbi frequens fuit Socratis, qui cum triennium uixit, auditor. mortuo Socrate, Platonẽ audiuit: cuius consuetudine viginti annos vsus est: tamque strenuam operam nauauit; vt ipse Plato domum Aristotelis, Anagnostæ, hoc est lectoris, appellaret. neque enim viuente adhuc Platone, vt quorundam opinio est, Lyceum ad illius æmulationem Aristoteles ædificauit, ac ludum aperuit. nam quomodo id efficere potuisset, pręsertim cum Chabrias & Timotheus Atheniensium imperatores potentissimi tũc viuerent, & Platoni genere iuncti essent? Et tamen id plerique ostendere, & eam ob causam maxime probare conãtur, Aristotelem in Lyceo docuisse, cum adhuc Plato esset in humanis, quod in plerisque rebus sententiam illius oppugnet: sed his responderi potest, non repugnare ipsum quidem Platoni, sed iis, qui Platonis sententias non intelligunt. at vero si Platoni etiam contradicat, nihil absurdi est: cum in iis etiam idem sentiat, quod & Plato. est enim Aristotelis sententia, maiorem rationem veritatis, quam alterius cuiuspiam rei, ducendam esse: quã etiam hisce ipse verbis expressit:

» Amicus quidẽ Socrates est, sed amicissima veritas. & alio itẽ in loco, Socrates parũ curãdus ẽ, veritas, vel maxime: id quod fecit Aristoteles, quamuis Platonis dicta non euerterit, nam & eadem, quæ ille, sensit, ne veritatem contemnere videretur, immo vero Aristoteles singulari beneuolentia Platonem est prosecutus, quam ara, quam ei posuit, significauit: in qua scriptum erat his fere verbis,

» Hanc tibi, quem nulli fas est celebrare profano,
» Aram docte Plato, ponit Aristoteles.

Cæterum Aristoteles annos viginti vixit cum Platone: quo mortuo, eius scholæ successit Speusippus, eius ex sorore nepos: siquidem Potonæ eius sororis erat filius. at Aristoteles in Macedoniæ vrbem se recepit, ubi Alexandrũ cõditorẽ instituit: magnaque illius regni pars fuit. plurimum enim apud regem poterat, & potentia, tum in singulos priuatim, tum in omnes communiter beneficia conferens, opportune vsus est. atque extitisse quidem multa eius in multos priuatim merita, planum faciunt epistolæ, quibus ille quosdam regi diligenter commendabat: illum uero de pluribus generatim esse promeritum, id vnum satis docet, quod Stagiritarum oppidum iam dirutum Alexandro, vt de integro conderet, persuasit. quocirca Stagiritæ diem festum in Aristotelis honorem concelebrant, quem Aristoteleum nominant: ac mensem, in quo solenne id agunt, stagiritem uocant. Iam vero Eressum Theophrasti vrbem cum Alexandri iniurias expertura esset, à calamitate liberauit. Cum vero postea Speusippus extremum vitæ diem egisset, Athenienses Aristotelem acciuerunt: ac duo hi Aristoteles, & Xenocrates Platonis scholã exceperunt. sed Xenocrates academiam tenuit, Aristoteles in Lyceo docebat. orta autem Athenis seditione, Chalcidẽ Aristoteles petiit, hæcq́ue verba Atheniensibus pronunciauit, Non patiar inquit, vos in philosophiam iterum peccare. nam Socratem iam occiderant. admonuit etiam Antipatrũ regem, difficile esse Athenis vitam ducere. atque etiam homericum hunc versum vsurpabat,

» Inq́ue piro pira, fico ficus inq́ue senescunt.

quasi hisce uerbis Atheniensium calumnias reprehenderet. sed rursus in Macedoniam quoque reuersus est: & auctoritate plurimum apud eos qui tum regnabant, Alexandrum, Olympiada, illius matrem, Antipatrumq́ue, ac Philippum valuit. et ad Alexandrum misit librum vnicũ de regno, in quo ei præcepta, quibus regnum recte administraret, conscribebat. quinetiam Alexandrum quoque in bello ad Brachmanas usque comitatus est: vbi respublicas ducentas quinquaginta quinque confecit. eum eodem etiam in Persidem profectus est: vbi conflato bello, & Alexandro defuncto in patriam rediit. Fuit autem hic vir moribus ornatissimus, in philosophiæ vero cognitione humanum ingenium excessit, cũ nihil in ea tractanda inchoatum reliquerit: immo vero cum multa suopte ingenio, suaque mentis acie eidem adiunxerit, totam philosophiam numeris omnibus absoluit. Logicæ autem multa addidit, cum regulas a rebus distinxerit: ac demõstrandi rationem scriptam reliquerit. ueteres enim demonstrare sciebant illi quidem, at demonstrationis faciendæ rationem ignorabant: quibus idem vsu eueniebat, quod iis, qui corii incidendi arte carent, calceis tamen vti sciunt. naturali parti quintam illam naturam adiunxit: theologiæ vero, licet nihil addiderit, nullam tamen eius partem tractauit, in qua quicquam desideretur. neque enim ea solum nouit, quæ hac mundi sede continentur, vt quidam suspicantur, sed etiam, quæ extra hunc ambitum sunt: vt in octauo physicorũ ipse docuit, cum ait, primam causam neque per se, neque ex accidenti mobilem esse: quibus sane verbis diuinam naturam neque corpus esse, neque perturbationibus obnoxiam indicabat. Vixit autem annos tres & sexaginta. cum enim ad decimum septimum ætatis annum peruenisset, ad Socratem audiendum se contulit: quo in munere triennium uersatus est: fuitque cum Platone annos viginti: ac post Platonis mortem vixit annos viginti tres. Hæc ferme habuimus, quæ de vita Aristotelis diceremus.

EXORDIVM IN LOGICAM FACVLTATEM,

IN QVO VTRVM LOGICA INSTRVMENTVM, AN PHILOSOPHIAE PARS SIT,

DISPVTATVR.



VONIAM hic liber, quem interpretamur, eſt logicæ facultatis principium, vt in orationis noſtræ progreſſu docebimus, ideo quærendum eſt neceſſario, vtrum logice ſit philoſophiæ pars, an inſtrumentum. etenim ſcire conuenit, veteres philoſophos tum partem eſſe philoſophiæ logicen dixiſſe, vt tota familia Stoicorum: tum vero inſtrumentum, vt Peripatetici omnes cenſuerunt. Plato vero ſimul partem & inſtrumentum eſſe ſenſit: ac partē quidem in Phædro, & inſtrumentum in Parmenide, vbi ait, adoleſcentes, vſque dum adoleſcentiam agunt, exerceri debere in ea arte, quæ garrula nominatur, vt poſsint verum a falſo diſtinguere. quod igitur garrulam eam appellauit, ex eo ſuſpicamur, inſtrumentum ab ipſo dici: propterea quod nunquam garrulam potuiſſet eam vocare, ſi philoſophiæ partem eſſe putauiſſet: ne philoſophiam garrulam dixiſſet. Poteſt autem vna eademque res & pars eſſe, & inſtrumentum, vt manus: ipſa enim & dandi & accipiendi inſtrumentum eſt, & pars etiam corporis totius. Stoici uero duobus argumentis ſententiam confirmant ſuam: quorum alterum eſt huiuſmodi: omne, inquiunt, quo utens aliquo vtitur, ſi id, quo vtens vtitur, neque pars eſt alterius cuiuſquam, neque particula, id neceſſario eſt ipſius vtentis vel pars, vel particula: vt medicina vtitur victus ratione, quæ quoniam alterius cuiuſpiam neque pars eſt, neque particula, ideo pars, aut particula medicinæ exiſtimanda eſt: ſed pars curatricis, particula vero eius, quæ in actione conſiſtit. Cæterum in argumentatione adiunctum eſt, ſi id neque pars eſt alterius cuiuſquam, neque particula, propter aſtronomiam, qua vtitur etiam ars gubernandi. cumque aſtronomia prius ſit pars & particula philoſophiæ, vt pars mathematices, particula vero eius philoſophiæ, quæ in contemplatione verſatur, idcircō fit, vt neque pars, neque particula gubernationis exiſtat. ergo ſi philoſophia vtitur logica facultate, hæcq; non eſt alterius ſcientiæ pars, vel particula, philoſophiæ igitur eſt. hæc eſt prima illorum argumentatio. Sed reprehendi facile poteſt, nā & ego conuerſo ſermone ſic dicam, quoniam grammatice, rhetorice, ac medicina vtuntur logica facultate, vna vt ſuas regulas veras eſſe probet: altera vt ſua decreta confirmet: neque pars, neque particula alterius artis eſt, ſequitur perſpicue, eam dictarum artium partem eſſe, ſiue particulam. Præterea imperfecta quoq; & manca argumentatio eſt. erat enim eis ita dicendum, quicquid aliquo vtitur, ſi illud, quo vtens vtitur, neque pars eſt, neque particula, neq; alterius artis, aut ſcientiæ inſtrumentum, id ipſius vtentis vel pars, vel particula, vel inſtrumentum erit: cumque logica neq; pars, neque particula ſit philoſophiæ, profecto eius eſſe ipſam inſtrumentum neceſſe eſt. atque addenda quidem eſſe illorum rationi hæc verba, neque inſtrumentum, erit ex hoc perſpicuum. medicina vtitur phlebotomo, hoc eſt ſcalpello, quo vena ſecatur, quod neque pars, neque particula alterius artis eſt, hoc ergo erit medicinæ pars. quod ſi verum eſt, quia phlebotomum corpus eſt, etiam medicina corpus erit, quaſi ex corpore quoque conſiſtat, quod ſane abſurdum eſt, cum ea ſit habitus animi, atque ſcientia. Altera ipſorum argumentatio eſt talis, nulla, inquiunt, ars ſuum inſtrumentū fabricatur: ergo ſi philoſophia logicam efficit, logica non erit eius inſtrumentum, ſed pars. nos vero hanc quoque argumentationem, ex euidentibus progredientes, euertamus. dicimus enim multas alias artes eſſe, quæ propria inſtrumenta repererunt; vt ærariam, incudem inueniſſe, quæ ipſius inſtrumentum eſt: fabrilem quoq; mallei inuentricem fuiſſe. ſi ita eſt, quidnam hic incommodi ſequitur, ſi logicen eſſe philoſophiæ inſtrumentum dicamus, etiam ſi ſit eius opus? At Peripatetici, vt ante dixi, & logicam eſſe inſtrumentum philoſophiæ voluerunt, & plerīſque argumentis comprobarunt, partes ſe ſe vicíſsim non complecti, ac continere, quemadmodum neque manus naribus continetur. ac ſi etiam videamus, logicam parte philoſophiæ, quæ in rerum contemplatione, & in parte quæ in actione conſtituta eſt, contineri, nō tamen pars, ſed inſtrumentum earum erit. Præterea ſi quæ parti conueniunt, ea logicæ minime conueniant: at quæ inſtrumento, eadem quoque logicæ conueniant, planum eſt, non partem eam, ſed inſtrumentum iudicari. parti enim hoc conuenit, vt non propter aliud, ſed propter ſe facta ſit, vt pars philoſophiæ, quæ ad contemplationem pertinet, propter ſe, & non propter aliud ſit facta: eodemq; modo pars, quæ in agendo eſt: at inſtrumento conuenit, vt propter aliud, & non propter ſe factum ſit: logica vero non propter ſe, ſed propter aliud eſt facta: atque in contemplatione, vt verum a falſo diſcernat: in actione vero, bonum a malo diiudicet. hæc ſi ita ſunt, logicen eſſe philoſophiæ inſtrumentum ſtatuemus: ſiquidem pars omnis eandem materiam, eundemque finem habet, quam totum: logica vero neque eandem materiam, neque eundem finem nacta eſt, quam philoſophia: ergo conficitur, non eſſe eam philoſophiæ partem: quippe cum philoſophiæ materia ſint res, finis vero, proxime ad Dei ſimilitudinem accedere: logices materia ſint voces, & propoſitiones: fines vero demonſtrationes, & concluſiones. denique pars cæteris partibus adiuncta totum cōplet, ablata a cæteris, diminuit: logica horum neutrum facit, non igitur pars, ſed inſtrumentum eſt. atq; hæc eſt Peripateticorum, quibus non eſt reſiſtendum, explicata ſententia. Plato autem, vt ſupra memoraui, & partem & inſtrumentum ipſam eſſe confirmauit: vt enim, inquit, duplex ſextarius eſt, alter quo metiris, alter quem metiris: & is quo metiris, inſtrumentum dimetiendi eſt, quem vero metiris, pars totius humoris, ita etiam logica, cum ſeiuncta a rebus eſt, philoſophiæ inſtrumentum eſt: cum vero accommodatur rebus, philoſophiæ pars iudicatur.

AMMONII IN ARISTOTELIS CATEGORIAS EXPLANATIO.



VSADMODVM cum Porphyrij institutionem explicandam suscepimus, omnia quæ ad vniuersam philosophiam pertinebant, sumus persecuti, ac deinde quid ei libro propositum esset, declarauimus: ita nunc quoque exordientes, antequam ad librum Aristotelis aggredimur, quæ ad omnem aristotelicam philosophiam facere videbuntur, exponemus: tum quid philosopho hoc categoriarum libro propositum sit, aperiemus. Capita autẽ, quæ præponi debent, decem sunt, primum, quot modis philosophorum sectæ nominentur, vt quam sectam philosophus secutus sit, intelligamus: secundum continebit Aristotelis librorum diuisionem: tertio agetur, a quibus eius libris initium ducendum sit: quarto quis sit aristotelicæ philosophiæ finis explicabimus: quintum viam nobis ad finem commonstrabit: sextum, genus aristotelicæ locutionis quale sit, ostendet: septimum, cur obscuritatem adamarit: octauum, qualis esse auditor debeat: nonum, qualem esse interpretem oporteat: decimum, quot capita præfari conueniat ante, quam ad quemque Aristotelis librum explicandum aggrediamur. atq; hæc quidem capita sunt, quæ quærenda sunt. Verum causa etiam inuestiganda est, cur hæc sola, nec plura, neq item pauciora quærantur. quam sane causam facile inueniemus, si ex diuisione progrediamur. Illud igitur sciendum est, septem modis philosophorum sectas extitisse: vel enim a principe atque auctore sectæ nomen duxerunt, vt Platonici, & Pythagorei, vel ab auctoris patria, vt qui ab Aristippo manarunt, Cyrenaici dicti sunt, & ab Euclide, Megarici: vel a loco, in quo versabantur, vt Academici, qui a Xenocrate, & Stoici, qui a Zenone Citieo profecti sunt: vel a iudicio, quod in philosophia habebant, vt qui Ephectici, hoc est sustinentes assertionem, vocabantur: vel a genere vitæ, vt Cynici, quorum princeps fuit Antisthenes: vel a fine, quem philosophię statuebant, vt Voluptarij, Epicurei: vel ab euentis, vt Peripatetici ab Aristotele profecti. atque Ephectici quidem hac de causa ita vocati sunt, quod Pyrrho sectæ princeps dixit nullam esse rerum comprehensionem: quod hoc exemplo comprobabat: quemadmodum inquit, idem flumen bis ingredi nemo potest, (ante enim præterlapsum est, quam iterum ingrediaris) ita de rebus nihil certi potest enunciari, cum earum quoque fluxa sit natura; atque in eo essentiam habeat, quod adueniat, atque recedat: quam ob rem si quis nos roget, esse annuendum solum, vel abnuendum, cum existimamus prius res ipsas immutari, quam nostra sit allata responsio. id absurdum augens Heraclitus eius auditor, ne semel quidem nos posse in eundem fluuium descendere asseuerabat: nam antequam totum corpus in flumen coniecissemus, magnam iam aquæ vim esse delapsam. atque ita etiam rerum naturam esse affectam existimabat: siquidem & in motu, & in fluxu habere essentiam cuncta putabat: quocirca Ephectici dicti sunt, propterea quod responsiones de rebus cohiberent. Plato autem cum multis rationibus illorum sententiam redarguisset, ad cæteras hac etiam in illos vsus est: Vos inquit, qui rerum nullam esse comprehensionem ducitis, intelligitis ne, an secus, nullam esse comprehensionem? si enim scitis, comprehensio est: si ignoratis, vobis fides nulla adhibenda est, tanquam nescientibus, vtrum nulla sit comprehensio. Cynici vero ita vocati sunt, quia & licentia loquẽdi vterentur, & faciles essent ad homines reprehendendos. etenim aiunt canem nescio quid habere philosophicum, & vi quadam internoscendi præditum: quippe qui & alienos adlatret; & familiaribus blandiatur: ita etiam Cynici blandiebantur, atque amplexabantur virtutea, & eos qui conuenienter virtutibus viuerent: vitia autem, & qui vitam vitiis obnoxiam ducerent, atque adeo ipsos etiam reges, insectabantur, atque adlatrabant. Voluptarii vero hoc nomen inuenerunt, quia finem & extremum rerum omnium voluptatem posuerunt: ac voluptatem quidem non corporis, sed tranquillum statum animi, & perturbationum vacuitatem, quæ vitæ ex virtute comitatur. sed ij male senserunt, cum quiddã virtuti aduentitium, id est umbram virtutis esse finem statuerunt. Peripateticis vero hoc nomen impositum est, hac de causa: Plato exercitationis causa deambulans cum amicis colloquebatur: cui cum successisset Aristoteles, nomen ab actione, hoc est ab accidẽti duxit. Iam vero libros Aristotelis diuidamus. quidam igitur ad res singulas pertinent, vt epistolæ, quidam ad vniuersas, vt physica, ut libri de anima, & cæteri: quidam intermedij, vt libri de rep. historia animalium, quidam vero commentarij, quidam ordine & diligentia conscripti; commentariorum vero quidam vnius formæ solum sunt, vt qui de vna re sola scripti sunt: alij varij, vt in quibus multa adnotauit. Eorum vero, quæ ordine confecta sunt, & studio conscripta, atque elaborata sunt, quædam sunt, in quibus ipse ex sua persona loquitur, & limatius conscripta, quæ ἀκροαματικὰ nominantur, alia in dialogo, & populariter scripta, quæ ἐξωτερικὰ vocantur. eorum vero in quibus ex sua loquitur persona, & acroamatica sunt, alia ad contemplationem, ad actionem alia pertinent, alia organica dicuntur. Eorum quæ in contemplatione versantur, alia naturalia, alia mathematica, alia diuina sunt: eorum vero, quæ in actione consistunt, alia sunt de vita & moribus, alia de re familiari tuenda, alia de rep. administranda. Organicorum alia ad ea vtilia sunt, quæ methodum ipsam antecedunt; alia de ipsa methodo sunt instituta: alia ad methodum aliter valent. Ad singulas autem res pertinent ea volumina omnia, quæ ad vnum aliquem priuatim scripta sunt: quo genere continentur epistolæ, & quæcunque ad Alexãdrum rescripsit, cum ab eo de regis officio, & de coloniis deducendis quæsiuisset. Vniuersalia vero sunt, vt tractatio de natura, & de anima, vel quæ de ortu, atque interitu scriptis consignauit: siquidem his in libris de rebus vniuersalibus agit. Media autem interiecta sunt ea volumina, quibus res publicas, & ortus animantium complexus est: illa enim, quatenus de animalibus illic agitur, vniuersalia sunt: quatenus vero non de omni ortu absolute agitur, ad singulas res pertinẽt. Commentarios vero eos vocant libros, quos ad res in memoriã redigendas sibi ipsi conficiebant: erat enim hoc in more institutoque maiorum positum, vt cum veterum libros perlegerent, eorum de quaque re sententias excerperent, & item argumenta, quibus res illas confirmabant, adnotarent. neque id solum faciebant, sed quæ ipsi persæpe probauissent, adnotabant, recordationis gratia, vt si quando essent de re aliqua conscripturi, veterum de re proposita sententias, vt suorum librorum materiem, ex præparato haberent. cæterum hos commentarios vel vnius formæ dixerunt, vt sunt qui de vna sola re agunt, vt de anima, de cęlo, aut alia re quadam: alij varij, in quibus de multis rebus erat instituta tractatio. Ordine vero scripta ea vocabant, quæ & elocutionẽ rebus aptam, & scriptioni accommodatam haberent, & diuisionem capitum, quæ ordine progrederetur. atque eorum, quæ ita confecta erant, alia ita, vt philosophus sua persona loqueretur. erant autem secundi generis ea, in quibus ipse loquens docebat; quæ itidem acroamatica nuncupabant: propterea quod ad suos, ac veros discipulos dirigeret orationem: In dialogo vero scripta dicuntur, quæ non ex sua persona quispiam scribit: sed, vt Plato, alios loquentes facit: hocque scribendi genus exotericum, id est populariter scriptum vocauerunt, quia ad multorum vtilitatem esse confectum videatur. Quæ autem dialogo constant, plurimum ab iis, in quibus auctoris persona loquitur, differunt: nam in his cum ad suos auditores sermo pertineat, & sententiam suam exponit, & accuratioribus argumentis comprobat; & quæ vulgus percipere nullo modo possit: at in dialogis, & ad communem, & ad popularem vtilitatem conscriptis, tradit quidem quæ ipsi probentur, verum ea non demonstratiuis argumentis, sed simplicioribus, & ad vulgi intelligenciã accommodatis ostendit. In quibus autem auctor ex persona sua docet, diuiduntur in ea, quæ in contemplatione, quæque in actione versantur, & in organica: siquidem philoso-

phia quoque in has duas est partes distributa, actionem & cootemplationem. In cootemplatiooe positi sunt ij libri, in quibus rerum veritatem, falsitatemque considerat. ad actionem vero pertinent, in qnibus de bono & malo agit. quoniam vero magna inter homines est de bono & malo, deque vero & falso contentio, aliique aliud boonm esse, ac malum, verumque ac salsum putant, oportuit Aristotelem instrumẽtum nobis suppeditare, quo hæc omnia rite discerneremus. id vero fuit demonstratio, quæ nihil est aliud, quam syllogismus demonstratiuns. quemadmodũ enim faber amussi instrumento ad ligoa inflexa, & recta discernenda vtitur, & vt adhibet ædificator perpendiculum, vt murum rectum & obliquum dignoscat; ita etiam philosophi demonstrationem habent, quam tanquam certam ac veram regulam ad discernenda ea, quæ sunt, adhibeaot. Diuidũt præterea eos libros, qui contemplationi sunt assignati, in naturales, mathematicos, & theologicos. ac theologici quidem sunt libri de prima philosophia, quos metaphysica nominauit: siquidẽ theologiæ proprium est ea docere omoia, quæ supra naturã sunt: naturales vero, vt libri physicorum, de ortu & interitu, & ceteri consimiles: mathematici denique vocantur, qui mediũ quendam inter hos locum tenent, ac partim à materia separantur, partim vero non item. scripsit enim etiam de lineis quibusdam. Quæ volumina ad actionem referuntur, in ethica, quoniam de moribus etiam conscripsit, œconomica, & politica sunt ab eo distribnta. Organicorum quædã de methodi principiis sunt, vt Categoriæ, & liber de interpretatione; ac duo priores analytici: quædam de ipsa agunt methodo, vt posteriores duo analytici; in quibus vim demonstrationis nos docet: at locorum pertractatio, quæ libris octo cõtinetur, & reprehensiones sophisticæ, itemque ars rhetorica, &, vt quibusdam placet, ars poëtica, suapte natura ad methodum nihil conferunt: verum & ipsa alicui nobis sunt ad demonstrationem adiumento: cum vias nobis, ac rationes patefaciant, quibus falsæ conclusiones efficiantur. Tertiũ erit deinceps caput, vnde initium in aristotelicis libris perlegeodis ducendum esset. ac Boëthus quidem & Sidonius existimant, initium sumeodum esse à naturali tractatione, qnippe cum nobis magis familiaris, magisque nota sit: siquidem à notioribus atque apertioribus semper sit incipiendũ. Andronicns vero Rhodius eius præceptor diligentius rem perpendens a logica, quæ in demonstratione versatur, exordiendum ecnsuit. cum enim in omnibus suis scriptionibus methodo demonstratiua philosophus vtatur, efficitur, vt in hac prius exerceri summa cum cura debeamus, vt cętera eius scripta facile percipiamus. at quorundam sententia est, a libris moralibus auspicandum esse. aiunt enim mores in primis conformandos esse, tum ad reliqua progrediendum, ne cum mens affectionibus turbata sit, ac perturbationibus agitata, minus accuratum de rebus iudicium feramus. Verum si quis dicat, a logicis incipiendum esse, vt ea quæ nos ad principia perducant, & qualis nam hæc virtus sit, cum demonstratione intelligamus, dicimus, nos debere id in primis recta opinione, ac mente percipere, tum postea etiam cum demonstratione. quam ob rem licet demonstrationes non assequamur, tamen præcepta ad mores instituendos prius nobis perdiscenda sunt, vt recta ratione conuenienter illis viuamus: tum ad viam & rationem demonstrationis accedẽdum. Quisnam finis est aristotelicæ philosophiæ? eum nos esse dicimus, vt rerum omnium principium, causam omniũ opificem, sempiternam, & in eodem statu permanentẽ cognoscamus. demonstrat enim omnium principium, & vacãs corpore, atque ex illo exoriri omnia. Quænam ad hunc finẽ nos perducunt? nempe doctrina eorum, quæ in tempore, mutationeque versantur. huiusmodi autem sunt, quæ oriuntur & occidunt. ab his enim per medias mathematicas disciplinas adducimnr ad sempiterna, & quorum semper idem est status. hæc vero cælestia sunt: atque ita post substantias corporis expertes ad primam rerum omninm causam perueniemus. Cum enim motus omnis vel in substantia, vel in quãtitate, vel io qnalitate, vel in loco fit, quæ ortui atque interitui sunt obnoxia, omni motus genere mouentur: cælestia vero solo motu loci cientur. quocirca ordine progrediendum est à rebus, quarum varij sunt motus, ad eas quæ vno solo motu agitaotur: atque ita ad principinm immobile, & quod eodem modo semper se habeat, deueniendum, neque, vt ab oraculo proditum est, pes transgressor mittendns. si eoim repeote a corporibus ad primum omoium progredi principium vellemus, illud quoque corporatum esse, & figuratum animo conciperemus. ideo fit, vt Plotinus admonuerit, mathematicas disciplinas adolescentibus esse perdiscendas, vt illi ad naturam incorpoream assuefiant. Genus autẽ scribendi Aristotelis vbique est locutione accurata perpolitum. oratorias autem exornationes semper philosophns fugit, atque id solum intuetur, vt rerum naturã sub oculos subiiciat. sed sæpe compressum dicendi genus est, & perobscurum: non quod ea esset scriptoris natura, sed quod data opera id ipse egit: nam & locos argumentorum in topicis, & res quæ in sublimi aëris regione fiuot, in meteoris, & alia quoque clare & aperte conscripsit. Verum ipse studio ducebatur obscuritatis, vt legentes redderet ingeniosiores, vt quæ dicerentur, diligenter, studioseque audirent: & vt ignauos auditores ipsis exordiis reiiceret, atq; auerteret. Veri enim auditores, quo obscuriora sunt quæ dicuntur, eo studiosius adnertunt, ac maiore conatu ad intima peruenire contendunt. quam ob rem ipse, propter profanos homines, obscuritate tanquam velamine quodam vsus est, rerum dignitatẽ obscuritate subtexẽs. Auditor autem esse iustus debet, ingenio præstanti, literarum studiosus, animi moderatione, moribusque præditus, & omni ex parte ornatus. Qui vero explicare Aristotelis libros velit, eum decet, neqne beneuolentia adductum dare operam, vt falsas sententias defendat, neque eas perinde excipiat, ac si ab Apollinis tripode manarent: neque, vt qnæ vere ac recte dicta sunt, peruerse ac per odium capiat: sed incorruptum esse omnium eorum quæ dicuntur, iudicem. ac primum quidem debet auctoris explicare sententiam, tum qnæ eidem probentur, interpretari: postremo de eisdem ferre iudiciũ. Quæ vero præfari nos ante qoamuis Aristotelis tractatiooem oporteat, hæc sunt, intentio, & cætera, & item, vtrum verus sit philosophi liber. Intentio enim naturam tractationis illustrat, & legenti tanquam habitum quendam præbet, vt sciat quomodo vnumquodque sit intelligendum. quicquid enim dicitur, id lectorem parat, vt ad operis intentionem dirigatur. etenim qui nescit, quid libro propositum sit, similis est cæco, qui quidem quo ducatur, plane ignorat: atque existimabit omnia ab auctore temere dicta esse, quæcunque ad intentionem pertineant. Vtilitatis vero declaratio studium ac diligentiam auditoris exacuit: præsertim cum deceat eum, qui aliquid sit aggressurus, prius intelligere, quam illud ei vtilitatem, quẽque fructum sit allaturum. Causa vero indicis exponitur, quoniam in quibusdam libris, quorum obscura est inscriptio, intentionem non assequimur. idcirco quare eum habeat liber indicem, quærendum est: id quod in categoriis & libro περὶ ἑρμηνείας, & alijs vsu venit. nam io libro de cælo, & de anima, quia inscriptioois causa per se clara est, minime exponenda erit. Quin etiam cur quæramus, vtrum verus sit philosophi liber, nec'ne, tres causæ faciunt, quæ in veris Aristotelis libris ab adulterinis digoofceudis errorem creauerũt: quarum vna est nominis similitudo: propterea qnod alij quoque huius nominis philosophi fuerunt, quorum scripta, Aristotelis esse, nõnulli putauerunt: altera est similitudo nominum libris impositorum: siquidem philosophi auditores Eudemus, Phanias, ac Theophrastus ad magistri æmulatiooem categorias, de interpretatione, & analyticos libros conscripserunt: tertia hæc est, aiunt Ptolemæum Philadelphũ summo studio libros Aristotelis, vt etiam aliorum peruestigauisse, & libros Aristotelis magno pretio mercari consuesse. quo factum est, ut cum nonoulli pecuniarum studio ducerẽtur, libris nomen Aristotelis inscriberent, atque ad Ptolemæum deferrent. sane aiunt in magna illa bibliotheca analyticorum libros quadraginta, categoriarum duos inuentos esse: atque ab interpretibus iudicatum, hunc solũ esse Aristotelis. analyticorum uero, quatuor: quod illi censuerunt tum sententijs, tum dicendi ratione commoti: & quod in alijs libris huiusce tractationis philosophus semper meminerit. Quis uero lectionis ordo sit, inuestigamus, ne prius maiora aggrediamur, & ad illorum studium accedamus, ad quæ

intelligenda

intelligenda opus sit, alia prius percipere, cum ea, quæ primo loco nota nobis esse deberent, ignoremus. Iā uero quot in partos liber diuidatur, aperimus, propterea quod qui totius rei discere naturā accurate uult, ei partes illius diligenter inspectæ esse debent: uelut si quis hominem exquisite noscere uelit, eius caput, pedes, manus, & cæteras item eius partes nosse debebit: ita in singulis libris partes quot, quæque sint, prius sunt perspiciendæ. Illud tamen scire cōuenit, non in omnibus libris hæc quærenda esse omnia: sed in quibus occultata perspicuitas est. Sæpe enim unà cum intentione utilitas dignoscitur, ut in libris de cælo & de anima, in quibus & intentio, & utilitas, & inscriptio perspicuæ sunt. at in topicis nihil horum est clarum. immo uero ne intentione quidem cognita, statim etiam simul apparet utilitas. est enim ei in topicis propositum, dialecticam methodum nobis tradere: est autem dialectica, ut ipse definitione eam explicat, ratio & uia, qua de omni re proposita ex probabilibus ratiocinari possumus. quod si de omni re proposita est, nobisque non solum uera, sed etiam falsa proponuntur, ecquænam inde utilitas extabit, ut cognoscamus uiam & rationem, qua falsa quoque concludamus? itaque ipse paulum progrediens, vtilitatem exponit, aitque eā tractationem ad tria esse vtilem, ad exercitationem, ad congressus, & ad philosophiæ scientiam. veruntamen in categoriis, & libro de interpretatione vnà cum intentione utilitas perspicitur, vt nos postea ostendemus. atq; hæc quidem de vniuersa Aristotelis philosophia dicta sint nobis. dicamus modo huiusce libri categoriarum, qui nobis propositus est, quæ sit intentio, quæ vtilitas, quæ causa inscriptionis, quo loco legendus, vtrum sit verus philosophi, quæ sit in capita distributio: siquidem hæc, vt monuimus, ante omnes Aristotelis libros prædicenda sunt. Quid esset Aristoteli propositū in libro categoriarum, uariæ fuerunt hominum sententiæ. alij enim de uocibus solis esse intentionem dixerunt, inter quos Alexander numeratur, decepti scilicet Aristotelis uerbis, quæ sunt huiusmodi: Eorum, quæ dicuntur, quædam coniuncta sunt, quædam simplicia: si vero quæ dicuntur, voces sunt, certe patet, ei propositum esse, de vocibus agere. alij de rebus solis esse intentionem putauerunt, cuius sententiæ fuit Eustathius: qui rerum fieri à philosopho diuisionem asseruit, cum ait, Eorum, quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur: si enim, inquit, quæ sunt, res sunt, certe de rebus est intentio. alij de solis conceptibus differere philosophum existimantes in eam opinionem, ut Porphyrius etiam sensit, deuenerunt, quia de decem generibus loquitur. hæc autem in multis considerantur, & posteriore loco genita sunt, quæ quidem in nostra intelligentia inhærent. ergo agit hoc in libro Aristoteles de conceptibus. uerū hic quoque falsus est propter ea verba, quæ in extremis fere generibus sunt ad hunc modum, Ac de propositis quidem generibus hæc satis sint, quæ diximus. genera.n. vbique Aristoteles vocat, quæ sunt in multis, ac mente concipiuntur. qui uero diligentius loquuntur, quorum vnus est etiam Iamblichus, aiunt, Aristotelem neque de solis conceptibus, neque de solis vocibus, neque de solis rebus loqui: sed ei propositum esse, agere de vocibus res per medios cōceptus significantibus. Superiores vero non recte sensisse, vel ex hoc vno constabit. qui de rebus agi hoc loco dicunt, ij mihi respondeant, cum rerum aliæ in sola cogitatione sint, vt centaurus, & hircoceruus, aliæ cohæreant, de quo genere rerum verba fiant. nempe dicent de ijs, quæ cohærēt. vtrum harum sumpta notione ita nos per voces de eis nos docet? profecto id omnino fatebuntur: cum non posint res, nisi uocibus per medios conceptus significari. ergo & de omnibus differet. Sed dicant pari quoque modo, qui de solis uocibus, aut de solis conceptibus instituisse hanc disputationē Aristotelem uolunt, cum uoces & conceptus partim significent aliquid, partim essentiam suam uoce tenus, & cogitatione obtineant, de quibus uerba fieri respondebunt? sane dicent, de iis, quæ res significant: propterea quod philosophi uocum aut conceptuum nihil significantium nullam rationem ducunt. qui ergo de uocibus res significantibus differit, res etiam ipsas attingit per medios conceptus: cumq; agat de conceptibus res significantibus, de eis differet per uoces, quæ conceptus interpretantur. si enim animi nudi essent à corporibus, etiam nudis conceptibus uterentur: nūc uero corporibus alligati, non alia ratione, quam uocibus suos conceptus mutuo significare queunt. Quoniam uero rerum quædam simplices, quædam compositæ sunt, ut simplex res est Socrates, composita hæc, Socrates ambulans: eadem est conceptuum, & uocum ratio: partim enim simplices, partim compositæ sunt: simplex uox, Socrates absolute, & conceptus simplex de Socrate; composita uox, qua dicitur, Socrates currit, conceptus compositus, de Socrate currente: utrum de simplicibus rebus, & uocibus, an de cōpositis loquitur? dicimus, de simplicibus. quocirca intētionem categoriarum exquisite definiētes affirmamus agi hoc loco, de uocibus simplicibus res simplices per simplices cōceptus significantibus. ut autem id quod dicimus, sit apertius, nonnulla præponemus, quę nobis utilia erunt ad eorū, quę dicenda sunt, explicationem. quoniam igitur philosophiæ, uti diximus, altera pars in contemplatione, altera in actione uersatur. atque eius, quæ ad contemplationem pertinet, finis est ueritatis cognitio: eius uero, quæ in actione est, boni adeptio, atque utrisque sua sint adiuncta contraria, ac ueritati quidem falsitas, bono malum: nostraque anima, quippe quæ imperfecta est, sępenumero falsum uero antepo nit, quia illud esse uerum putat: ac pro bono malum, cum illud esse bonum ducat: ideo opus fuit philosophis instrumēto quodam, quod uerum a falso, & bonum a malo distingueret. ecquodnam id est? demonstratio. nam quod esse uerum demonstratum erit, id necessario bonum est: quodque malum esse demonstrabitur, id erit malum. eadem est ueritatis, falsitatisque ratio. quo enim modo faber regula, & ædificator perpendiculo ad recta a non rectis discernenda utuntur: eodem philosophus ad ueritatis ac falsitatis, bonique ac mali dignotionem demonstratione uti solet. demonstratio autem est syllogismus, qui scientiam gignit: sed syllogismus absolute manat latius quam demonstratio. cum enim simplici syllogismo materia certa, semperque in eisdem accommodata, & quæ eodem modo se habeat, accedit, syllogismus demonstratiuus efficitur. uerum quia de demonstratione non potuit differere, nisi prius quid simplex syllogismus esset, edocuisset, ut neque etiam quis rectam, aut insignem aliquam formam sciet pingere, nisi prius simpliciter pingere didicerit: sed simplicem syllogismum non poterat sine propositionibus exponere: siquidem ex iis, ut ex pluribus orationibus syllogismus conficitur, ut etiam eius nomē declarat: tum propositiones sine nominibus uerbisque non fiunt, quandoquidem ex iis illæ constant; nomina autem & uerba sine simplicibus uocibus intelligi non queunt, cum & nomen, & uerbum uox significans sit: merito de uocibus simplicibus primum agit. Omnino autem finis contemplationis fit actionis initium: contra uero, finis actionis est contemplationis initium: ut ædificator domum sibi proponens secum ait, domū institui exædificare: quæ est operimentum, quod me ab imbribus, æstuque tuebitur: id uero non fiet, nisi tectum sit factum: atque hinc contemplationis initium sumit: tum progrediens ait: at hoc non fiet, nisi parietibus constructis: hi deinde nō constabunt, nisi iactis fundamentis: hæc denique iaci, nisi terra effossa, non possunt. hic desiit contemplatio. hinc igitur incipit actio: siquidem in primis terram fodit, deinde iacit fundamenta, tum muros erigit, postremo tectum imponit, qui finis actionis est: atque ita principium actionis est cōtemplationis finis. ita ergo etiam philosophus facit. Cum enim uelit demonstrandi rationem docere, secum ipse ait, Volo de demonstratione loqui: sed quia demonstratio est syllogismus scientiam gignens, non possunt de ea uerba fieri, nisi prius quid syllogismus sit, explicetur. at simplicem non cognoscemus, nisi quid propositio sit, cognoscamus. propositiones enim sunt orationes quædam. harum uero orationum collectio dicitur græce συλλογισμός. quocirca sine propositionum cognitione syllogismus, cum ex illis efficiatur, intelligi non potest. at neque propositiones sine cognitione nominum atq; uerborum, ex quibus omnis constat oratio, possunt intelligi: ut neque etiam nomina ac uerba, sine uocibus simplicibus non percipiuntur. cum hæc singula uoces significan

tes sint: quibus quidem sit rebus, ut de uocibus simplicibus sit primo dicendum. atque hic desijt contemplatio, fitque id actionis principium. nam primū de nocibus simplicibus in categorijs differit: tum ita de nominibus, uerbis, ac propositionibus in libro de interpretatione: tum de simplici syllogismo io prioribus analyticis: denique de demonstrastrantione in posterioribus analyticis: quare id est finis actionis, quod principium fuit contemplationis. merito igitur hoc loco in primis de uocibus simplicibus differit. Homines enim cum in unum omnes communi sententia conuenissent, proprium nomen unicuique rei imposuerunt, idque solum curarunt, ut uocibus res uicissim significarent: non tamen quid nomen, quid uerbum sit, exponerēt. hæc ergo sunt, de quibus in categoriis agit. Verum quoniam de iis uocibus, quæ nihil significant, non differit, cum nulla sit earum apud pbilosopbum ratio, plane constat de iis nocibus eum dispntare, quæ conceptiones significant. nam si res sit, eius quoque nomen esse necesse est: & ante id, etiam notionem, quam de re habemus: vt Socratis nomen est uox Socratis. res uero, ipse Socrates: notio uero cognitio est, quā in animo de Socrate habemus. Est igitur propositum Aristoteli, de simplicibus uocibus simplices res per simplices conceptiones significantibus differere. ac de intentione quidem hactenus. Vtilē uero esse hunc librum ad eam philosophiæ partem, quæ in contemplatione, quæque in actione est, ex iis, quæ diximus, planum est: siquidem demonstrationem, vt ostendimus, sine uocibus simplicibus cognoscere nō ualemus. atque etiam, quia de communitatibus agit, in quas omnia, quæ sunt, diuiduntur. Inscriptionis causa bæc est. liber hic categoriæ inscriptus est, non quod de categorijs, hoc est accusationibus, de quibus in iudicio agitur, nuoc loquatur, cum non sit ei propositum tradere præcepta artis dicendi: sed, ut etiam in institutionibus uidimus, duplex est generum differentia: cum alia generalissima & solum genera sint; alia uero media, quæ species & genera, ac species quidem superiorum, geneta nero inferiorum dicantur. generalissima uero solum enunciantur, media uero subiiciuntur superioribus, & de inferioribus enunciantur: atque hic de decem generalissimis generibus edifferit, quæ solū enunciantur, nec subiiciuntur: ob eam igitur causam hunc indicem libro imposuit, quasi diceret, de generibus quæ solum enuciantur. Ordo autē lectionis est ex intentione perspicuus. nam, uti diximus, cum in id desinat contemplatio, hinc sumendum est initium actionis. præterea simpliciora cōpositis anteponēda sunt: simplicior autem est ea doctrina, qua decē categoriæ declarātur: siquidē, ut docuimus, de nocibus simplicibus, quæ res simplices p simplices animi conceptiones significant, boc loco disputatur. Verum autem Aristotelis librum esse omnes attestātur: sed elocutio quoque declarat: & quod in alijs libris huius mentio fit à philosopho. cum antem, ut dictum est nobis, duo categoriarum libri essent inuenti, qui ferme in rebus omnibus similes erāt, & item in procemio, cum alterius esset hoc initium, Eorū, quæ sunt, partim homonyma, partim synonyma sunt, quæ uerba fere sunt eadem, cum ijs, quæ huius libri principio continentur: bunc uerum esse philosophi librū est ab omnibus interpretibus iudicatum. Iam uero libri diuisio in capita est tripartita, in eam partem, quæ ante categorias est, in eam, quæ ipsas categorias cōtinet, & eam quæ categorias consequitur. atque in prima quidem parte tradit ea, quæ ad coguitionem categoriarum sunt accommodata: ut enim geometræ solent ea ante docere, quæ ad theoremata postea sint utilia, ut quid punctum sit, quid linea, quid circulus, ne in media doctrina cogantur uel peregrinis uti nominibus, uel si ea declarent, à proposito deflectere, & seriem rerum propositarum interrumpere, ita etiā facit philosophus boc loco: qui cum in docendis categoriis, quorundam dictionū aut uocum nobis ignotarum metionem esset facturus, ideo prius easdem explicat, ne orationem perturbare videatur. Secunda autem pars categoriarum explicationem continebit: in tertia denique aget etiam de uocibus quibusdam, quarum in docendis categoriis facta est mētio, vt simul, vt prioris, vt habendi. quare autem non omnia simul ante categorias declararit, causam esse dicimus, quod hæ voces partim sint omnibus ignotæ, ut homonymum, & synonymum, cum plerique horum notitia careant: partim usu notæ sint, uerum cuiusdam etiam explicationis indigeant: ut quid simul, quidque prius sit. quam ob rem quæ omnino obscura erant, eadem ante categoriarū doctrinam posuit necessario: propterea quod illis non intellectis, ea quoque, quæ de categoriis traduntur, non eramus percepturi: cum categoriis explicandis adhibeantur. cætera uero, hoc est, quæ nobis non ita exquisite sun: cognita, post categorias docet, ne prolixū faceret exordium, ne ue id qnod aduentitium est opere instituto maius euadat. Distributio autem in capita ad libri perspicuitatem inuenta est. cum enim sciamus quot sint libri capita, & quibus de rebus sit instituta disputatio, ea, quæ dicuntur, facillime consequemur, eaque neque confuse, neque indistincte percipiemus.


Homonyma dicuntur, quorum nomen solum commune est: oratio vero substantiæ, nomini congruēs, diuersa. vt animal, homo, & depictum animal. Hæc enim nominis tantummodo societate, coniuncta, definitione ea, quæ naturam eorum uimque nominis explicat, differunt. Si quis enim quid sit utrique, esse animali dicat, vtriusque propriam constituet definitionem.

Animi nostri à corporis compage secreti res vicissim animi conceptionibus significare possent: corporibus autē inuoluti, perinde ac nebula, ipsorum intelligendi uis obtegitur. quocirca opus eis fuit nominibus, quibus res inter se significarent. in quo illud sciendum est, res significari aut nominibus, aut definitione, ut hominem indicamus & hac voce homo, & definitione, quæ est huiusmodi, animal particeps rationis, mortale: sed cum uoce hominis, hominem significamus, totam simul hominis naturam declaramus, cum uero definitione, tum ea, quæ particulatim in homine sunt, contemplamur. Ex rebus autem quędam commune inter se nomen habent, ac definitione differunt, & homonymæ dicuntur: quædam communem habent definitionem, & nomine differunt, quæ polyonymę uocantur: quarundam & nomen, & definitio communis est, quæ synonyma nominantur: quarundam & nomen & definitio differunt, quæ heteronyma appellantur. ac scire etiam conuenit, aliud esse diuersum, & aliud heteronymum. sunt enim heteronyma res quæ in uno & eodem subiecto considerantur, nomen tamen earum differens est, ut in scalis ascensus, & descensus dicūtur, cum alia ascensus, alia descensus definitione explicetur: nominaque differant, ut ascensus, atque descensus. atque hæc proprie uocant beteronyma: ἕτερα uero, hoc est diuersa, dicuntur, quæ in omnibus alia sunt, & in subiecto, & in nomine, ut homo, & equus. Cęterum ipse de homonymis, ac synonymis solum agit, quoniam ijs solis in categorijs explicandis indigeat: qua etiam in re geometrarum docendi genus ęmulatur, cum illi quoque ea solum ante consueuerint exponere, quę eis uel ad librum propositum, nel ad theoremata adiumento sunt futura. Vel etiam alia ratio est. Cum breuitatis semper studiosissimus sit, horum explicatione cętera quoque nos potestate docet. his cognitis, cętera tanquam contrario nomine opponantur, nota erunt: quippe cum contrariorum eadem sit scientia. nam qui scit, quid sit homonymum; is etiam eius contrarium sciet, hoc est polyonymum: si enim homonymum est, cuius nomen commune est, & res differens, ut mus & marinus, & terrestris, profectn polyonymum eius cōtrarium dicetur id, cuius eadem res sit, & nomen differens, ut ensis, mucro, & gladius. Simili quoque modo qui nouit synonymum id esse, quod definitione & nomine commune est, ut homo Socrates, & Plato, is etiam quid heteronymum sit, intelliget: id inquam esse, quod nomine & re differat, ut ascensus & descensus: qui & re, & nomine diuersi sunt, quamuis utrique rei idem stratum sit subiectum. Vt enim aliud est esse triticum, aliud esse semen, aliud esse fructum, ita etiam aliud est, esse scalas, aliud ascensum, & aliud descensum: cum hęc nomina quandam affectionem eius actionis, quę in scalis fit, declarent. In explicatione autem prępoluit homonyma, quia

simpliciora

simpliciora sunt, cum unum solum, hoc est nomen commune habeant: & quia homonyma priora sunt naturæ ordine synonymis. nam ens de categoriis homonyme, non synonyme dicitur. homonymum autem fieri non potest, nisi hæc omnia in unum concurrant, idem nomen, idem tonus, idem genus, idē casus, idem spiritus, eadē terminatio: propterea quod si aliud nomen sit, id non esse homonymum planū est. sique idem sit nomen, sed tonus differat, ne ita quidem erit homonymum, ut ἄργος & ἀργός. primū enim nomen penultimam acutam habet, & canem significat: alterum acuta ultima significat ignauum. sique masculini sit generis, significabit, ut diximus, aut Vlysis canem, aut nomen herois; si neutri, nomen ciuitatis. pari quoque modo βίος, & βιός. nam si grauem tonum habeat prima, uitam; si acutum ultima, arcum significabit. Verum si hæc adsint omnia: sed casus non sit idem, non fiet homonymia, ut ὁ ἐλάτης, & τῆς ἐλάτης, primum enim recti est casus, & aurigam, aut alium quempiam equitantem, significat, alterum uero cum genitiui sit casus, & fœminini generis, & illud sit masculini, abietis arboris est nomen, quæ ἡ ἐλάτη, τῆς ἐλάτης inflectitur, sed idem etiam spiritus sit oportet: nam si diuersus erit, non erit homonymum, ut in hoc οἷος, quod significat idem quod qualis, & idem quod solus: sed cum significat qualis, aspiratam habet hoc modo, οἷος; cum solus, tenuem sic, οἶος.

Sed eadem terminatione non minus opus est, id quod esse planum puto. nam cum ἐλάτη, & ἐλάτης in idem non desinant, homonyma non erunt. Quærunt nonnulli, cur non homonymum, sed homonyma dixerit: id nos factum esse dicimus, quia homonymum non unum solum est: quippe cum idem non dicatur secum esse homonymum, sed multa sunt, cum aliud cum alio homonymum esse dicatur. ergo cum vnum nomen sit, multasque res significet, ideo in numero multitudinis extulit. Alia dubitatio est, quare adiunxerit, λέγεται, hoc est dicitur, & non λέγονται, id est dicuntur: respondemus, quamuis homonyma multa sint, tamen in eo, quod homonyma sunt, vnum esse: cum unum nomen sit, quod de multis dicitur. quæ causa fecit, ut in singulari dixerit, λέγεται. nam λέγονται est numeri multitudinis. Alia ratio. mos Græcorum est, ut uerbis neutris in tertia persona singularem numerum pro plurali adhibeāt, ut τρέχει τὰ παιδία, id est pueri currit, pro currūt, & ἔφθαρται τὰ βιβλία, uolumina deprauata est, pro sunt. καὶ οὐκ ἐβλάστησε τὰ δένδρα, hoc est arbores nō germinauit, pro germinarūt quā: causam afferūt grāmatici: ita hoc loco recto casui multitudinis, hoc ē homonyma, uerbū singularis numeri adiunxit. Nō est ignorādū hæc tria, homonyma, homonymia, & homonyme inter se differre: homonyma. n. sunt res ipsę, homonymia uero ē ea relatio, pquā nomē habēt cōmune: homonyme uero ē ipsa dicēdi ratio, quæ de rebus est. Id etiā sciendum est, ex ipso statim exordio libri nobis intentionem à philosopho indicari: ait enim homonyma dicuntur: ac per uerbum homonyma, res significat: per uerbum dicuntur, uoces. res enim à nobis per medias animi conceptiones considerantur. declarauit autem homonymis uocibus naturam homonymorum. nā ipsa uox homonymi est homonyma, si quidē multis dicitur modis. etenim homonyma partim sunt a fortuna, partim à consilio: a fortuna, ut cum uarijs in locis quidam eiusdem nominis inueniantur, vt Alexāder Paris, & Alexāder Macedo: a consilio, ut si cui placeat seruos quouis nomine appellare: quæ uero a cōsilio & studio atq; instituto dicūtur, partim ad memoriā ptinēt, ut si quis filio nomē maiorū suorū īponat: partim ad spē, ut cū q̄s filiū fore philosophū speraт, Platonis noīe vocādū censet: ac sæpe in idē conueniunt quæ ad spē, quæq; ad memoriā referūtur; ut cū in eodē studio uersatus esse auus inueniatur. partim uero à ꝓportione dicuntur, ut cū rē quāpiā ad alterius proportionē nominamus, ut pedē lecticæ, & uerticem mōtis dicimus: siquidē quā rationē habet pes in homine, eandē habet in lectica pes lecticæ: parti ab uno, ut cū ab aliquo ordiētes cętera oīa, quæ ab illo ducuntur, illius appellatione uocabimus, ut medicinalē librū, & medicinale medicamētū dicimꝰ: partim ad vnū, ut cū in aliquē futurū finem intuemur, res ad illū animū intēdētes nominabimus, ut exercitationem salubrem. differt hoc à superiore, quoniā quæ ab uno sunt, à quodā principio nominātur, hæc uero ad aliquē finē dirigantur. quæ uero ab uno oriunt, partim ut ab exēplari causa dicuntur, ut homo in tabula pictus ab aliquo uero homine nomen traxit. partim ut à causa efficienti, ut medicum scalpellum dicere solemus.



Quærendum autem hoc loco est, in qua homonymorum significatione Aristoteles hoc loco de homonymis disserat, dicimus de ijs agi, quæ ab uno nomen trahunt. nam à uero homine ducit nomen is homo, qui pictus est, nonnulli tamē inuestigant, cur ijs non sit usus, quæ ex proportione nominantur, quæ præstantiora esse uidentur: quibus nos respondemus, id quod in proportione est, in quatuor ad minimū cōsiderari. dicimus enim si ita sors ferat, duo ad octo habere proportionem; ut decē ad quadraginta: quadruplā namq; rationem utraque obtinent: homonyma uero etiam in duobus spectantur, merito igitur de homonymis ex analogia non est locutus. Quidam etiam aiunt, nullam esse factam polyonymorum mentionem, quia homonyma in nomine eadem sunt, definitione uero differunt: polyonyma contra affecta sunt: quam ob rem philosophum cum sibi de rebus tractandum esset, nomina cōtempsisse: de nominibus enim disputare grammaticorum est. Est alia ratio. De ijs solis, ut antedixi, agendum sibi hoc loco putauit, quę ad categoriarum cognitionem accommodata esse intelligebat. Cum ait, dicuntur, subaudiendum est, res, ut hæc sit sententia, homonymę dicuntur res, quarum nomen solum commune est. cumque ait, dicuntur, significat hoc nomen fuisse etiam a ueteribus usurpatum, non autem id a se nomen esse inuētum. nam & Plato fecit homonymorum mentionem, & Homerus de utroque Aiace loquens, his uerbis, Aequali nomine gaudēt. cōsueuit enim, cum ipse nomina rebus imponit, ita loqui, uoco, ut in analyticis, terminum uoco: & esto, ut in libro de interpretatione, & esto hoc repugnantia. Quorū inquit, nomen solum cōmune est. an in uerbis non est homonymia? est tamen. nam fero significat dico & porto, quomodo ergo ait homonyma esse, quorum nomen solum est commune? ad hoc respondemus, nomen duobus modis dici, primum ad uerbi distinctionē, secundo, communiter acceptum pro quacunque dictione: in qua significatione omnis uox significans nomen uocatur, ut ipse in libro de interpretatione monuit his uerbis, Ac uerba inquit, si sola dicantur, nomina sunt, & aliquid significāt. hic igitur nomē dicit, nō qđ ad uerbi distinctionem sic appelletur, sed quod generatim de omni uoce significante enūciatur: quocirca fero, quod dico, & porto significat, erit homonymum: quippe quod commune nomen habeat, fero, at definitionem differentem. quam ob rem est etiam in uerbis homonymia. [Solum inquit, cōmune.] Solum dupliciter dicitur, uel cum unicum significat, ut cum Solē solum, & solam Lunam dicimus: uel cum ad distinctionem coniugati adhibetur, ut dicimus, relictum in prælio hastam solum habentem: & tamen nihil impedimento est, quin & calceos, & tunicam habeat: sed ad distinctionem Clipei, aut aliorum armorum ita est dictum. & item in prandio panem habebant solum, cum tamen etiam uestes habere possent; sed ad obsoniorum distinctionem ita loquuntur. hic igitur ut ad coniugati differentiam dictum est solum, ne definitionem quoque communem esse intelligeremus. Commune quatuor modis dicitur, uel ut id, cuius citra diuisionem sumus participes, ut seruus communis appellatur, qui ratione substantiæ indiuiduus est, usu tamen diuiduus: uel cuius partite sumus participes, ut prandium commune uocamus, itemque agrum communem, propterea quod non omnes sumus totius participes, sed unusquisque partis suæ: vel quod in anticipatione est, ut in theatro communis locus: siquidem est eius qui prius occupauit: vel quod æque capitur ab ijs, qui sunt participes, ut uox præconis communis dicitur, quod eam æque omnes audiant, non autem hic vnam, ille aliam syllabam excipiat: humana quoque natura est omnibus participantibus communis: siquidem singuli homines ex æquo sumus eius participes. atque hoc quidem loco cōmune extulit, ut ex ęquo significet. [Oratio inquit, substātiæ congruens nomini, diuersa.] Cum docuerit, quænā homonymis insint, nunc addit, quæ eisdem non insint: ut nō solum ex cōmunitate, sed etiam ex differentia ipsa dignoscere queamus. Sed quærendum est, quare non dixerit, quorū nomen solum commune est, oratio substantiæ diuersa: sed dixit, oratio substantię nomini congruens, diuersa: dicimus id factum esse, quia homonyma possunt esse synonyma aliter atque aliter sumpta: nam Aiaces, ut homines sunt, synonymi sunt, cum & nomen hominis, & definitionem quoq; possideant, cum uterque eorum sit animal particeps rationis mortale: in eo uero, quod sunt Aiaces, homonymi sunt. ne igitur quamcunque definitionem capiamus, sed eam quæ nomini quod eis commune est, conuenit, recte dixit, oratio nomini congruens: nam Aiaces hoc nomen commune habent: at definitionem ex hoc ipso nomine ductam, non eandem: sed alter est Salaminius, filius Telamonis, qui solus pugnauit cum Hectore; alter Oileus, Locrensis, pedum celeritate, atque arcu præstans. Oratio inquit, nomini congruens. cur non dixit, definitio, sed oratio? Aiunt id esse factum, quod non in omnibus rebus suppetat definitio, sed quandoque descriptione utendum sit, præsertim ubi res explicare definitione non ualeamus. nam & generum generalissimorum afferre definitionem non possumus: propterea quod definitio omnis ex genere & differentijs constituentibus constat: at his nullum superius genus potest inueniri, ut ex eo, & constituentibus differentijs tribuatur definitio: quocirca necesse est ea descriptione exponere. quod fuit in causa, ut non dixerit, nomini accōmodata definitio, quoniam ita quæ descriptione declarantur, omisisset. Descriptione autem ad res omnes uti possumus, quam ex ijs quæ ex accidenti rebus insunt, eliciamus. dico tamen, in quibus rerum naturam definitione aperire licet, frustra descriptionem adhiberi. Ergo quid causæ est, cur non ita sit locutus, definitio autem nomini conueniens, aut descriptio? breuitatis studiosus, id quod de ijs communiter dicitur, id est oratio, dicendum putauit. oratio enim & de substantiæ definitione, & de descriptione dicitur. an non etiam est in accidentibus homonymia? enimuero id etiam conspicimus. acutum enim dicitur in sapore, & in uoce, quia & saporem acutum, & uocem acutam, & magnitudinem acutam dicimus: simili quoque modo graue dicitur de uoce, de magnitudine, & animi more, ut cum aliquem grauem hominem appellamus. quo modo ergo dixit, substantiæ? respondemus sciuisse Aristotelem duas esse substantiæ significationes, altera est, qua distinguitur ab accidentibus, ac se ipsam sustentat, cū illa in alio hoc est in substantia, essentiam suam habeant: altera uero, in qua omnem absolute essentiam uocat substantiam: in qua nunc substantiæ nomine usus est, etiam accidentia comprehendens, sed cur tandem omnino adiecit, substantiæ, & non dixit, oratio nomini congruēs diuersa? vt ne quis uocis definitione allata, homonyma esse synonyma contendat. potest enim huius uocis Aiax, afferri definitio, hoc est descriptio ad hunc modum, Aiax uox est bisyllaba, tenuis, in purum ax desinens. & hac in re Aiaces erunt synonymi. quam ob rem diligenter fecit, cum addidit, oratio substantiæ nomini congruens, diuersa: id est substantiæ a nomine significatæ. Aiunt quidā: num etiam homonyma sunt synonyma? nam commune habent nomen, & item homonymi definitionem. nam de Aiacibus idē nomen dicitur, neque id solum, uerum etiam homonymi definitio: cum alteruter dicatur habere nomen cum altero commune; sed orationem substantiæ ex nomine diuersam. atq; ita ostēsum ē, homonyma esse synonyma. quid igitur dicemus? in primis non esse absurdum, si eadem homonyma & synonyma fuerint, aliter tamen atque aliter sumpta. immo uero hoc necesse est. nam Aiaces in eo, quod homines, synonymi sunt: in eo quod Aiaces ambo, homonymi; ita hoc loco dicendum est; quatenus enim Aiaces, homonymi sunt, cum sola hæc uox Aiax, inter eos communis sit, sed definitione eiusdem uocis differant. at quatenus homonymi communem habent non solum homonymi appellationem, sed etiā definitionē, quæ illi conueniat. Aliter. Hæc synonyma dici nequeunt. nam in synonymis cōmuniter & nomen dicitur & definitio, tum priuatim in unoquoque, tum sine ulla relatione: ut animal, quod & communiter de ijs omnibus, quæ sub ipso sunt, dicitur, & priuatim de singulis: cum & Socrates, & equus animal nominetur. quin & definitionis est eadem ratio, ut substantia animata sensibilis, quæ est animalis definitio: quæque generatim de omnibus animātibus particularibus, & de singulis priuatim dicitur. nā & Socrates est substantia animata sentiens, & equus pari modo. at

in

in homonymis non ita est. neque enim potes de vnoquoq; separatim & sine relatione neque nomen, neque definitionem enunciare: siquidem Aiax non dicitur per se homonymus: sed ne nomen quidem solum habet commune, & definitionem nominis diuersam: sed homonymus cum alio dicitur, & ad minimum de duabus rebus homonymi dicitur appellatio, cum etiam ei sit adiuncta relatio. Caeterum homonymum diuidi potest, non solum, vt ante iam diuisimus, sed etiam magis varie ad hunc ipsum modum.



Quam igitur homonymi significationé capit hic Aristoteles? an eam quae est, cum ex forma ducitur similitudo? quidam putant, id homonymum nunc intelligi, quod ab vno dicitur: quippe cum imago ab homine tanquã à causa existat. sed utrũq; verum est. [Vt animal, inquit, homo & depictum animal.] horũ cõmunis est nominatio, quia utrunque vocatur animal: at definitio nõ est eadem: illud enim si definias, dices substantiam esse animatam sentienté; hoc vero quod pictum est, dices simulacrum esse substantiae animatae sentiẽtis. [Si quis enim, inquit, quid sit vtrique esse animali, dicat, propriã vtriusq; definitioné cõstituet.] Cum haec tria sint, materia, forma, & compositum, rerum definitiones tum à materia, tum à forma, quandoq; vero ab utrisq; his coniunctis elicimus. atq; a materia quidem hoc modo, ira est feruor sanguinis in praecordijs: siquidem haec est irae materies, a forma sic, ira est vlciscendi libido: a cõiunctis hisce, ira est feruor sanguinis in praecordijs propter vlciscẽdi libidinẽ. propria autem definitio ex forma ducitur. nam materies est societatis causa in rebus, forma uero differentiae: & nostrum consilium est, res inter se definitionibus distinguere. quam ob rem cum hic uellet Aristoteles homonymorũ definitionem, quae ex forma illorum ducitur, afferre, non dixit quid sit vtrunq; eorum, animal esse, hoc enim materiem & formam coniunctam significaret: sed quid sit utriq; eorum, animali esse: hoc est, quid in utroq; eorũ sit in eo quod animalia sunt. quod fecit, ut definitionem ex forma sumptam indicaret: siquidẽ ex forma sunt animalia. si quis enim qua ex parte horum utrunq; animal dicatur, exposuerit, is ut supra docuimus, propriam vtriusq; constituerit definitionem.

Synonyma autem dicuntur, quorum & nomen commune est, & eadem nomini attributa naturae definitio: vt animal, homo, & bos. Nam & animal communi nomine eorum vtrunq; appellatur, & eadem est quae naturam explicat definitio. Etenim si quis reddat definitionem qua quid sit vtrunq;, quatenus animalia sunt, explicet, certe eandem attribuet vtrique.

Perfecto sermone, qui erat de homonymis institutus, de synonymis deinceps agit. atque ex homonymorum praeceptione plana etiam est synonymorũ tractatio: quippe cum eadem de his, quae de illis, dicenda sunt: ut nõ solum in nominibus, sed etiam in rebus sit communitas; ut sit etiam in accidentibus synonymia: nam uerbum alterandi synonymum est, cum & qui candore, & qui nigrore perfundit, alterare dicatur, & eadẽ definitione explicentur. alterans enim definientes dicimus id esse, quod principium in se habet in aliud, quia aliud sit, commutandi. id uero & in dealbantem, & in eũ qui nigro colore perfundit, cõuenit: nam quoduis alterans, habet in se principium cõmutandi ea, quae alterantur, cum ipsum diuersum ab alteratis sit. si enim diuersum non esset, non alteraret: ideo additum est, quia aliud sit. Vtitur autem de industria eodẽ animalis exemplo, ut idem homonymum, & synonymum esse, alia tamen atque alia ratione, posse probet. nam in homine, & depicto, animal homonymum est: in homine uero, & boue, est synonymum.

Paronyma autem vocantur ea, quae ab aliquo in casu differentia, appellationem a nomine habent.

Homonymis, synonymisque iam expositis, disputationem de paronymis, quae denominatiua dicuntur, instituit: idq; merito, quoniam eorum est inextricabilior implicatio. cum enim homonyma solum nomen commune habeant, ac differenté

differentem definitionẽ: synonyma uero & nomẽ & definitionem communem obtineant, hæc neq; omnino in nomine conueniunt, neque omnino differunt. simili quoque modo in definitione partim conueniunt, partim differunt. hæcq; ad coniunctionem quatuor coniugationum prædictarũ, hoc est homonymorum, synonymorum, polyonymorum, atque heteronymorum, non rediguntur. cum enim illa efformentur uel ex nominis, definitionisq; communitate, uel ex utriusq; differentia, uel ex alterius societate, & alterius differentia, hæc neque omnino in utrisq; cõmunitatem, neque omnino differentiam sortiuntur. immo neq; in altero sunt, exquisite communia, in altero differunt: sed partim cõmunia, partim differentia in utrisq; sunt. Non defuerunt, qui ea inter homonyma, synonymaq; constitui debere existimarint: propterea quod cum homonyma in nomine solum cõmunia sint, & in definitione differant, synonyma uero & in nomine & in definitione sint cõmunia; hæc neque in nomine absolute, neque in definitione communicent. Sed melius est, ut media inter synonyma, & heteronyma collocentur. nam cũ synonyma in ambobus sint cõmunia, heteronyma uero in ambobus differentia, hæc media sunt fere, partim communicantia, ac partim in utrisq; differentia. In paronymis hæc quatuor adesse debent, nominis communitas, & differentia rei: nominis cõmunitas & differentia in extrema syllaba, siq; unum horum desit, non erunt paronyma. esto enim nominis communitas, & differentia, esto etiam in re communitas, sed nõ esto differentia, tum non esse paronymum dico: ut sunt platanus, & platanistus; & uirgo ac uirguncula: nam eadem ab utrisque res significatur: sed uirguncula, & platanistus poëtica sunt, uirgo autem & platanus solutæ orationis. Præterea cętera omnia rite consequantur, nulla uero sit rei communitas, ne ita quidem erunt paronyma, ut in Helena, & Heleno. Iam uero cætera adsint omnia, at absit ultimæ syllabæ differentia, ut in musica scientia, & musica muliere, non erunt paronyma. hæc enim homonyma uocanda sunt. deniq; sint omnia, præter nominis communitatem, paronyma nõ erunt. ut in uirtute & bono apparet, neque enim a uirtute uirtuosus, id est ἀπὸ τῆς ἀρετῆς σπουδαῖος dicitur: cum id ne ueteres quidem somniarint: sed contra, nomen inauspicatum poëtæ ipsi norunt, qui de eo id enunciant, qui uirtute malam in partem sit præditus: ut cum dicunt, Αἰναρέτη, τίς σευ ἄλλος ὀνήσεται, ὀψίγονός περ; enarete aiunt, hoc est uirtute præstans ad malum, quis te alius, licet iunior, iuuabit? sed neq; a studio dicitur studiosus, quod studium æque in uirtute, ac uitio dicitur; sed σπουδαῖος, hoc est studiosus solum uocatur, qui uirtute sit ornatus. quare uocis quidem ratione a studio trahitur studiosus, sed in significatione, non item, sed a uirtute. Cum autem dixit, appellationem a nomine habent, nominis communitatem significauit. Vel hæc est sententia. cum dixerit esse quandam cum illo communionem, a quo ducitur, communitatem, ac uarietatem quæ in re est, declarauit. si enim ab aliquo trahitur, certe, quandam ei esse cum illo communitatem, quatenus ex illo oritur, planum est? sique omnino ab aliquo, constat etiã illud differre. nisi enim differret, non ab aliquo diceretur. Cum uero addidit, in casu differentia, extremæ syllabæ dissimilitudinem indicauit. Iam uero de paronymis Aristoteles hic docet, quoniam ea quoque ad categoriarum tractationem sunt accommodata.

HOMONYMORVM A CONSILIO ALIA

A Similitudine dicuntur.

A Proportione, vt pedes montis dicimus, & item verticẽ, & pedes lecticę. quã enim habent rationem pedes in toto corpore, eandem habent partes lecticæ inferiores.

HORVM ITEM QVAE A CONSILIO ALIA

Ab Actione, vt cum quis in actionibus sit patris similis, eum patris nomine vocemus.

A Forma, vt cum Socratis imaginem illius nomine appellemus.

A Spe, vt cum quidam sperãt filios suos fore Platoni persimiles, Platonis nomine eos nominẽt.

Ab efficienti causa, vt musica, scientia, & mulier, & cithara dicitur. nam à scientia, & mulier, & cithara musica nuncupatur.

A Fini, vt si qs alimẽtũ, & respirationẽ vocet vitã, quia ad vitã, vt ad finẽ referantur. aut bonũ eẽ phlebotomiã, & purgationẽ, qa ad bonũ aliqđ, hoc est ad sanitate referatur.

A Memoria, vt cum quidam patris memores, filios aui nomine appellent, vt illius memoria conseruetur.

Eorum quæ dicuntur, partim coniuncta sunt, partim simplicia: ac coniuncta quidem, vt homo currit, homo vincit: simplicia sunt, homo, bos, currit, vincit.


Hoc loco ad categoriarum doctrinam aggreditur. cum uero categoriæ nomen & in rebus, & in animi notitia, & in uocibus dicitur, siquidem & res ipsa, & rei notitia, & ipsa uox categoria uocatur, primum uocum diuisionem proponit. quod si de uocibus, at uocibus quidem significatione nõ carentibus loquitur, paulo uero post de rebus, cum ait, eorum quæ sunt, alia de subiecto dicuntur, &c. profecto planũ est, eum de conceptibus, qui intermedij sunt, differere. quocirca ex ipsis etiam uerbis perspicua libri est intentio. Voces

ces in simplices & coniunctas diuidit. ac simplices quidem nocat, quę rem simplicem significant, aut substantiam, aut actionem, aut affectionem: coniunctas uero, quæ aliquid cõiunctum declarant, substantia, actione, aut affectione, ut Socrates currit. id namque coniunctum est: & Socrates, aue bos. hęc enim simplicia sunt. non tamen simplex uox omnis rem simplicem declarat, nec coniuncta duplicem. composita uox est ariuspagus, coruipetra, & neapolis, sed quod ab iis significatur, simplex. uox simplex est, ut curro, curris, & cætera quæ primæ, secundæque personæ uerba sunt omnia: & item quæ sunt tertię, quæ de persona definita enunciãtur, ut tonat, fulminat, pluit, Iupiter enim intelligitur: quæ omnia pronunciatione simplicia sunt, significatione composita: cum substantiam actioni coniunctam notent. Aiunt autem in tertiis personis nõ admodum apparere substantiam propter uerbi infinitatem. quocirca ea sola, quæ definitam personam indicant, accepimus. Verum quamuis tertiæ uerborum personæ definitam substantiam non declarent, tamen substantiam quandam agentem, aut patientem omnino significant. ex quo fit, ut tertiæ personæ uerborum indicatiuorum omnino uoce sint simplices, & significatione compositæ. nam qui dicit, currit, aut mouit, plane cõstat, eum de aliquo uerbum currit aut uincit, enũciare. Omnino ergo etiam in tertijs personis substantia, licet infinite, apparet. & tamen Aristoteles, quia substantia definite non apparet, eas uti simplices accepit. Vere autem simplicia uerba sunt, quæ uel actionem solam, uel affectionem citra id quod agit, aut patitur, declarant: ut uerberare, uerberari. res igitur simplices aut compositæ non iudicandæ sunt ex uocũ simplicitate, aut coniunctione, sed ex ipsarum significationibus. quin etiam uoces etiam si compositæ sint, si rem simplicem significent, simplices dici debet. Simili quoq; modo simplices erunt dicendæ compositæ, si res composita indicabunt. Etenim si de solis uocibus ageremus, deque syllabarũ quantitate, compositionem in quantitate iure definiremus, ut etiam grammatici faciunt: si uero de eis, ut de significãtibus disputamus, uoces ex significatione ponderandæ sunt. nam eques non simplex quid declarat, cum & equum, & eidem insidentem hominẽ, & equestrem artẽ significet. ergo hæc uox non simplex, sed coniuncta dicenda erit: ut Neapolis, quoniam unum quid significat, non coniuncta, sed simplex uox est. Quod ait, dicuntur, & in rebus, & in conceptibus, & in uocibus conuenit. nam & res dicuntur dici, sed ut significatæ; & conceptus, sed ut enuncientur: & uoces, sed ut pronunciatę. At quæ causa est, cur ea quæ coniuncta sunt, simplicibus anteponat? dicimus, ita esse humanæ naturę comparatum, ut ab imperfectioribus, & compositis, ad simpliciora, & perfectiora progrediatur. composita enim sunt nobis usitatiora, ac notiora: sic etiam puer scit nectere orationem, ac dicere Socrates ambulat: at orationem in nomina ac uerba, hæcque in syllabas, & has in elementa resoluere non nouit. ita nos quoque, hominem deambulantem uidentes primum hoc totum, hominem ambulantem cognoscimus: tũ in substantiam actionemque resoluimus. At quomodo supra dictum est, initium ducendum esse a simplicioribus, quasi non ante cognitis simplicibus composita non cognoscantur: atque ita simplicium uocum doctrinã prius, quã syllogismorum esse tradendam? Dicimus ergo. ubi pariter ignota & simplicia, & composita sunt, ibi esse a simplicioribus exordiendum: illic enim & syllogismus, & simplices uoces pari modo ignorantur: hic uero quæ magis coniuncta sunt, notiora sunt: atque ita a notioribus auspicanda est doctrina: quam ob rem illic diximus a simplicioribus incipiendum esse, propter docendi rationem, hic uero a compositis, propter modũ cognitionis. Quin alia quoque afferri potest ratio, cur hic simplicibus composita præponantur: cum enim quæ simplicia sunt, sit diuisurus, ideo ea secundo loco statuit, ut subinde eorum præceptionem ex-
» poneret: diuidet autem hæc cum dicet. Quæ autem sim-
» plicia sunt, ea uel substantiam significant, uel quantitatẽ etc. ac de industria quidem his duo nomina, duoq; uerba deinceps imponit, ut ne quis postea error consequatur.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, nec in subiecto insunt ullo, ut homo: de subiecto enim dicitur quopiam homine, in subiecto autẽ nullo inest. Alia in subiecto sunt illa quidem, sed de subiecto nullo dicuntur.

Cum res omnes in decem diuisurus sit, primum earum quadripartitam diuisionem facit. cum enim uoces bipartito prius distribuerit, merito ad hanc quadripartitam diuisionem progreditur. binarius enim numerus secum duplicatus, quaternarium efficit. hac diuisione exposita, addet eam, quæ in decem fiet. nam numerus ab uno incipiens si usque ad quatuor coniungatur, denarium creabit: eunt ex uno, duobus, tribus, quatuorque iunctis decem fiãt. Præterea, complicatam facit hoc loco rerum diuisionem: uniuersale enim cum substantia, & accidente coniungit: itemque eisdem particulare annectit: atque illic articulatim, & simplicissimam diuisionẽ hanc facit, nihil cuipiam coniungens, sed cuiusque naturam docens, ut proprie de substantia, & proprie, ac non communiter de iis, quæ unicuique accidunt. ergo cum eorum quę, sunt, pro uarietate intentionum fiat diuisio, merito factum est, ut diuisionis partes differentes sint. Est autem proposita eorum, quæ sunt, diuisio ad hunc modum. Eorum inquit, quæ sunt, alia substantia, alia accidentia sunt. itemque, eorum quæ sunt, quædam uniuersalia, quædam particularia: quæ cum quatuor partes sint, binæque capiantur, ex earum coniunctione sex coniugationes efficientur. quarum duæ non constant, quæ contraria coniungunt: cæteræ quatuor cohærent. Ergo eorum quæ sunt, alia sunt substantiæ uniuersalis, alia uniuersalia accidentia, atque alia particulares substantiæ, alia denique accidentia particularia. quæ omnia forma hac, quam subiungam, plane declarabit.

SVBSTANTIA. ACCIDENS.



Verum si his uocibus, quibus nos usi sumus, Aristoteles usus esset, ut uniuersalem substantiam, uniuersale accidens, particularem substantiam, & particulare accidens dixisset, molestia uacaremus, siquidẽ uerba ipsa clara essent. ipse uero obscuritatis ob eam causam, quam dixi, studiosus, alia nomina adhibuit, quæ aptiora sunt illa quidem naturæ eorum, quæ significantur, sed tamen uulgo minus usitata, & ideo obscuriora. Vocat autem accidens, id quod est in subiecto: substantiam, non in subiecto: uniuersale, de subiecto, particulare, non de subiecto. causa autem, cur accidens in subiecto nominet, perspicua est: quippe cũ ipsum per se constare non queat: sed alterius, hoc est substantiæ adminiculo egeat, quo cõsistat. substantia uero dicitur nõ in subiecto, quia nullius indiget, cuius ope consistat. Vniuersale, de subiecto dicitur, quia ei opus est particularibus, non quo subsistat, sed ut de eis dicatur: propterea quod si particularia non sint, nihil erit, de quo uniuersale dicatur: particulare ipsum non de subiecto nocatur, quoniam particularia de nullo alio enucientur. Sed quid causæ est, cur sub-

substantiam dixerit nõ in subiectu, & non potius subiectũ, siquidem accidentibus, ut consistant, subiicitur, ad hoc dicimus, in primis nõ omnem substantiam subiectum esse: siquidem diuina substantia subiectum nequaquam est; nihil enim ei accidit; igitur subiectum nõ uocabitur: si ergo substantiam communiter appellauisset subiectum, diuinam substantiam non comprehendisset: secundo uero, quæ est causa proprie uel maxime, cũ in opposita fiant diuisiones, aliæ uitabiles, aliæ ineuitabiles sunt. ac uitabiles quidem sunt, quę in contraria fiunt: ineuitabiles uero, quæ per repugnantiam. cumque contrariorum quædam medio uacent, quædam medium habeant, necesse est diuisionem, quę in contraria sit effecta, non esse in iis, quę medium habent ineuitabilem: medium autem habent hęc, album & nigrũ: morbus & sanitas: cum inter album & nigrum, medium sit fuluum, rubrum, ac cęteri colores uniuersi: inter morbum uero & sanitatem id intercedat, quod medici neutrum nominant. conualescentias enim ex morbo neque sanitatem uocant, cum illi ualentium actiones non obeant, neque morbos, propterea quod conualescentes ab ea causa, quæ morbum gignit, sunt absoluti. ergo conualescentia medium quoddam inter morbum, & sanitatem intercedit. Contraria autem medio uacantia sunt par & impar, si modo hæc ut cõtraria opponuntur: siquidem nos alibi non esse hęc contraria probauimus. præterea particeps, & expers rationis nullo interiecto medio opponũtur, quæ tñ non sunt cõtraria. ita fit, ut uere contraria medio careant omnia. Siquis igitur ea, quæ sunt, in contraria diuidat, hoc modo, eorum, quæ sunt, alia sunt alba, nigra, eum colores omnes intermedii fugiant necesse est: ac non solum ij, sed etiam substantiæ, quæ colores non suscipiunt: quales sunt aër, animus, angelos. at neque etiam aliæ diuisiones quæ in cętera genera oppositorum habent ineuitabilę: præter eas, quæ per repugnantiam efficiuntur: ut si quis dicat, eorum, quę sunt, alia dextra, alia sinistra, uel partim domini, partim serui, partim patres, partim filij. sunt enim quędam, quæ nihil horum sunt. Verum ne si per habitum quidem & priuationem fiat partitio hoc modo, eorum quæ sunt, alia cęca, alia uidentia sunt: uel partim sapientia, partim insipientia: habitus enim & priuatio in iis solis dicuntur, quæ capacia sunt. nam qui aptus nõ est, ut habitum nanciscatur, is eo priuatus esse non dicetur. itaque habitus & priuatio omnia ea quæ sunt, non diuidunt. nisi in quibusdam idem ualeant, quod repugnantia: ut sunt corpus & incorporeum, quorum nihil medium est: & incorporeum idem ualet, quod hęc negatio, non corpus. Solum igitur ea diuisio, quæ per repugnantiam conficitur, ut si dicat quis, eorum quę sunt, alia alba esse, non alba alia, omnia comprehendit. nam & fuluum non album est, & item flauum, atque etiam rubrum: sed neque anima alba est, neque angelus, cum ne colorem quidem omnino aptus sit recipere. Atque Plato diuidendi rationem, quæ ex repugnantia fit, summis celebrat laudibus. nihil enim rerum natura continetur, quod eam effugere glorietur. ob eam igitur causam, cum Aristoteles dixerit accidens in subiecto, per huius negationem significauit substantiam, cum dixit, eam non in subiecto esse, ut omnem substãtiam diuisione complecteretur. Præterea uero dicimus duplex subiectum esse, alterum ut res subsistat: alterum ut fiat prædicatio. ut res constet, ut substantia: quæ subiicitur, ut ad eã accidentia adnitantur: ad prædicationem uero subiiciuntur particularia, quę uniuersalibus subiiciuntur, non ut constent, cum uniuersalia non egeant particularium ope ad consistendum: sed ut habeant, de quibus enũcientur, contraria est particularium ratio. illa enim non ut prædicentur, indigent uniuersalibus, sed ut in eis cõsistant: neque enim Socrates, aut Plato esset, nisi esset homo absolute. cæterum quæ ad prædicandi rationem subiiciuntur, partim substantiæ, partim accidẽtia sunt; quippe cum particularis substantia uniuersali ad prædicandum subiiciatur: vt Socrates homini absolute, & nõ animali absolute subiicitur: & particulare accidens uniuersali: ut candor qui in hoc lapide est, candori absolute, coloriq; subiicitur. nam & hunc lapidem album esse, & absolute album esse colorem dicimus. quoniam igitur utrunque pari modo subiectum nominatur, si dixisset eorum, quæ sunt, alia in subiecto sunt, alia subiecta, accidentia quoque particularia, quæ subiecta sunt, si non ad dicendi rationem, saltem ad consistendum, comprehendisset. Cum uero ait, non in subiecto, vult eã substãtiã significare, quæ ad cõsistendũ subiecta ẽ, eãq; ab accidẽtibus distinguere. harũ duarũ diuisionũ altera a rõe existẽdi, altera a rõe prædicãdi sumpta est. atq; a rõe existẽdi ducitur ea, qua dicitur, eorũ q̃ sunt, alia in subiecto, alia nõ in subiecto esse. a ratione uero prædicãdi hæc, eorum, q̃ sunt, alia de subiecto, alia non de subiecto, dicuntur. ait enim quædam esse prædicata, quædam subiecta ad prædicandum. Vide autem Aristotelis diligentiam, qui cum modum existendi significaret, dixit, sunt: cum uero modum prædicandi, adiunxit, dicuntur, hoc est prædicantur.

[Nec in subiecto insunt ullo,] id est, nõ insunt in alio. Ex quatuor porro coniugationibus ipse substantiam uniuersalem præponit cæteris, ut præstantissimam: & quia ex uniuersalibus particularia cognoscimus: cum in particularibus nihil à brutis differamus, immo uero nonnulla ipsorum sensus, quibus sensibus particularia apprehendimus, acriores habent. secundam uero huic oppositam statuit, ea est, quæ accidens particulare continet. nam & accidens substantiæ, & particulare uniuersali opponitur. deinde uero uniuersale accidens particulari substantiæ anteposuit, propterea quod philosophi de uniuersalibus loquuntur.

In subiecta autem re esse dico id, quod in re aliqua inest, non tanquam pars, nec sine eo cui inest, esse potest. Veluti grammatica aliqua in subiecto inest animo, sed de subiecto nullo dicitur. Eodemque modo hic uel ille cãdor, est ille quidem in subiecto corpore (est enim in corpore color omnis) attamen de nullo subiecto dicitur.

Senserat philosophus, se uocibus quibusdam usum, quæ nobis ex consuetudine notæ non erant, ut de subiecto, & nõ de subiecto, & in subiecto, ac non in subiecto, ideo deinceps eas declarare instituit. non omnes tamen, sed duas tantum, id est in subiecto, & de subiecto exponit: propterea quod his cognitis, cæterarum clara erit significatio. nam qui nouit, quid sit, in subiecto esse, sciet idem quid sit, non esse in subiecto. quique cognoscit, quid sit quod de subiecto dicitur, is etiam quid sit, quod non de subiecto dicatur, plane perspiciet. prius uero docet quid sit esse in subiecto, idque explicat definitione; quandoquidem definitiones, ut sæpe diximus, utpote quę ex generibus & differentiis constituentibus fiant, rerum naturam nobis exponunt. cumque definitio ex genere, & differentiis constet, capit hoc loco Aristoteles, in re aliqua, quod generi proportione respondeat, cætera uero, differentiæ loco. Esse autem in aliqua re dicitur quidpiam undecim modis, uel ut pars in toto, ut manus, uel caput in toto corpore inesse dicitur: uel ut totum in partibus, ut uniuersitas corporis in capite, manibus, aliisque partibus dicitur consistere: ac totum quidem non in parte, sed in partibus spectatur: propterea quod una parte adempta, tantum abest, ut totum appelletur, ut etiam mutilum, mancumque dicatur: uel ut species in genere, ut hominem in animali inesse dicimus. uerum hoc loco minime necesse est, genus in suis formis, ut totum in partibus, statuere: quia uniuersitas non est a partibus auulsa, sed in eis essentiam suam habet: at genus distinctam habet essentiam & in unaquaque specie totum est: uel ut in tempore, ut dicere consueuimus, eo tempore Troianæ res gestæ sunt: uel ut in loco, ut dicimus in Lyceo, uel in foro: uel ut in uase, ut uinum in urceo, uel triticum in modio, porro locus & uas idem ferme ualent, ac reciprocantur: dices enim locum uas esse quod non mouetur, neque huc & illuc fertur; uas autẽ, locum qui mouetur, quique circunfertur; uel ut forma in materia, ut statuæ formam in ęre: aut ueluti res subditorum in principe, ut dicimus, res ciuium in principibus niti: uel ut in causa, quæ finem continent, ut medicum in medicina, & militem in re militari spẽ ponere confirmamus; uel vt in subiecto, ut accidens in substantia inest. quam ob rem Aristoteles hoc ipsum, esse in aliqua re, ut genus, quod de multis dicatur, assumit: ac reliqua pro differentiis adiungit, quo ipsum ab aliis distinguat, de quibus quod in aliqua re est, enunciatur. ac cum ait, [non ut pars,] separat ab

iis,

iis, quæ ut partes in toto, & ut species in genere, continentur. nam & hę uidentur quodam modo ut partes ipsius animalis esse, & animal qoiddam esse totum: atque id etiā Porphyrius in institutione dixit, cum ait, Cum hæc tria sint, genera generalissima, species specialissimæ, atque media; generalissimum solum totum est: specialissima solum pars: media uero & totum & pars: sed pars alterius, totum non alterius, sed in alijs. cum autem dixit, [nec ab eo, cui inest, seiungi potest,] a cęteris seiunxit omnibus. sunt qui definitionem hanc reprehendant, partim quod redundet, partim quod aliquid ei desit: hoc enim est definitioois uitium, cum non reciprocatur cum re quę definitur, sed uel plura comprehendit, oel pauciora, quam par est. qui superuacaneum in ea quid esse aiunt, id probant, quia non sola accidentia complectatur: sed corpora etiam attingat. nā & Socrates inquiunt, in loco est, & in tempore, atque ita in aliquo est, nec ut pars in toto, cum non sit loci pars, nec temporis: nec potest etiam a loco seiungi, nec tempore: nos uero noo esse similem comparationem dicimus. nam & accidens ab eo, in quo est, separari non potest, sed simul ac separetur, etiam corrumpi: at corpora licet non ab omni loco disiungātur, ab hoc tamen disiuncta, nihilo mious sunt. corpus enim in eo, quod corpus est, neque loco, neque tempore ad suam consistentiam eget: siquidem hæc ei comitantur: ut qui in luce ambulat, suam habet umbram semper comitem, quæ tameu ad eius substantiam nulli ei est adiumento. contra uero, ad accidentis subsistentiam corpora sunt ualde utilia: quia sine corporibus illa nullo modo subsisterent. Præterea non necesse est, omne corpus esse in loco. sphęram enim inerrantem non esse in loco docet Aristoteles. nam si locus est terminus continentis, quatenus comprehendit id, quod ipso continetur, ut urceus locus est uini, quod in eo est, non per se totum urceum, sed per internam superficiem, quæ ipsius est finis, nimirum si urceus foris abradatur, nihilo minus uinum continebit: utpote qui solum interiore superficie sit locus: si inquam, hoc, ut diximus, locus est, docetque Aristoteles extra sphæram inerrantem nihil esse, ut illa sine alicuius contineatur, cum neque locus, neque tempus, neque corpus, neque inane, neque aliud quidpiam sit, sequitur, inerrantem sphæram in loco non esse: quare omne corpus esse in loco non necesse est: sed locus ac tempus corporibus potius, utí dixi, comitantur. In controuersiam quoque adducunt, quomodo hæc definitio non contineat id, quod ut totum in partibus est: siquidem in aliquo est, cum sit in partibus, nec ut pars insit; & fieri nō possit, ut sine ęo, in quo est, esse queat. Dicimus, quamuis in aliis descriptio conueniat, non tamen in eo, quod in aliquo, conuenire: propterea quod totum in aliqno noo dicitur, siquidem totum non est in parte; sed potius in quibusdam, cum ipsum sit in partibus: id quod etiam Porphyrius adnotauit, cum ait, totum uero uon alterius, sed io alis: quippe cum in partibus totum sit. quod si in eius, quod in re aliqua inest, significationibus id etiam oumerauimus, quod ut totum in partibus uersatur, id tamen non fecimus, quatenus in uno est, sed in ea solum significatione, quod per se non constet, id ipsum quoque iu aliquo inesse diximus. Iam uero illud quoque in dubium uocant, hac definitione illud etiam, quod ut forma in materia est, contineri. formam enim in materia, ut in aliquo esse, nec eius esse partem dicunt. addunt non posse causa a materia disiungi. Dicimus, quamuis forma non sit materiæ pars, eam tamen non esse compositi partem, ut etiam manum non totius, sed uniuersi corporis partem esse asserimus. Præterea forma est, quæ cuiusque complet essentiam, eaque corrupta, subiectum quoque corrumpetur: at accidens neque naturam complet subiectæ rei, neque ipso corrupto res subiecta corrupta est, Præterea dicimus esse Aristoteli propositum hoc loco, de iis quæ sunt, non quia sint, sed quatenus ab hominum multitudine significentur, disserendi: non autem quid ipse de eis sentiat, enunciandi. id autem uerum esse, ostendit ipse cum de substantia uerba faciens ait primam substantiam esse, quę in indiuiduis spectatur: secundam quę generibus, formisq; contineatur, cum tamen res contra se habeat: quippe cum substantia in generibus, formisque considerata prima sit, utpote quę causa sit indiuiduorum, & corporis expers, eodemque modo, & in eisdem semper existat: quę uero indiuidua attingit, secūnda sit, ut effecta a superiore. sed quia hanc uulgus nouit, idcirco ex uulgi sententia docens, eam primam esse pronunciauit. quam ob rem cum multitudo formæ ac materię notitiam nou habet, solumque id nouit, quod ex his concretum est, idque ut unum, ideo Aristoteles etiam si eius, quod in aliquo est, significationes numerauit, tamen eius, qua ut forma in materia esse aliquid dicitur, nō meminit, quia de iis quæ sunt, non quia sint, sed ut de eis uulgus existimat, disputandum sibi proposuit. Vt enim facit geometra, qui definit punctum, idque ait esse, cuius nulla pars sit. hæcque definitio non solum punctum, sed etiam unitatem & instans comprehendit, quæ omnia partem nullā habent: et tamen nemo unquam geometræ uitio daret, qđ puncti definitione hæc etiam complectatur: prorsus enim diceret, quamuis unitas & instans partibus uacent, tamē ex iis, quæ mihi proposita sunt, uihil aliud, præter punctum, partium expers est: ita etiam Aristoteles habita ratione earum rerum, quarum doctrinam instituerat, nō uidit ei propositum esse id, quod ut forma in materia, in aliquo est: siquidem id multitudo noo nouit. atque ipse uult de iis, quæ sunt, non quatenus sint, ut diximus, sed ut a uocibus ad uulgi intelligentiam significentur, disserere. atque hęc quidem aduersus eos, qui aliquid in definitione redundare contendebant, satis dicta sint nobis. qui uero eam esse mācam uolunt, ostendere conantur non omnia accidentia, sed ea solum, quæ uon separantur, eadem comprehendi. dixit enim, [neq; sine eo, cui inest, esse potest.] aiunt enim inseparabilia non solum non posse separari, sed necessario quoque nō seiungi. quid igitur dicendum? nempe, si dixit, seiungi nō posse, recte a nobis dici: at ipse ait, nec esse potest sine eo, in quo inest: id est, non potest constare, atque subsistere. nam & separabilia sine subiecta eis substantia subsistere non possunt. Dubitant etiam nonnulli, quomodo philosophus, accideus sine eo, in quo inest, esse nou posse dixerit. odor enim, inquiunt, accidens est, & a re subiecta disiunctus adhuc manet. nam cum sępenumero pomū procul a nobis sit, eius tamen odoris suauitas ad nos uenit. ex quo conficitur, ut suauis pomi odor, qui accidens est, sine pomi substantia esse possit: eademq; est omnium huiusce generis ratio. id nos dupliciter explicamus: in primis, quia nō dixit Aristoteles, in quo erat, sed in qno est. itaq; nō potest odoris pomi suauitas sine eo loco esse, in quo est. nam uel in pomo est, uel in aëre. deinde nō sola odoris pomi suauitas ad nos uenit, sed cum aliqua tenui pomi substantia: id planū est, quoniam per graueolentem aliquem locum sæpe transeuntes sudario nares obturamus, aëremque respiramus, cum fieri aliter non possit, tetrum tamen odorem nō percipimus, quod substantia illa, quæ defluxit, crassior aëre sit, neque sudarij meatus subire queat. aër enim propter partium tenuitatem sese insinuat. quod si odoris grauitas sentitur, etiam si perdiu sudarium naribus adhæserit, nihil mirabile est: fortasse enim id ex sudarij collocatione contingit, quod sæpe sit dimotum, & crassiori substantiæ aditum ad ingrediendū pate fecerit: quæ quidem si motu plurimo agitetur, magis tenuatur, ac penetret: siquidem quo diutius uentilatur, eo etiam teuuior efficitur. Maximo autem inditio est, unà cum aliqua substantiæ particula odores defluere, quod longo temporis spatio pomum corrugatur, perinde ac substantia ipsius, in qua suauis odor inerat, per halitum digeratur. id ex suffitibus exhalantes uapores ostendunt, qui sane in sensum, propter subiectæ substantiæ crassitiem, cadunt. Ex quo fit, ut sępe aerem manibus dimouentes ad nares pellamus, cum is uapor, qui a suffitu missus, crassior sit, nec possit ad sentiendi instrumentum facile peruenire: quod quidem facere nō oporteret, si qualitates a suffitibus in aëra sine corpore prodirent. Platonem dicere sciendum, odoris suauitatem, quæ ex pomo est, ad nos cum defluxionibus quibusdam manare, eamque a subiecto noo seiungi: Aristotelem uero, causam referre iu aerem, qui & facile obsequitur, & odores transmittit: propterea quod qua ratione sonis, aspectuique, eadem quoque odori peruius est: qui cum odorem ipse percepit, eundem oobis impertitur: Plotinum denique existi-

masse, aëris partem mutari in qualitatem odorandi. suauis enim, inquit, odor, qui in pomo residet, partem aëris, quam sensu percipimus, commutans, alteram sibi similem qualitatem gignit: nõ secus, quam calor qui in igni est, ad nos peruenit, non quod ignem relinquat frigidu m, sed quod in igne permanens alium sibi similem calorem in aere efficit. Harum opinionum nulla per se uera est, nec Platonis, qui ait cum effluxione quadam odores ad nos peruenire: siquidem defluxio, corpus est: omnisque corporis motus naturalis est. nam uel leue est, atque ita in sublime fertur: uel graue, & ad imum tendit: suauitatem uero, quæ ex pomo exit, omnes æque sentimus, supra, infra, ante, retro, a dextris, a sinistris. ex quo planum est, non satis esse, si quis effluxionem esse dicat. Sed neque sola Aristotelis uera est sententia: figmentum enim est dicere, totum aërem, qui interiectus est, odoris fieri participem, ut in uulturibus usu uenit, qui cadauera inhumata in aliis urbibus persentiscunt. Nec uero etiam Plotini sententia est per se uera: infici qualitate partẽ aëris, & commutari. sues enim cœnum altius effodiũt, ut illis defluxionibus maxime perfruantur. tres hæ sententiæ simul iunctæ ueræ sunt. nam in iis, quorum hebes olfaciendi sensus est, quales sues sunt, defluxionibus est opus: in quibus hic sensus acer est, & exquisitus, ut in uulturibus, satis est, ut aër sit odoribus peruius: in iis denique qui eo sensu mediocriter ualent, ut nos sumus, aëris sufficit commutatio. sed nulla harum opinionum censet, qualitates a subiecta re in aliam migrare, sunt enim uel in eodem instanti, tum in eo, in quo sunt, tum in eo ex quo existunt, ipsaque a se qualitas diuelletur: uel in alio atque alio instanti. & quoniam omnium duorum instantiũ tẽpus est medium, certe in eo tempore qualitates sine subiecto permanebunt. Preterea contra eos, qui substantiam quandam simul cum pomi qualitate emanare putant, hoc etiam dici potest, substãtiæ unum esse motum rectum, quippe quæ uel sursum, uel deorsum, uel antorsum, uel retrorsum, uel dextrorsum, uel sinistrorsum moueatur: sed cum & a dextris, & a sinistris, & ante, & retro suauitas odoris percipiatur, eam his omnibus cieri motibus consequetur, hoc modo res explicanda, dissoluendaque est, aër potestate, est, qualis est qualitas pomi: quod eam naturam habet, ut omnes qualitates accipiat, tanquam expers sit earum omnium. ergo ab odoris pomi iucunditate, aer talis fit actu deinde tãquam ipse omni uacet qualitate, qualitates omnes ad nos mittit, quas ex ipso accipiamus: id quod in sonis usu non uenit. at si quis dicat, quomodo poma, quæ in arbore sunt, odorem ad nos mittunt, nec gracilia fiunt, nec minuuntur? id fieri dicimus, quoniam quod influit atque alit, eo quod difflatur, copiosius est. influxus enim est effluxu certe maior.

Quædam & de subiecto dicuntur, & sunt in subiecto: ut scientia in subiecto animo inest, ac de subiecta grammatica dicitur. Nonnulla nec in subiecto sita sunt, nec de subiecto dicuntur ullo: ut singuli homines, ut singuli equi. Nihil enim eius generis neq; in subiecto est, neque de subiecto ullo dicitur.

Cum particulare accidens declararit, quod significauit cum ipsum in subiecto esse, & non dici de subiecto docuit: nunc eo redit, ut uniuersalis accidentis, quod de subiecto, & in subiecto uocat, exemplum nobis afferat. [Nonnulla, inquit, nec in subiecto sunt, neq; de subiecto ullo dicuntur.] ubique iis, quæ ad uocem pertinent, ut sunt de subiecto, & non in subiecto, uerbum dicitur, adiungit: iis uero quæ ab ente manant, hoc est in subiecto, & non in subiecto, uerbum est, adhibet. Itaque cum exempla accidentiũ particularium, & uniuersalium subiecerit, nunc particularem substãtiam exemplo explicat. quod autem non de subiecto dicitur, id non prædicatur ea dicendi ratione, qua aliquid de subiecto enunciatur: non tamen absolute, quia particulare potest etiam de subiecto dici, ut quædam grammatica Aristarchi grammatica dicitur: id quod ipse progrediens declarabit his uerbis, sed eorum nonnulla in subiecto esse nihil prohibet. quod si indiuidua quoque de subiecto dicuntur, ut is qui uenit, Socrates est, tamen ea dicendi ratio præter naturam est: utpote quæ faciat, ut particulare de uniuersali dicatur: ut fit etiam, cum substantia de accidenti enunciatur, ut cum dicimus, hoc quod album est, Socrates est. secundum naturam enim uniuersalia de particularibus, & accidentia de substantiis enunciantur: at particularia de uniuersalibus, ut ex proposito exemplo planum est, & substantiæ de accidentibus, ut hoc quod album accedit, Socrates est, præter naturam. ergo quod non de subiecto dicitur, non prædicatur ea dicendi ratione, quæ de subiecto est, si prædicatio secundum naturam fiat.

Simpliciter autem & indiuidua & unũ numero de subiecto nullo illa quidem dicuntur, sed eorum nonnulla in subiecto esse nihil probibet. Nam grammaticæ singulæ sunt in iis quæ in subiecto insunt, nec de subiecto ullo dicuntur.

Quoniam proxime particularium substantiarum mentionem fecit, ut quæ de subiecto non dicantur, cum ait, quædam neque in subiecto sunt: neque de subiecto ullo dicuntur, ut aliquis homo, & aliquis equus, nec solum particulares substantiæ, sed etiam particularia accidentia non de subiecto dicuntur, ideo hoc loco generatim loquitur, & ait, simpliciter, id est universali quadam ratione omnia indiuidua, & quod unum numero est, siue substantiæ sint, siue accidentia, de nullo subiecto dicuntur. Simpliciter, tribus modis dicitur, uel omnino & uniuerse, ut cum dicimus, omnis homo simpliciter, hoc est uniuerse: uel significat unicum & non perplexum, quale est illud,

„ Nam ueritatis sueuit esse oratio
„ Simplex, id est nõ uaria: uel cum notat proprie, ut cum dicimus, simpliciter uirtus, hoc est proprie uirtus. sed & unum, & ad summam idem, atque alterum tribus modis dicuntur. nam uel genere unum dicimus, ut hominẽ & equũ unius esse generis: uel specie, ut Socratem & Platonem: uel numero, ut Plato unus numero est; alterum quoque dicitur uel genere, ut equus & planta, uel specie ut equus, & homo, uel numero, ut Plato, & Socrates. hic uero accipit id, quod unum numero est. Illud porro sciendum est, quæ diuersa numero sunt, posse & generis, & speciei unius esse: ut sunt Socrates & Plato: quæ uero diuersa specie sunt etiam numero differre omnino: at genere, nõ omnino: sed quandoq; eadem, ut homo & equus: quæ denique alterius sunt generis, ea & specie, & numero diuersa esse omnino, ut equus & ficus, uel homo & candor. [Sed eorum inquit, nonnulla in subiecto esse nihil prohibet.] Cõfecto eo sermone, quem generatim instituerat, cum dixit, nulla indiuidua, quæ etiam una numero sunt, de subiecto dici, cum non solum substantiæ particulares, sed etiã accidentia particularia sint indiuidua, ut quędam grammatica, ut ipse ait, addidit, in subiecto esse nihil uetat: quod de accidenti intelligitur. atque ut absolute dicam, quod unũ numero est, de nullo subiecto dicitur, est quidem in subiecto.

Cum alterum de altero tanquam de subiecto dicitur, quicquid de prædicato dicitur, id omne de subiecto quoque dicetur. Velut quia homo de quopiam homine dicitur, & animal de homine: ob eam etiam causam animal de singulis hominibus dicetur. Singuli enim homines & homines sunt & animalia.

Cum de eo, quod in subiecto est, disseruerit, nunc ad declarandum id, quod de subiecto dicitur, accedit: & quodam modo ait, aliud esse dici de aliquo, & aliud ut de subiecto dici. ex hoc autem, quod ut de subiecto dicitur, omnino consequens est hoc, quæcunq; de prædicato dicũtur, ea de subiecto quoq; illius prædicati dici omnia: ut de Socrate, ut de subiecto dicitur homo uniuersalis, deq; homine uniuersali animal, ergo etiã de Socrate animal dicetur. homo enim uniuersalis per medium sui prædicationem animalis ad Socratem traducit. Sed quidnam hæc uerba, tanquam de subiecto, significant? nempe, in substantia, & re ipsa. nam si quid de prædicato ex accidenti dicitur, non necesse est, ut etiam de subiecto illius dicatur: ut de Agamemnone re ipsa, & tanquam de subiecto dicitur homo, de homine in substantia dicitur animal, & ex accidenti trisyllabum, ideo animal de

Aga-

Agamemnone quidem dicetur, triſyllabum uero non item. Prẹterea de animali ut de ſubiecto & de re dicitur animatum & ſenſibile, ex accidenti uero, & relatione quadam genus & triſyllabum. ſimilis eſt accidentiũ ratio: nam numero dicitur de tribus, ut de re, deque numero ut de re dicitur quantitas, ex accidenti uero triſyllabum: ideo numerus de tribus quidem dicetur, triſyllabum non dicetur. Vt igitur ſignificaret quæ in ſubſtantia, & tanquam de rebus dicuntur, addidit, tanquam de ſubiecto. nam triſyllabum de animali non ut de ſubiecto dicitur, ſed ut de uoce, & ſyllabarũ quantitate, & item genus de relatione. quæcunq; igitur inquit, de altero, tanquam de ſubiecto dicuntur, ea omnia de ſubiecto quoque dicentur. Categoriæ autem & latitudinem, & profunditatem habent: hoc autem quod profundum in categorijs dicitur, eſt, cum ad ea, quæ magis particularia ſunt, progrediuntur: latitudo uero, cũ in latera abſcedũt: exempli gratia in profundum progreſsio fit hoc modo, ſubſtantia, corpus, animatum, animal, & ita deinceps: latitudo uero eſt, cum ſubſtantiam in corpus & nõ corpus, diuidas. regulam ergo nobis & latitudinis & profunditatis Ariſtoteles tradit: ac nunc quidem profunditatis, latitudinis uero deinceps afferet. regula autem hæc eſt: Cum primũ de ſecundo de ſubiecto dicitur, ac ſecundum de tertio de ſubiecto, tum etiam primum de tertio, de ſubiecto dicetur: ut animatum dicitur de animali, animal de homine, ergo etiã animatum de homine dicetur. recte autem in explicanda regula adiectum eſt, de ſubiecto: propterea quod ſi uera eſſe regula debet, utraq; propoſitio de ſubiecto ſit neceſſe eſt. nam ſiue utraq; in ſubiecto ſit, nihil ueri concluditur, ſiue altera de ſubiecto, & in ſubiecto altera, eaq; ſiue prima, ſiue ſecunda, ne ita quidem ueri quidpiam efficietur. ſed age, capiantur ambæ in ſubiecto, ut homines albi ſunt, albi eſt biſyllabum; nam biſyllabum albis accidit: ſi ita concludatur, falſa erit concluſio: neque enim hoc nomen homines, biſyllabũ eſt. ſumatur uero nunc una, hoc eſt prior in ſubiecto, ſecunda uero de ſubiecto, ut homo eſt albus, album eſt color, etiã falſum concludetur: ſiquidem homo color non eſt. Iam uero capiatur prima de ſubiecto, & ſecunda in ſubiecto, ut homo eſt animal, animal eſt triſyllabum, neq; ita ueri quicquã concludetur. habemuſq; fere ex oppoſito huius regulę, quo modo ea omnia, quæ ſunt, ad decem categorias referri poſſint: ut enim regula nobis oſtendit primũ ſecundo, ac ſecundum tertio conuenire, ita uice uerſa poſſumus eiuſdem ope docere, ſecunda ad prima redigi, ut homo ad animal, animal ad animatum, animatum ad corpus, corpus ad ſubſtantiam: atque ita homo ad ſubſtantiam referatur. id quod in cæteris categorijs eodem modo cõtingit. Nonnulli autem in quæſtionem adducunt, fruſtra dici, cum quatuor propoſita ſint, uniuerſale ac particulare, ſubſtantia & accidens, duo tamen ſola ab Ariſtotele deſcribi, eaq; deteriora, ut accidens, & particulare. aiunt enim hic definiri id, quod de ſubiecto dicitur, hoc eſt uniuerſale, cum dicit primũ ſecundo, ac ſecundum tertio, atque ita primum tertio cõuenire: & item definitione explicari quod non in ſubiecto eſt, hoc eſt ſubſtantiam: cum illius proprietates enumerat. nam deſcriptiones è proprijs ſumuntur. ad quæ nos dicimus, nõ definitionem, neque deſcriptionem, ſed regulam eſſe eam, quæ dicta eſt: propterea quod in nulla deſcriptione, nullaue definitione id quod definitur, hoc eſt definitionis nomen in ipſa deſcriptione, definitioneue aſſumitur: cum nemo ita dicat, homo eſt homo, animal, particeps rationis, mortale, &c. neque quiſquam dicit, animal eſt animal, ſubſtantia, animata, ſentiẽs. nunc uero in hac regula id quod definitur, id eſt, de ſubiecto, ſæpenumero ſumptum eſt. ad aliam uero dubitationem dicimus, nullum proprium ſubſtantiæ, quod ipſe afferat, eſſe ſubſtantiæ deſcriptionem. quæcunq; enim ipſius propria cõnumerat, uel ſoli ſubſtantiæ cõueniunt, uel omni: uel omni quidem, ſed tamen nõ ſoli. deſcriptio autem & uere propria & ſoli, & toti, & ſemper uolunt cõuenire. Cumq; dicendi ratio ſit duplex, altera de ſubiecto, altera in ſubiecto, noſq; de ſubiecto dicimus, cum uniuerſalia de particularibus dicuntur, in ſubiecto uero, accidens dicitur de ſubſtantia, ea dicendi ratio quæ in ſubiecto aliud alij ineſſe dicit, quæſtionem nullã excitabit: at quæ de ſubiecto eſt, cum uelit, alterum idem eſſe quod alterum, oſtendere, id eſt prædicatum idem eſſe quod ſubiectum, dubitationem affert. dicet enim quiſpiam, quale prędicatum eſt animal de homine? an quod homini coniunctũ eſt, an uniuerſale? ſi enim quod ei coniunctum, idem de eodem dicetur, atq; garrula erit dicendi ratio: ſi uniuerſale, tum particulare erit æquale uniuerſali, eritq; particulare idem, quod uniuerſale. ergo dicendum eſt, prædicatum debere eſſe & cõmunius quam ſubiectum, & eius proprium. nam cum dicimus, homo eſt animal, nihil aliud ſignificamus, quã quod in omnibus animantibus eſt forma animalis, atque hominis: ut præconis uox cõmunis eſt ut ab omnibus & priuatim a ſingulis audiatur: ut etiam medium, qui cõmunis terminus eſt omnium rectarum linearum, quæ a medio producuntur, & item proprium cuiuſq;: ut item materia quæ omnibus communiter, & proprie unicuiq; ſubiecto eſt, ita & prædicatum eſt, quod & cõmune & proprium ſubiecti eſſe uult. in eo igitur, quod cõmune eſt, nulla nugatio eſt: in eo uero quod proprium, particulare uniuerſali non æquabitur.

Quæ genere differunt, nec unum ab altero continetur, eorum etiam differentiæ ſpecie differunt, ut animalis & ſcientiæ. Animalis enim differentiæ ſunt, terrenum & bipes, & uolucre, & aquatile: at vero harum nulla ſcientiæ eſt: quoniam inter ſcientiam & ſcientiam hoc ipſo, quod bipes ſit, nihil intereſt.

Aſſumit hoc loco ſumptiunculas quaſdam, ſibi ad inſtitutum negotium profuturas. quoniam enim categoriæ omnes ſunt genera generaliſsima, & in unaquaq; categoria ſeries quædam eſt expoſita generum, quorum unum continetur ab altero, regulam nobis quandam philoſophus tribuit, qua & genera diuerſa, & ea, quorum unum continetur ab altero, diſcernamus. ait autem, eorum quæ genere differunt, nec unum ab altero continetur, eorum etiam differentias & quæ conſtituunt, & quæ diuidunt, omnino differre, ut animalis & ſcientiæ. differentię enim, quæ animal conſtituunt, ſunt, animatum, ac ſenſus particeps: quę diuidunt, particeps rationis, & expers, mortale & immortale: ſcientiam uero conſtituunt forte hæ differentię, rationes uitio carentes, earumq; firmitas: uel quod res ſcientiæ ſubiectæ ſemper eædẽ ſint, ac pari modo affectæ: diuidunt autem hæ, quod in contemplatione uerſatur, quod in actione eſt, ergo differentiæ diuerſæ ſunt, cum diuerſa ſint genera. Aliter tamen ſcientias in Gorgia diuiſit Plato: ſcientiarum inquit aliæ ſolum ſunt in ratione, ut diſſerendi ars: aliæ ſolũ ad actionẽ pertinẽt, ut pictura, alię mixtę, ut in ratione ſimul ſint, & in actione uerſentur; idque tribus modis contingit, uel enim pari portione ſunt uerborum & actionis participes, ut ars citharœdi, quæ ſimul fidibus canit, & plectit: differt autem a citharistica, quia hæc canit & pulſat, citharistica uero ſolum pulſat. ut etiam alea, ante iactũ, ea inuocat, quibus ei opus eſt: tum quæ tulit, ante commutationem pronunciat. mistæ ergo uel quantum habent actionis, tantundem ſermonis nactæ ſunt; uel maiorem ſermonis, quam actionis copiam, ut hiſtrionica. in quam ſententiã a quodam dictum eſt: redde quæ a patre cepiſti meo: cumq; ille per ſilentium renueret; tum ille, non pecuniam, inquam. Vel contra maior in eis actionis eſt uis, quam uerborũ, ut in medicina: quæ ita quidem nominata eſt, ut medicatrix potius, ut ita dicam, quam ſermocinatrix ſit: & tamen orationem ac rationem & ad dignoſcenda quæ in morbis ſunt, & ad eadẽ curanda adhibet: cum is deniq; optime curet, qui optime cognoſcat. quoniã uero diuerſa genera multis modis dicuntur, cum diuerſa appellentur, uel quod omnino inter ſe differant, ut ſubſtantia & quantitas: uel quod non omnino diſiuncta ſint, ex altera tamen parte ſibi reſpondeant ex eadem ducta diuiſione, ut aquatile, & uolucre, quæ animal cõmune genus habent: ſed quæ ſunt etiam huiuſmodi, ut unum ab altero contineatur, diuerſa dicuntur, ut ſubſtantia & corpus. quæ cauſa fuit, ut uerba hæc adiungeret, nec unum ab altero cõtinetur: ſiquidem quæ ſunt eiuſmodi eaſdem habent differentias, ut ſunt animalis abſolute, & animalis rationis participis differentiæ; quia utriuſq; eædem ſunt & diuidentes, & conſtituentes. ac conſtituentes quidem utriuſq; ſunt animatum, ſenſus

particeps: diuidentes uero, mortale atque immortale: quæ uero genera se se oon contineot, sed diuersa sunt, ea oeque diuidentes, neq; constituentes easdem habent, ut in animali & scientia diximus. at quorum unum ab altero continetur, eorum, ut dictum est, constituentes omnino sunt eædem, diuidentes nõ omnino: sed & alteras esse contingit, ut in animali, & animali rationis experte: hic enim quæ cõstituunt, sunt eædem, quę diuidunt, non eædem, ut docuimus. animalis enim absolute sumpel differentiæ sunt hæ, particeps rationis, & expers, mortale & immortale; animalis uero rationis expertis hæ, uolucre, aquatile, terrestre. eadem ratio est generum eorũ, quæ sibi ex altera parte respondent: quorum constitueotes differentiæ sunt eædem, diuidentes uero, diuersæ. ut animalis quod ratiooe uacat, sunt eæ, quæ expositæ iam sunt; eius uero quod rationis particeps est, hæ, mortale, immortale, cæleste, ac terrenum. Recte autem addidit uerbum, specie, id est re: ut substantiales differentias intelligamus. possunt enim etiam generum diuersorum eædem esse ex proportione differentiæ: nam & in supellectili dicimus quædam instrumenta pedes habere, quædam non habere. oon habent autem, ut mortarium & quæ sunt huius generis: habeot uero cathedræ, thori, lecti. sed & in animalibus idem dicere cõsueuimus: uerum eæ differentię nõ sunt effectrices formarum. neque enim ideo forma hominis efficitur, quod sit bipes. uerum neq; etiã si uerbo tenus eædem esse differentiæ uideantur, iam sunt specie eædem: quippe cum pedes lecti, & pedes animalis ooo eiusdem sint speciei, cum neque eadem sit actio: sed ex proportiooe iidem sunt, si qua modo similitudo intercedit. partes enim inferiores, quæ ut firmamenta animalis & lecti sunt, pedes uocantur: sed ut pedes in animali, ita fulcra in lecto dicuntur: uerum hæc reliquos postea pedum usus non præstant, ut non ambulant, ut suo motu corpus simul non ferunt, & quæ sunt generis eiusdem. ex quo fit, ut noo specie, sed uoce & proportione iidem habeantur. [Animalis enim inquit, differentiæ sunt, terrenum, & bipes, & aquatile, & uolucre.] generum differentiæ multis diuidi modis queunt, ut animalis substantiales differentiæ sunt particeps & expers rationis: a uitæ spatio ductæ, ut mortale & immortale: a loco in quo uita ducitur, uolucre, terrestre, bipes, aquatile: a partibus corporis, ut habere pedes, & uacare pedibus: & aliæ deniq; sunt, quæ a rebus, quæ animantibus insunt, trahi possunt. Aristoteles uero, exemplo usus a loco, data opera aliud ex alia diuisione exemplum in medium adduxit differentiæ quæ a partibus oritur, ut ostenderet, nihil interesse hoc loco, etiam si alias differentias ad generum naturam inuestigandam adhibeas: quippe cum ea, quæ genere differunt, neque io prima diuisione, neque in secunda, neque, uno uerbo, in ulla omnino inter se coouenIant.

Eorum autem generum quorum vnum altero continetur, nihil prohibet easdem esse differentias. Nam quæ supra sunt, de ijs quæ eis subiecta sunt, generibus dicuntur. Ita fit, vt omnes quæ sunt prædicati, subiecti etiam sint futuræ differentiæ.

Quod ait, nihil prohibet, recte adiunctum est: quia eorũ generum, quorum unum continetur ab altero, oon necesse est easdem esse differentias uti diximus: usu quidem uenit plerunq;, ut sint eædem. nam quæ constituunt, semper sunt eædem, licet non solæ sint: cum plures sint inferiorũ: quandoque uero etiam quæ diuidunt, ut supra diximus.

Quæ autem sine vlla complexione dicuntur, ea vel substantiam significant, vel quantitatem, vel qualitatem, vel quæ cum aliquo comparantur, vel locum, vel tempus, uel accubationem, uel habere, uel facere, uel pati. Est autem substantia, ut adumbratim dicam, ut homo, ut equus. Quantitas, ut quod duorum cubitorum est, quodq; trium. Qualitas, ut candor, grammatica. Quæ cum aliquo comparantur, ut duplum, ut simplum, ut maius. In loco, ut in foro, in Lyceo. In tempore, ut cras, anno superiore. Situm esse, ut iacere, ut sedere. Habere, ut armatũ esse, uestitum esse. Facere, ut secare, urere. Pati, ut secari, uri.

Cum uoces duas in partes diuiserit, in simpliees, & compositas, conuenienter utriq; parti res quoq; distribuere sibi proposuit. ergo cum prius ea quæ sunt, quadripartita diuisione distribuerit, in substantiam uniuersalem, ac particularem, & in accidens uniuersale, ac particulare, nunc ea quæ sunt in decem, tanquam simplicia partitur, eaq; nobis rebus quibusdam ferme adumbrat: ut ad nonnullam nos eorũ cognitionem adducat. postea uero distincte & plane cuiusq; doctrinã nobis tribuit. sed quare dixit, [Quæ sine ulla complexione dicũtur ?,] quid ? sunt ne multæ cõplexiones ? etiã. nam uel uox simplex est, & significatio composita, ut curro: uel simplex significatio, & uox composita, ut ariuspagus, & coruipetra: & ut defioitiones & ea quæ definiuntur: oel & uox & significatio compositæ sunt, ut cum dicimus, Socrates ambulat: uel ambę simpliees, ot categoriæ. hic uero eorum quæ sine complexione dicuntur, diuisionem facit, quæ neque in uoce, neq; io significatiooe composita sunt. Bene auteoi dixit, quæ dicuntur, propter coniunctiones, articulos & propositiones, quæ per se non dicuntur, neque quicquam significant, sed simpliciter uoces sunt cum cæteris pronunciatæ, ac res unà eum illis significant. atque etiam hinc sciri iterum potest, quid sit Aristoteli in hoc libro propositũ, cum ait, eorum, quæ sine complexione dicuntur, ea uel substantiã significant: &c. patet enim eum agere de uocibus res significantibus: atque deioceps de medijs cõceptionibus. Scire conuenit, cum uerbo res describit, obscuram nobis categoriarum imaginem præberi. nam crassa earum doctrina nudis nunc exemplis cõtinetur: exquisita uero & cuiusq; proprietates enumerat, & diuisionem proponit, ut proprietatibus admoniti ea quæ in categorijs insint; & diuisione, quibus categoriæ insint, cognoscamus. Ipse tamen decẽ exemplis decem categorias enumerat: oos in uno atque eodem exemplo categorias omnes, ut in Socrate numerabimus. Socrates igitur, quia homo sit, substãtia est: quia duorum, triumue cubitorum, quãtitas: quia albus, aut musicus, qualitas: ut curam gerit adolescentium, uel quia Sophronisci filius sit, cum aliquo comparatur: quia io Lycio doceat, in loco est: in tempore uero, quia temporibus belli Peloponnesiaci natus sit: quia uideat, facere: quia uideatur, pati: quia stet, uel sedeat, uel sub platano reclinatus sit, eum situm esse: uel etiam qui humi sit stratus ut Lysiæ orationem audiret. uel enim omnes recti sunt artus, & ita stare: uel supini omnes, & recumbere: uel partim recti, partim supini, & sedere dicetur: habere uero, ut circundatas uestes. Quærunt autem nonnulli, quomodo categorias simplices uocemus, cum tamen quatuor sint, ut ante dictum est, simplices, sex compositæ. nos uero dicimus, eas compositas appellari, quia speciem nobis afferant compositionis, cum ipsæ tamen sint simpliees. neque enim categoria est, quod in loco est, neque idem, quod est in tempore: sed categoria est, io loco esse, atque in tempore esse. quæ res fecit, ut quasdam infinitis uerborum, ut facere, pati, habere, situm esse, quæ infinita sunt, exposuerit, ne si personas adhibuisset, compositionem aliquam introduceret. Nunc uero cum ens sit decem categoriarum genus, potest etiam eis ordo adhiberi: primas ergo fert substantia, ut pote quæ sit subiecta omnibus: secundæ tribuuntur quantitati, quia materia informis prius qoantitatem, tum qualitatem nanciscitur: tertiæ deferuntur qualitati: quæ etiam præponitur ijs, quæ cum aliquo conferuntur, quia quod per se est, prius est eo, quod relationem habet. sed si ita res se habet, ea quæ ex substantia & quantitate oriuntur, priora ijs erunt, quæ ex substantia & qualitate ducuntur: & item ea, quæ ex substantia & qualitate, ijs quæ ex substantia, & ijs quæ cum aliquo conferuntur. [Est autem inquit substantia, ut adumbratim dicam.] nõ sigoificat rerũ omnium substantiã: quia intelligibilem non affert, sed sensibilem. tu uero cæteras res, quæcunq; sua ipsæ ui constant, neque alterius indigent, ut cohæreant, substantias intellige. [Qualitas, ut candor, grammatica.] Hic est animaduertendum, eum qualitas omnis in subiecto sit, non omnis tamen idem specie subiectum sit sortita, sed alia in corpore sit, ut color; alia in animo, ut geometria; cum uelit exemplis duplex genus qualitatis ostendere, id ab ipso declaratum esse his uerbis: qualitas, ut candor, grammatica, qui ut qualita-

tem

tem quæ in corpore, in subiecto uersatur, nobis innueret, candoris usus est nomine: ut eam, quæ in animo est, grammatices. Habere inquit, ut armatum esse, uestitum esse. De ijs quoque simplicibus intelligendum esse, est plane perspicuum. dixit, enim, [quæ autem sine complexione dicuntur:] tum addit, habere, ut armatum esse, uestitum esse. Sunt qui quærant hoc loco, cur, ut categoriæ facere, opposuit categoriam pati, duasq; esse uoluit, hoc est facere & pati, non idem hic fecerit: habere enim & haberi contrario nomine opponuntur: & tamen non haberi, sed solum habere, categoriam esse dixit. Dicimus id, hoc est haberi, ad categoriã, quæ est situm esse, redigi posse: propterea quod haberi dicimus, quod alicubi situm est, ut in horto, si ita contingat, arbores, uel in corpore arma, aut uestes, aut sita in aliquo arma esse. Vt igitur in facere & pati, categoriç ambæ sunt eadem ratione subiecti, sed relatione differunt; quippe cum ab eo qui facit, initium ducimus, facere dicamus: cum uero a patiente, pati: ita hoc loco habere & situm esse, hoc est haberi, quæ quidem subiecti ratione sunt eadem, sed differunt relatione: siquidem cum ab eo qui habet, incipimus, habere: cum ab eo, quod habere quis fertur, situm esse, id est haberi dicimus.

Nihil autem eorum quæ enumerata sunt, per se in affirmatione & negatione dicitur, sed ex eorum mutua quadam coniunctione omnis & affirmatio & negatio nascitur. Nam & omnis affirmatio & negatio, videtur aut verum, aut falsum significare: & nihil eorum, quæ simplicia sunt, non coniuncta, verum est aut falsum; vt homo, vt candor, vt currit, vt vincit.

Huiusce libri intentionem ab ea, quæ sequentis libri est, qui de interpretatione inscribitur, nũc distinguit. hic enim de vocibus simplicibus, in illo de affirmatione & negatione agit. id ipse ostendit syllogismo, qui in secunda figura conficitur. medium terminum ueritatẽ, ac falsitatem sumit, atq; ita probat, omnis affirmatio, & negatio uerum aut falsum significat: nulla uox simplex affirmationem aut negationem significat. licet enim plus millies dicam homo, homo, non tamen uerum aut falsum enunciabo; itemq; licet millies dicam, ambulat, ambulat, uerum aut falsum non erit. si quis uero dicat, uerum esse eum, aut falsum, qui dicit, ambulo, quia si forte ambulet, uera erit illius oratio, si non, falsa: respondebimus, eum qui dicit ambulo, potestate quadam assumere hoc pronomen, ego, quasi dicat, ego ambulo: ex quo fit, ut quicunq; dicat ambulo, potestate ad uerum falsumq; significandum assumat, ego: & nõ categoriam solam per se, nec uocem simplicem pronunciet. quibus quidem fit rebus, ut uoces simplices non sint uoce tantum iudicandæ, neque item compositæ: sed ita, ut cum iunctę uoces simplicem rem significent, sint iudicandæ simplices, cumq; simplices quædã rem iunctam, & non simplicem significent, easdem esse compositas. quam ob rem uerbum curro, non simplex est, quia neq; etiam eius simplex est significatio. idcirco Aristoteles, ut hanc dubitationem reiiciens dixit hæc uerba, [Eorum, quæ sine ulla complexione dicuntur,] id est eorum, quorum non est complexa & coniuncta significatio, &c. uoces ergo simplices ipsæ per se pronunciatæ, ut dictum est, nullam ueritatem, falsitatemue significãt: omnis tamen affirmatio uel negatio verum, aut falsum omnino significat, vt si dicam, Socrates ambulat, si tum ambulet, verum dicam: si sedeat, falsum. itemq; si dixero, Socrates non ambulat, si non ambulet, verum, si ambulet, falsum enunciaro: ergo categoriæ cũ uoces simplices sunt, nullam, uti diximus, ueritatem, aut falsitatem significant: iunctæ uero inter se, affirmationem, negationemq; conficiunt, in quibus & veritas, & falsitas inest, ut hæc affirmatio homo ambulat, ex substantia & facere conficitur, quæ si negationem in medio assumat, fiet negatio, vt homo non ambulat. [Per se inquit, in affirmatione, & negatione dicitur.] pleriq; codices, præsertim qui meliores putantur, non habent & negatione, sed solum in affirmatione: nam si nulla categoria significat affirmationem, multo magis neque negationem significabit, cum opus etiam ad eam sit negante particula: ac suspicari quispiam facilius posit a categorijs affirmationem potius, quam negationẽ conflari.

[Nam & omnis inquit, affirmatio, & negatio videtur aut verum, aut falsum significare.] additum est verbum videtur, quia neque omnino affirmatio vera est, neque negatio omnino falsa: vt si quis dicat, curro, vel non curro. quia ergo in his potestate subaudiendum est ego, ideo dixit, videtur. Vel igitur ita intelligendũ est, vel hoc verbum, videtur, redundat, vel est error librarij, vel pro eo positum est, quasi dicat, ita videtur omnibus. Nonnulli quærunt, ad quam categoriam referendum sit punctum, nunc, & vnitas. nam ad substantiam non pertinet, cum illa suapte ui, atque natura constet, horum vero nullũ per se subsistat: quippe cum punctum in linea, cuius est principium & finis essentiam suã habeat. nunc vero, in tempore, cum ipsum quoque & principium & finis temporis sit, nec tempus existat: intelligo autem nunc, momentum, non quod late dicitur: vnitas quoq; nullo modo numerus est, sed numeri initium, ex quo fit, vt ipsa quoque non sit per se numerus, sed in numero habeat essentiam. nam principium est, principium vero in illis habet essentiam, quorum est principiũ. Verum ne quanta quidem hæc dici possunt. nam quanti proprium est, æquale & inæquale dici: at signũ & nunc cuinam erunt æqualia? neq; enim punctum puncto, neque nunc alteri nunc æquale esse, neque vnitas quia vnitas sit, vnitati æqualis dicitur: propterea quod æqualia nominamus, quæ & quantitatẽ, & partes easdem habent: sed hæc neque quanta sunt, neq; partes vllas habent. quin ne inæqualia quidem dici possunt, etiam si quis æquale in eis dici concedat. tempus enim tempori æquale est, vel inæquale: ac numerus numero, lineaq; lineę, quę omnia sunt quanta: siquidem ęqualia, aut inęqualia propter easdem partes dicere quædã consueuimus: at hæc cum partibus vacent, & nihil sint eorum, quæ modo memorauimus, sub alterius comparationem non cadunt. Præterea quantum vel coniunctum est, vel deuinctum, hæc neq; coniuncta, neque deuincta, cum vacent partibus, esse queunt. coniunctum autẽ id appellamus, quod partes iunctas habet: deuinctum, cuius separatæ partes sint. Nõ ignorandum est, fuisse quosdam, qui hæc ad categoriam eorum, quæ cum aliquo conferuntur, referri uellent. dicebant enim hæc initia esse eorum, quæ ipsa cõsequerentur, vt punctum, lineæ; vnitatem, numeri: nunc, temporis: si ergo principia sunt aliquorum principia, taliaq; sunt, quæ cum aliquo cõferuntur, vt pater est filij pater, & duplum est simpli duplum, certe hęc quoque ad aliquid referuntur. nos vero dicimus, quæ cum aliquo conferuntur, vt ipse postea declarabit, esse relationes solum quorundam, neque propriam habere consistentiam, & in alijs categorijs consistere, vel enim in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in aliqua alia categoria cohærere: quam ob rem ea germinibus adnatis comparat, quæ in alijs, hoc est in plantis, habent essentiam. in omnibus enim categorijs ea quæ cum aliquo cõferuntur, possumus intueri. nam cum dico, pater est filij pater, ea in substantia dico: cumq; duplum simpli duplum, in quantitate: cum candidius candido candidius, in qualitate: atque ita in ceteris pari ratione. dicendum igitur quid hæc ipsa per se sint, & ad quam categoriam referantur, deinde explicanda mutua ipsorum relatio est. quid igitur censendum? nempe hęc ad nullam categoriã re vera redigi, quatenus ex libri huius intentione licet facere coniecturam. est enim hic Aristoteli propositum, vt sæpe dictum est, de ijs quæ sunt differere, non in eo quia sint, sed vt vulgo ab eiusmodi vocibus significentur. etenim hic docere vult, quę multitudini nota sunt: quia vero horum, de quibus quæstio est, nullam noticiam habet multitudo, ideo quamuis posset ea ad vnam categoriam redigere, verbi gratia ad quantitatẽ, vt diceret, quanti aliud partibile, aliud impartibile est, & partibilis aliud coniunctum, aliud deuinctum, eaq; ad quantũ impartibile referre, non fecit tamen: propterea quod eorum cognitio instituti negotij non erat: & quod nõ de ijs, quæ sunt, quia sint, disseràt, planum est ex eo, quod cum in physicis triplicem substantiam esse dixerit, eam quę ex materia, eam formæ, & tertiam ex vtraq; iunctam, hic nullibi neque materiem per se, neque formam appellari substantiam censet: quippe cum vulgus nullam earum, cum simplices sint, notitiam habeat: sed solam quæ iuncta ex vtrisq; est, cognoscat. Iam vero illud etiã

inuestigant, ad quam categoriam priuationes, negationesq; referantur: nos præcipue ad nullā respondemus, propterea quod nihil determinatū significant: cum categoriæ res determinatas indicent. verum si opus omnino sit, ad categoriam aliquam eas redigere, profecto priuationes ad eam, ad quam habitus pertinent, referentur: & negationes ad eam affirmationum: quippe cum contrariorum sit idem genus: vt albi & nigri, calidi & frigidi, ac cæterorum. Quærunt denique, cui categoriæ tribuendæ sint motiones, ac mutationes: quas ego nulli attribui respondeo. sunt enim categoriæ earum rerum, quæ constant, suamq; formam perfecte acceperunt. at mutatio omnis imperfecta est. mutatio enim, cum ens non sit, via quædam est ad formam, & ad ens. Præterea ad nullam categoriam mutatio omnis referri potest: siquidē in multis, vt ipse docebit, spectatur. pertinent enim aliæ ad substantiam, vt ortus & interitus: aliæ quantitatis sunt, vt accretio, & diminutio: aliæ in qualitate versantur, vt candor & nigror: aliæ locorum spatia comprehenduut, vt ascensus, descensus, ac reuolutio. ex quo fit, vt mutationes viæ quædam sint ad categorias alia ad aliam perducentes: ipsæq; categorias non complent. nam mouere, & omnino mutare ad facere: moueri vero, atque omnino mutari ad pati redigetur. quam ob rem motus & mutationes, cum viæ quædam atque ortus ad categorias sint, ad eas, si oporteat, eo modo, quem exposuimus, redigentur.

DE SVBSTANTIA.

Substantia autem, quæ & proprie & primum, & maxime appellatur, ea est quæ nec de subiecto ullo dicitur, nec in subiecto ullo inest, ut quidam homo, quidam equus.

Cum dixerit, quæ ad categoriarū doctrinam pertinent, nosq; proxime minus accurate, & tanquam exemplis de categorijs ipsis docuerit, nunc ad exquisitam earundem explicationem aggreditur, ac prius de substantia verba facit: ea enim in categorijs primas tenet: quam ob rem cæteris eam merito præposuit: siquidem hæc simul cum alijs infertur: nam si quoduis ex accidentibus sit, substantia etiam, cui accidit, erit omnino. ipsa vero reliquas non introducit: propterea quod etiam si substantia sit, non omnino etiam erunt singula accidentia: itemq; ipsa sublata tollit cæteras categorias, ab illisq; non tollitur. at quæ simul tollunt, nec simul tolluntur, & quę illata non inferunt, prima esse naturæ ordine planum est: quocirca substantia ordine natura est prior cæteris. Præterea, res partim per se, partim in ipso, partim circa illud sunt: per se, vt ipsa substātia, in ipso vero, vt quale, & quantum, quæ in substantia spectantur, circa illud sunt cætera septem. Præterea, substantia per se cohæret, nec alterius eget auxilio, vt sit: cæteræ in alijs manent: siquidem earum essentia in substantia est. nam si substantia sit, cæteras esse necesse est, at si ea non sit, cæteræ constare nullo modo possunt. Hæc porro substantia partim simplex est, partim composita. sex nanq; modis substantia dicitur, vel enim existentiam omnem declarat, quæ etiam in accidentibus dicitur, quæ quoniā cohærent & constant, etiam nomen substantiarum sibi adsciscunt: vel significat naturā, quæ nō in subiecto est, quæ opponitur accidentibus: hæc vero quæ non in subiecto est natura, vel simplex est, vel coniuncta: simplex alia est melior, quam composita; alia deterior: composita autem substantia est, vt homo, & quæ huiusmodi sunt: simplex, & præstantior, quam cōiuncta, vt Deus, angelus, mens, anima, & similia: simplex & quam composita deterior, materia prima, & forma. hic vero Aristoteles differit non de simplici, & quæ melior est, quam composita, cum non sit ei propositum de diuinis loqui, neque de simplici quæ est deterior, quam composita, cum nolit hic res naturales pertractare: sed de sola composita: quam esse vel primam, vel secundam dicit. primam appellat indiuiduam, secundā vero vniuersalem, quæ generibus, formisq; continetur. etenim, vt sæpissime dictum est nobis, non agit de ijs, quæ sunt, in eo, quod sint, sed in qua significatione vulgus loquendo singulas categorias efferat. Nunc vero si naturā rerum esset secutus, primam eam esse, quæ formarū ac generum est, dixisset, secundam, quæ est indiuiduorum: tanquam ea causa sit, hæc vero ab illa effecta: causa vero est effectis, & vniuersale particulari præstantior. Præterea, quæ naturæ ordine priora sunt, nobis sunt posteriora: quæq; nobis priora, eadem naturæ posteriora sunt. ergo quoniam ad eos, qui nuper introducuntur ad hoc studium, instituta est oratio, factum merito est, vt particularem, primam dixerit: quippe quæ sensui sit euidentior. secundam vero quæ in generibus ac formis est, nominauit. nos enim a particularibus ad vniuersalia perducimur, cum ratio sero in nobis eluceat. quocirca tanquam sententiam hanc non probans, nō dixit, quæ maxime, primum, & proprie est, sed appellatur: atque vt nostra clarior sit oratio, verba philosophi parumper omittemus, & dicemus hoc modo: substantia quæ maxime proprie, primum, ac maxime dicitur, est hæc, id est quæ vulgo dicitur. cum enim de sua sententia loquitur, non adhibet verbum dicitur, sed est. ea inquit, neque de subiecto aliquo dicitur, hoc est prædicatur, neq; in subiecto est vllo. non dixit autem, neque in subiecto vllo dicitur: quia hæc eius est sententia. porro notam fuisse Aristoteli substantiam intelligibilem, & quæ compositis præstantior est, plane docet in libris, qui metaphysica inscribūtur, & in iis, qui sunt de cælo, & in octauo physicorū, ubi docet, q̄ p se mouent, priora esse oportere, iis, q̄ mouent ab alio: & immobilia iis, q̄ perpetuo mouent. nisi.n. una esset immobilis causa eorū, q̄ semper mouent, pfecto illa manere nō possent, ut sempiterno motu agitarentur. hanc ipse & corporis expertem esse, & partibus & dimensione uacantem ostendit huiusmodi theoremate quodam. quod fortasse non erit incommodum, ut parūper digressi, commemoremus. hanc enim causam infinitaui constare ait. si ita est, etiam omnino uacat corpore: omne enim corpus, ut ipse sub finem octaui physicorum ostendit, uim habet terminatam. si enim infinita est, detur etiam infinitam esse. ergo quia corpus omne diuiduum est, id ipsum in tria, uerbi gratia, diuidamus. utrum autem unaquęque pars infinitam, an finitam habet potestatem? si infinitā, pars ęqualem habebit potestatem cum toto, quod absurdum est, & fieri non potest: si finitam, & ex finitis, planum est id esse compositum, & finitum omnino: atque etiam ita totius corporis potestas finita erit, & non infinita. nullum ergo corpus finitum, potestatem habet infinitam. nullum autem corpus est infinita magnitudo, quod ipse in physica acroasi non secus docuit: ex quo concluditur, nullum corpus infinitam potestatem habere. si id est, sequitur, ut quod infinitam potestatem habet, non sit corpus: quam ob rem prima substantia corporis expers est, cum sit etiam infinitę potestatis. ac non solum substantiam intelligibilem pręstantiorem compositis cognouit, sed eam etiam, quæ intelligentia comprehenditur, quæ διανοητικὴ nominatur, quod in posterioribus analyticis indicauit. ait enim, quam rationem sensus habēt ad ea, quę in sensus cadunt, eandem habere demonstrationē ad ea, quæ demonstrantur: idque uicissim intelligi posse, ut sensus ad demonstrationem affectus est, ita quę sensibus percipiuntur, ad ea, quæ demonstrantur. ergo si sensus deterior demonstratione est, propterea quod sensus in singulis rebus, demonstratio in uniuersis uersatur, etiam quæ sub sensum cadunt, erunt iis, quæ sub scientiam cadunt, deteriora. quam ob rem nouit non modo substantiam intelligibilē cōpositis potiorem, sed etiam eam, quæ intelligentia comprehenditur. at hoc loco, ut diximus, secundas uocat primas ob eam causam, quam sępissime attulimus. [Quę inquit, nec de subiecto ullo dicitur, nec in subiecto ullo inest.] Quęrunt quid causę sit, cur substantiam cæteris omnibus pręstantiorem, per negationem definierit: siquidem negationes minus esse honoratas, quam affirmationes censeamus. dicimus id contra in definitionibus contingere: quę cum negantes sunt, maius ornamentum & decus rei, quæ definitur, afferre solent. qua ratione fit, vt cum Deum volumus significare, nihil de ipso affirmemus, ut diuinus Plato auctor est, sed ad negationes accedimus. cum enim Socrates Timæum interrogaret, quid Deus sit, Plato Timęum respondentem facit, se quidem, quid non sit, nosse: quid uero sit, non nosse; neque

corpus,

corpus, inquit, esse, neque colorem, neque angelum, neque quicquam huius generis: sed hisce præstantiorem esse, cognoscere, quid uero sit, ignorare. quare huiusmodi definitiones quandoque rem definitam magis ornant, cum eam ab omnibus cæteris rebus inferioribus seiungant. in materia quoque explicanda solent definitionem negatione adhibere. aiunt enim eam, neque hominem esse, neque lapidē, neque ignem, neque corpus omnino. deterius uero quidpiam esse, quam hæc sint. ideo dicunt materiam dissimiliter Deo assimulari: similem esse, quia utrunque negatione cęterarum rerum significatur: dissimiliter, quia a Deo, qui est omnium rerum longe præstantissimus, negamus omnia; a materia uero, quia est omnium deterrima. Quærendū autem est, utrū hęc definitio substantiis intelligibilibus, ut angelis, ac similibus conueniat: ut dicere queamus hæc, neque in subiecto esse, neque de subiecto ullo dici: quæ sane uidetur conuenire: nos tamen non conuenire affirmamus. nam negationes, quæ in definitione sumptæ sunt, non solum sublationem, sed etiam positionem significant: quia ad distinctionem aliorum dicuntur. nam quod dixit, non in subiecto: quæ substantia est, ad distinctionem eius, quod in subiecto est, hoc est accidentis, adhibuit. quod uero addidit, non de subiecto, ad distinctionem eius, quod de subiecto dicitur, positum est. Vt enim lumen duplex est, alterum, quod distinguitur a tenebris, iis, quæ in aëre offunduntur; alterū, quod cum nulla re habet relationem, neque quicquam habet oppositum, ut lumen Solis, ita etiā negationes hoc loco, quandoque per se, & non ad alterius distinctionem dici: quandoque uero ad distinctionem contrariorum adhiberi affirmabimus. si igitur hoc in loco negationes ad distinctionē contrariorum sumptæ non sunt, quodammodo consentaneum esset, intelligibilibus substantiis definitionem conuenire: quippe quæ neque in ullo subiecto sint, neque de subiecto ullo dicantur. nunc uero cum ad distinctionem sumptæ negationes sint, profecto substantias particulares merito per definitionem dignitate augemus. ac cum non in subiecto eas dicimus, ab accidentibus separamus: cum non de subiecto, ab iis quæ dicuntur de subiecto. iam uero eis quoq; hac re dignitatem comparemus, ut dicamus eas, cęteris utilitatem usumque præstare: ac nullius esse indigentes: nam uniuersales indigent particularibus, ut de eis dicantur: hæ uero illarum operam non expetunt. at substantiis intelligibilibus nulla dignitas ex his rebus accedit. nihil enim magni allatum erit, si eas non esse in subiecto dixerimus, siquidem eis nullum accidens opponitur, cum nullo modo sint capaces accidentium. at quid de substantiis intelligibilibus loquor, quādo ne in anima quidem sola cōuenire queat definitio, cum eam a corporis affectione secretam & liberam, ac similem Deo factam, & mundanum bonum inspicientem contemplamur? at cum in ortu spectatur, estque corporibus innexa, tunc ei quidem definitio conueniet, quippe, quæ sit accidentibus subiecta: nam aut philosophiæ, aut grammaticæ, aut alij etiam scientiæ, quæ illi acciderunt, subiecta est. Duorum autem, quæ in definitione sumpta sunt, alterum natura, alterum doctrina prius est. cum enim substantia sit, & item accidens, & uniuersale, & particulare, naturę quidem ordine prior substantia est, quia ipsa cohæret per se, atque constat, illa uero essentiam suam habent in substantia. ducta autem ratione huius instituti, particulare prius est, ordine tamen naturæ uniuersale principem locum tenet. ergo eorum, quæ in definitione sumpta sunt, alterum ex rerum natura, alterum ex huius instituti intentione, primum est. Sed uide, ut non frustra, docuerit quid sit esse in subiecto, & dici de subiecto, propterea quod obscura fuisset definitio, si uoces, quæ ad eam explicandam adhibeantur, obscurę atque incognitę fuissent.

Secundæ autem substantiæ dicuntur species eæ, in quibus quæ primæ dicuntur, substantiæ insunt: itemque earum formarum genera, uelut quispiam homo, specie quidem hominis continetur: Speciei autem genus est animal. Hæ igitur secundæ substantiæ nominantur: ut homo, ut animal.

Quærendum uidetur hoc loco, quo diuisionis genere in explicanda substantia philosophus utatur. nam quæ diuiduntur, partim ut genera in species tribuuntur, ut animal in particeps rationis & expers: partim ut totum in partes, ut corpus in caput, manus, & pedes, ac reliqua: partim ut uox homonyma in uarias significationes, ut mus in marinum, & terrestrem: ergo nullo harum diuisionum genere utitur in substantia in primam & secundam partienda. Primū autem dicimus, eorum, quæ ut genera in species diuiduntur, non esse diuisionem: siquidem ex ea consequitur, sublata una specie, cæteras non adimi: ut homine adempto cætera animantia non tollentur, quæ animalis sunt species: at hic secunda substantia sublata, etiam simul prima tollitur. cum enim genus, speciesque non sit, sed, neque etiam erunt indiuidua. Præterea nulla species aliam speciem ex iis, quæ eadem diuisione uicissim diuiduntur, continet: cum neque homo contineat equum, si in duas species animal diducatur, neque item animal particeps rationis continet animal, quod expers rationis est: aut contra, si animalis in hæc sit facta diuisio, uerum ne ita quidem fieri diuisio potest, ut alterum altero contineatur: ut animalis alterum expers rationis est, alterum equus: quoniam equus quoque experte rationis continetur. neque enim quod continetur quasi ex altera parte ab eo quod continet, distinguitur. nam dicimus, animal partim expers, partim particeps rationis est: propterea quod cum hæc æqualem a genere absentiam nanciscantur, neutrū altero continetur. hic uero secunda substantia primam continet, cum species indiuidua complexu suo coërceat, ac multo etiam magis genus: non ergo substantiam in primam & secundam, ut genus in species diuisit. uerum neque ut totū in partes, easque aut similes inter se, aut dissimiles. neque enim in hac diuisione potest totum a partibus, sed partes a partibus uicissim distingui. neque enim dicimus, manus aliud est manus, aliud digitus: cum in manu etiam digitus cōprehendatur. at hic pars a toto distinguitur: quippe cum secunda quoque in prima concludatur. Præterea in diuisionibus eorum, quæ ut e dissimilibus constant partibus, totum suæ parti nomen non tribuit; ut in facie perspicuum est, cuius pars, ut os, non dicitur facies: hic uero utraque pars, nomine totius appellatur substantia. Præterea, quæ ut ex ęqualibus partibus facta diuiduntur, totius nomine uocantur, & eiusdem definitionem capiunt, ut in carne uidetur. Pari enim modo unaquęque carnis pars caro nominatur, & carnis definitione exponitur: at hic quamuis primæ & secundę commune sit nomen substantiæ, tamen non eadem est definitio. neque enim animalis, hominis, & Socratis eandem afferes definitionem: cum rerum singularum ne sit quidem definitio: hominis uero atq; animalis definitio esse potest. quibus quidem fit rebus ut substātia ut totū in partes, easq; neq; similes, neq; dissimiles, nō diuidat. uerū ne diuidit quidem, ut uox homonyma in uarias sui significationes. cum enim in hac diuisione idem nomē partibus tribuatur, rei tamen communitas non tribuitur: ut homo uerus, & homo depictus: in substantia tamē quædam communitas est inter primā & secundam, & item in definitione. nā non in subiecto esse, commune utrique est. quid igitur erit dicendum? an minime esse hoc loco diuisionem nobis traditam, sed solum ordinem quendam eorum, quæ connumerantur, perinde ac diceret quispiam, principia orationis partim elementa sunt, partim syllabæ, partim dictiones, partim nomina, partim uerba sunt. uel si quidē homines deinceps sederēt, hunc primum, illum secundum esse, dicat aliquis. hoc enim ad ordinem declarandum, nō ad diuisionem faciendam pertineret. [Secundæ inquit, substantiæ dicuntur species eæ, in quibus, quæ primæ dicuntur, substantiæ insunt.] Cur non dixit, secundæ substantiæ dicuntur species & genera in uniuersum, sed dixit, species eæ, in quibus, quæ primæ nominantur, substantię insunt? id summa cum diligentia factum dicimus. nam si genera & species dixisset, quia in aliis quoque categoriis & species, & genera sunt, ut in qualitate genus est color, species candor, & nigror: secundas substantias in accidentibus etiam esse existimare potuissemus. hoc ergo in causa fuit, cur non quasuis species, sed eas, in quibus primæ substantiæ inueniuntur, species dixerit. Est autem

scien-

sciendum hoc loeo, cum non de sua sententia loquatur, cum dixisse, dicuntur: secundæ inquit, substantiæ dicuntur: cum enim sententiam suam enunciat, non ait dicuntur, sed insunt: in quibus inquit, quę primæ dicuntur, substantiæ insunt. neque solum usus est uerbo dicuntur, in secundis substantiis, sed etiam in primis: substantiæ inquit, quæ primæ dicuntur. primas autem substantias in generibus ac speciebus, nt in magis uniuersalibus inesse ei probatur. quamuis & genera & species tanquam in indiuiduis insint, sumere possimus. sed cum ea sumimus, ut communitates, tum magis uniuersalia sunt: quippe quæ in se ipsas indiuidua cõplectantnr: cum uero in Platone, aut Socrate genus, aut speciem sumimus, tum ut elementa indiniduorum ea usurpãtes, in indiuiduis, ut partes toto contineri dicemus.

Perspicuum est autem ex iis quæ dicta sunt, eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse esse, & nomen de subiecto dici, & definitionem: vt homo de subiecto quopiam homine dicitur, & nomen etiam dicitur. Siquidem hominem, ad quempiam hominem accommodabis. Atque etiam hominis de aliquo homine dicetur definitio. Homo enim quispiã, & homo est, & animal. Ergo et nomen de subiecto dicetur, & definitio. At uero eorum quæ in subiecto continentur, permulta sunt, quorum neque nomen, neque definitio de re subiecta dicitur: nonnullorum nomen, nihil prohibeat dici de subiecto interdum, etiamsi non possit definitio. Veluti res candida cum sit in subiecto corpore, de subiecto dicitur: candidum enim corpus dicitur. At rei candidæ definitio nunquam de corpore dicetur. Cætera uero omnia uel de primis substantiis dicuntur, uel in iis subiectis sunt.

Hoc loco primam substantiam laudibus vul efferre, atque ostendere, eam iure & merito dictam esse, quæ primum, proprie, ac maxime nominetur: causa est, quia ipsa nullius indigens est eorum, quæ ipsam consequuntur: cætera uero, quæ post primam substantiam sunt, illius egent omnia: ac partim quidem, ut de ea dicantur, partim ut essentiam nanciscantur. hæc igitur est huius loci sententia. ipse uero, ut rem propositam confirmet, præsumit hæc, & ait, [Perspicuum est autem ex iis, quæ dicta sunt, eorum quę de subiecto dicuntur, necesse esse, & nomen de subiecto dici, & definitionem.] Sed ex quibusnam id est perspicuum? an inquam ex iis, quæ supra dicta sunt de iis, quę de subiecto dicuntur, cum ait, Cum alterum de altero dicitur, ut de subiecto, quæcunqne de prædicato dicuntur, eadem de subiecto dicentur omnia. nam cum summis afficere laudibus primam substantiam, ut dixi, uelit, ante sumit hæc, quę dicuntur de subiecto, ea & nomen & definitionem subiectis tribuere: quæ uero in subiectis sunt, in eis quidem habere essentiam, uerum aut nomen solum subiectis, aut neque nomẽ, neque definitionem impertiri. ac de prima substantia dicuntur ea omnia, quę pręter ipsam sunt: ergo primę substantiæ usum prębent cęteris omnibus, quæ pręter ipsas sunt, tum ut enuncientur, tum ut sint. reliqua uero omnia, quę pręter primam substantiam sunt, quę de ea, ut de subiecto dicuntur, uel nomen ei, ac definitionem tribuunt, ut sunt genera & species. hæc enim synonyme de ipsa dicuntur: propterea quod eiusdem quoque nominis prima substantia particeps est, nt uniuersalis homo de Socrate dicitur: & nomen ac definitionem ei tradit, cum Socrates & homo, & animal nominetur, & horum definitionem sibi assumat, cum ipse quoque sit substantia animata sentiens: & animal particeps rationis, mortale. alia uero, quæ pręter substantiam sunt, hoc est accidentia, quę in prima substantia, ut in subiecto sunt, definitionem ei nunquam tribuunt, nomen quidem solum quandoque tradunt. candor enim in corpore est, & tamen corpori definitionem suam nunquam impertit. neque enim unquam dices corpus esse colorem, qui aspectum dissipet: dices quidem corpus esse, quod triplici dimensione constat, & capax eius coloris, qui aspectum dissipat. nomẽ ergo ei tribuit, quia corpus album dicimus: at id non semper facit: ut in uirtute perspicue uidetur, ea enim neque nomen, neque definitionem suam subiectis tribuit. neq; enim qui uirtutis particeps est, uirtuosus dicitur: sed uirtute pręditus. cæterum eorum, quæ nomen tribuunt, alia homonyme id tribuunt, quæ pauca sunt, alia paronyme. homonyme, ut grammatica mulier a grammatica, & musica, a musica: paronyme uero, quę quidem plerunque sunt, ut a fortitudine fortis, & a grammatica grammaticus, & a candore candidus, & quæ sunt generis eiusdem. [Cætera uero omnia inquit, uel de primis substantiis subiectis dicuntur.] recte adiunxit, dicuntur: neque enim uniuersalia indigẽt particularibus, ut constent, & subsistant, sed vt de eis enuncientur. [uel in iis, inquit, subiectis sunt.] recte etiã dixit, sunt: quia accidentia in particularibus substãtiis habent essentiã.

Quod perspici potest ex iis quæ singulatim proponũtur. ueluti animal de homine dicitur, de quopiam igitur etiam homine dicetur. Si enim de singulorum hominum nemine, ne de homine quidem dicetur omnino. Rursum inest color in corpore, ergo & in aliquo corpore. nam si in nullo est singulorum corporum, neque in uniuerso corpore. Ergo hoc iam apparet, reliqua omnia aut de subiectis primis substãtiis dici, aut in eis inesse subiectis. Quocirca sublatis primis substantiis, nihil loci relinquitur cæteris omnibus.

Quia uniuersali argumẽtatione probare non potuit, uult inductione confirmare cætera omnia, præter primam substantiam de ipsa subiecta dici, aut in ipsa subiecta esse. id uero ostendit, non in speciebus quidem, quas planum est de indiuiduis dici: cum etiam si proprium nobis non suppetat nomen, ipsa indiuidua nomina specierum appellemus, ut cum dicimus, uoca illũ hominem: sed id in generibus per medias species demonstrat. si enim probatum est, in iis quæ de aliquo, ut de subiecto dicuntur, quæcunque de prædicato ut de subiecto enunciantur, eadem de subiecto illius prędicati dici omnia, ac species de indiuiduo, ut de subiecto dicitur, genusque de specie dicitur, ita perspicue genus de indiuiduo dicetur: ut si de Socrate dicitur homo, de homine animal, etiã de Socrate animal dicetur. idem in accidẽtibus, ostendit: nec probat candorem, aut nigrorem inesse corporibus, siquidem id perspicuum est, sed colorem in corpore inesse. si enim constet, omnem colorem in corpore habere essentiam, etiam constabit, ipsum in singulis inesse corporibus. nam corpus simpliciter sumptum de singulis corporibus dicitur. ergo si color in corpore est, corpusq; de singulis corporibus dicitur, certe etiam color de singulis coloribus dicetur: propterea quod in omnibus iis, quæ de subiecto dicuntur, quæcunque de prædicato dicuntur, eadem quoque de subiecto dicentur. Sed cur dixit, inesse colorem in corpore, ergo & in aliquo corpore, ac si in nullo est singulorum corporum, neque in uniuerso corpore esse? quia proprie in particulari corpore sunt & uniuersalia alba & particularia. quod si dicas, quomodo ea discernemus? id quidem non sensibilibus, sed intelligibilibus quidẽ oculis consequemur. quid tum postea? erunt ne colores? nõ. uniuersalis enim qui tanquam perficit, ac complet, cum particulari colore non numeratur. nihil enim complẽs cum eo quod complctur, connumeratur. sicut enim homo qui pictura adumbratus est, & qui coloribus est distinctus, neq; pro duobus hominibus intelliguntur, neque is qui complet, connumeratur, sed alius communis est, qui est adumbratus; alius uero particularis, & uterque unus est, sic in homine uniuersali & Socrate usu uenit. Scire conuenit, ut pictor sua adumbratione primum facit hominem communem, deinde coloribus distinguit, & Socratem, aut Platonẽ facit, ita homo uniuersalis qui primus est, si formationem capiat, Socrates, Plato ue conficitur. natura enim absolute facit hominem, non Socratem, aut Platonem. quocirca si primæ inquit, substantiæ non sint, nihil loci relinquetur cæteris omnibus. Ergo inquit, iam apparet, reliqua omnia aut de subiectis primis substãtiis dici, aut in eis inesse subiectis. Viden, ut merito præsumpserit, quæ supra dixit, ut singulari præconio laudum primam substantiam ornaret? cum enim inquit omnia, quæ præter ipsam sunt, uel substantiæ uniuersales sint, uel accidentia, prima substantia, ut sæpe

dictũ

dictum eſt, quæ omnibus uſum præſtat, ſublata, ſecũ tollit omnia, quæcunque præter ipſam ſunt. ſublata enim prima ſubſtantia, accidentia eum non habeant, in quo conſiſtant, ſublata ſimul ſunt. ſimili quoque modo uniuerſalia cum nõ habeant, de quibus dicantur. dici autem uniuerſe de aliis affirmamus, non quæ ante multa ſunt, neque quæ ſunt in multis: ſiquidem hæc perſpicue ſimul cum primis ſubſtantiis adimuntur. neque enim ullum animal per ſe ſubſiſtit, quod neque homo, neque Plato, neque ullus ex ſingulis ſit hominibus. nam communia in multis & ſingulis conſiderãtur. hæc tamen de indiuiduis dici non conſueuerunt. nihil enim de ipſo dicitur: ac ſolum dici de indiuiduis quæ poſt multa ſunt, & ſola cogitatione comprehenduntur, conſueuerunt (nám in more hoc eſt noſtro poſitum, ut notio, quam de rebus habeamus, ea de illis dicatur) quæ ſublatis particularibus ſimul etiam tolluntur. nam ſi res non ſint, neq; etiã de ipſis conceptæ notiones conſtabunt. ergo ſublatis primis ſubſtantiis, neque etiam erunt uniuerſalia, neque item accidentia. ideo particulares ſubſtantiæ merito primæ nominantur. atque etiam recte hoc loco uerbum dicitur, in uniuerſalibus, & uerbum eſt, in accidentibus adhibuit.

Porro ſecundarũ ſubſtantiarũ ſpecies potius ſubſtantia eſt quam genus, quoniam ad primam ſubſtantiam propius accedit. Si enim quid ſit prima ſubſtantia quiſpiam explicet, planius id & aptius ſaciat uſus ſpecie, quam ſi genus adhibuiſſet. eſt enim magis propria ſpecies cuiuſpiam hominis: at genus, alienius. Item ſi quis quid ſit aliqua arborum ſingularum aperiat, apertius docebit, ſi arborem dicat eſſe, quam ſi plantam. Iam primæ ſubſtantiæ quia cæteris omnibus ſubiectæ ſunt, reliquaque omnia de eis dicuntur, aut in eis ſunt, idcirco maxime ſubſtantiæ primæ nominantur. Quam autem habent rationem ad cætera omnia primæ eſſentiæ, eandem habet ſpecies ad genus. Subiicitur enim generi ſpecies. quippe cum de ſpeciebus genera dicantur, nec ſpecies generibus ex hac parte reſpondeant. Ita fit etiam ex his, ut ſpecies magis, quam genus nomen obtineat ſubſtantiæ.

Comparationẽ quandã ſecundarũ ſubſtantiarũ, hoc eſt generis & ſpeciei, inter ſe facit, atq; ſpeciem potius eſſe ſubſtantiam, quam genus, id quod duobus argumentis probat: quorum alterum ab ea relatione qua ad primam ſubſtantiã affecta eſt, trahitur: quod inquam ad ipſam ſpecies propius accedit: alterum oritur a proportione. quod ergo ducitur a relatione ad primam ſubſtantiam in eo eſt poſitum, quod ſpecies ſit uicinior primæ ſubſtantiæ, hoc eſt indiuiduis, quã genus: quod uero ex proportione elicitur, quod quam rationem habet prima ſubſtantia ad ſpeciem, eandem habet ſpecies ad genus. ſi enim primam eam appellauimus, propterea quod omnibus iis, quæ poſt eam ſunt, uſum præbeat, ac quibuſdam ut ſint, quibuſdã ut dicantur, merito etiã ſpecies, quæ generi ad prædicandum ſubiicitur, potius ſubſtãtia, quam genus appellabitur. ſi enim ſpecies non ſit, genus non habebit, de quo dicatur, præſertim cum de indiuiduis quoque per ſpecies medias enuncietur. [Si enim inquit, quid ſit prima ſubſtantia quiſpiam explicat, planius id, & aptius faciet uſus ſpecie, quam ſi genus adhibuiſſet. Hoc argumentum ex relatione eſt, nam ſi, quid Socrates ſit, explicemus, recte quidem ſi hominem, ſique animal reſpondebimus, at aptius ſi hominem, quam ſi animal dicemus. ſi enim animal dicemus, non utrum ſit particeps, an expers rationis, neque ſi mortalis ſit, aut immortalis ſignificabimus: at hominem dicentes propius ad eius naturam explicandam acceſſimus: [eſt enim inquit, magis propria ſpecies alicuius hominis, at genus alienius.] Socratis enim magis proprium eſt, eſſe hominem, & eſſe animal, communius: quia id de aliis quoque multis formis dicitur. Præterea primæ ſubſtantiæ quia cæteris ſubiiciuntur omnibus, & reliqua omnia de eis dicuntur, aut in ipſis ſunt, ideo maxime primæ ſubſtantiæ uocantur. & quemadmodum ad cætera omnia affectæ ſunt primæ ſubſtantiæ, ſic & ſpecies ad genus. hoc ſecundum argumentum eſt, ex proportione deductum: [quam autem inquit, rationem habent ad cætera omnia primæ ſubſtantiæ, partim ſubiectæ, ut cætera ſint, partim ut de eis prædicentur, eandem ſpecies generi ſubiecta ad prædicandum, ad genus habet. ſubiicitur enim, inquit, generi ſpecies, quippe cum de ſpeciebus genera dicantur, ac genera ſpeciebus non ſubiiciuntur. quam ob rem ſpecies potius, quam genus, ſubſtantiæ merito uocantur.] Diligenter factum eſt, ut adiunxerit hæc uerba, cætera omnia de iis dicãtur, aut in iis ſint: propterea quod primæ ſubſtãtiæ ſubiiciuntur omnibus: uerum non ſimili modo: ſed aliis ad eſſentiam, ut accidentibus, aliis ad prædicationem, ut ſubſtantiis uniuerſalibus. Quærunt autem, quid cauſæ ſit, cur ſpeciem non appellarit ſecundam ſubſtantiam, & genus tertiã. dicimus Ariſtotelem una & eadem cauſa impulſum has ſecundas nominaſſe ſubſtantias, quia uidelicet, indigeant prima, ut de ea prædicentur. ideo alteram ipſarum noluiſſe afferre diuiſionem: ſed ſatis fore putaſſe, ſi ipſarum comparationem feciſſet: alteramque potius, alteram minus eſſe ſubſtantiam affirmauiſſet.

At uero ſpecies nulla earum quæ genera non ſunt, magis quam altera ſubſtantia eſt. Nemo enim cuiquam ſingulorum hominum, nomen hominis adhibebit aptius, quam bouis cuipiam boum ſingulorum. Similiterque in primis eſſentiis ac naturis, nihil magis aliud alio ſubſtantia eſt. Neque enim quiſquam ſingulorum hominum, uerius eſſentia eſt, quàm bos aliquis. Iure igitur poſt primas eſſentias ſola ex aliis ſpecies, & genera eſſentiæ ſecundæ nominãtur. Hæc enim ſola eorum quæ dicuntur, quæ uis ſit primæ ſubſtãtiæ explicant, atque declarant. Nã ſi quis uelit explicare quæ uis ſit & natura cuiuſpiam hominis, iſque uel ſpeciem afferat, uel genus, apte ille quidem fecerit: ſed multo planius, ſi hominem eſſe dicat, quam ſi animal, feciſſe uideatur. At ſi quid cæterorum omnium afferat, alienius id futurum eſt, & obſcurius: ut ſi candidum eum dicat, uel currere. aut aliud quiduis generis eiuſdẽ. Quapropter ex reliquis rebus omnibus, hæ ſolæ merito ſubſtantiæ uocantur. Præterea quoniam cæteris omnibus primæ ſubſtantiæ ſubiectæ ſunt, quoniamque reliqua de eis omnia dicuntur, uel inſunt in ipſis, ob eam cauſam principales dicuntur ſubſtantiæ. Quemadmodum autem ſunt ad cætera omnia primæ ſubſtantiæ, ſic & genera ſunt & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia: de his enim cætera omnia dicuntur. Vt enim quempiam hominem grammaticum dices, ſic & hominem grammaticum & animal: ſimiliterque in cæteris omnibus.

Cum ſubſtantias ab imo, hoc eſt ab indiuiduis ad ſpeciẽ, & ab ea ad genus progrediens diuiſerit, alteramque primã, ſecundam eſſe alteram dixerit, ac ſecundam eſſe tum potius, tum minus ſubſtãtiam, nunc eas in latitudine diſtribuit, atq; eas itidem comparat: ut ſpecies cum ſpecie, & indiuiduum cum indiuiduo conferatur. atque etiam recte dixit, ſpecies nulla earum, quæ genera non ſunt, ne ſpecierum quæ mediæ, & quæ ſpecialiſsimæ ſunt, fiat comparatio, ut hominis & animalis: cum eæ comparandæ inter ſe ſint, quæ eodem interuallo a generibus, aut indiuiduis diſtant; ut homo, & equus, aut bos. horum enim nullum magis, quam alterum, ſubſtantia eſt: ſiquidem a genere ſimiliter diſtent omnia. nã poſt animal, ſtatim expers rationis & particeps rationis collocantur: poſt quæ equus, ſi ita ſors ferat, & homo, & bos ſequuntur. ut enim de equo dicitur animal, ita etiam de homine, boueque dicetur. ſimili quoque modo planta de uite, & oliua, cum ſit proximum earum genus, ut equi & aliorum genus eſt animal. quam ob rem efficitur ut in his omnibus nihil magis unum, quam alterum ſubſtãtia ſit: ſiquidem proximum eorum genus æquali ſpatio ab omnibus diſiunctum eſt: & poſt ipſa ſtatim indiuidua locata ſunt. ſed neque etiam indiuidua magis alia aliis ſunt ſubſtantiæ. pari namque ratione omnia & ſpeciebus, & generibus ſubiecta ſunt, ut ſpecies ac genera de eis dicantur: & item accidentibus, ut in eis accidentia ſint. quam enim ra-

tionem

tionem habet vniuersalis homo ad aliquem hominem, eandem habet vniuersalis equus ad aliquẽ equum. nam vt si de Socrate dicatur homo, nihil dici poterit accõmodatius, ita etiã si de flauo equo equus dicatur, aut de argo, canis. atque hoc quidem loco planum est, Aristotelem de ijs rebus accõmodate ad vulgi sententiam docere. nullum enim indiuiduum magis, quam aliud, esse primam substantiam ait: sed & hanc formicam forte, & hoc astrum substantias æque esse. ac multitudo quoque hominum ita esse res singulas nouit. qua de re ipse quoque secutus uulgi sententiam, hæc substãtias similiter appellauit. Species, inquit, quæ non sunt genera, id est, quæ prope indiuidua sunt, & specialissimæ uocãtur: quia auis quoque est species. [Iure igitur, inquit, post primas substantias, species solæ, ac genera secundæ substãtiæ nominantur.] His uerbis causam affert, quare secundę substantiæ tum genera, tum species appellentur. neq; autẽ accidentia uocat tertias substantias: idque iterum dupliciter confirmat, tum ex relatione quam ad primam substantiam habent, tum ex proportione. ex relatione, quia si primas substantias exponamus, apte explicabimus solũ genus, aut speciem adhibentes. cum enim Socratem esse hominẽ, aut animal dicimus, apte & planius loquimur: si uero eum esse album, aut currere, ignotius, atque alienius. iure igitur fit, ut genera & species, quæ sola significant primas substantias, secundas substantias uocemus: accidentia uero nullo modo substantias appellemus, propterea quod primam substantiam non declarent. [Præterea, inquit, quoniam cęteris omnibus primæ substantiæ subiectæ sunt, ideo maxime propriæ substantiæ dicuntur.] Hoc secundum argumẽtum est ex proportione ductum. Scire conuenit primas substantias ob eam causam primas dici, quod indiuiduis accidentibus ad illorum subsistentiam, & substantiis uniuersalibus, ad prædicationem subiiciuntur. & quum rationem habent primæ substantiæ ad accidentia particularia, & substantias uniuersales, nam subiiciuntur accidentibus, uti illa subsistãt, & substantiis, ut illæ de primis dicantur, ita secundæ substantiæ, accidentibus in nouem generibus in uniuersum consideratis subiiciuntur: quod intelligi uoluit, cum dixit, [cæteris omnibus,] id est substantiis uniuersis, & item uniuersis accidentibus: omnino eandem habent species ad genera, & Indiuidua ad suas species, illa enim eis ad prædicandũ subiiciuntur. id ipse ait hoc modo, quem ad modum enim primę substantiæ cæteris quæ præter ipsas sunt, subiiciuntur omnibus, ita etiam secundæ accidentibus. ut enim dicimus Socratem philosophum esse, ita etiam hominem philosophum dicimus, & animal item philosophum. ex quo fit, ut secundæ ẽt substãtiæ subiiciãtur accidẽtibus, & ut accidẽtia de eis dicant: sed primo ac pcipue dicunt, ut ait Porphyrius, de indiuiduis, secũdo loco de generibus ac formis: sed ipsa substãtiis nunquã subiiciũtur, Id quoq; sciendũ est, eorũ q̃ de aliis dicuntur, alia secundum naturam, alia præter naturam, alia ex accidente dici: secundum naturam accidentia de substantiis dicuntur, ut Socrates est philosophus, aut caluus, aut simus, aut aliquid aliud huius generis. substantia enim accidentibus naturaliter subiici, & accidentia de ipsa dici consueuerunt. secundum naturam quoque uniuersalia de particularibus dicuntur, ut animal de Socrate: est enim sic natura comparatum, ut particularia subiiciantur uniuersalibus. præter naturam uero est dicendi ratio, cum contra facimus, id est, cum substantia de accidentibus dicitur: ut si quis dicat, hoc quod philosophia præditum est, Socrates est, aut quid huiusmodi. neque enim accidentia naturam nacta sunt, ut substantiis subiiciantur. præterea si particulare de uniuersali dicatur, ita quoque præter naturam erit, ut si dicas, homo hic est Socrates, uel color est cãdor. ex accidenti uero tum fit dicendi ratio, cum accidens de accidenti, aliud de alio, hoc est, cum id quod genere diuersum est, de alio, quod sit diuersi generis, dicitur. ut cum philosophum quod in Socrate est, de simo, uel de caluo, quod eidem inest, aut contra, dicitur: ut si quis ita loquatur, hoc simum est caluum; uel hoc philosophum est caluũ, uel si quid tale in eo sit. uocatur autem ex accidenti, quia cũ multa accidentia diuersi generis in uno & eodem subiecto inuenta sint, nec apta sint, ut alterum de altero dicatur, tamen propter relationem, quam ad subiectum habent, non propter mutuam cognationem, alterum dicatur de altero. neque enim simum natura aptum est, ut caluo subiiciatur: cum utrunque diuerso genere, ut illud quantitate, hoc qualitate contineatur. hanc autem dicendi rationem non appellamus præter naturam, quia ut accidens de accidenti dicatur, nullo modo natura comparatum est: ut uero uniuersale de particulari dicatur, est quidem natura attributum. ergo merito factum est, ut accidentia non tertiæ substantiæ nominentur, cum nulli ad subsistentiam subiiciantur: illud etiam, cum substantia de accidentibus dicitur, tum præter naturã esse eiusmodi rationem dicendi.

Hoc autem omni substantiæ commune est, non inesse in subiecto. Nam nec in subiecto prima substantia est, nec de subiecto ullo dicitur. de secundis etiam id perspicuum est, eas in nullo esse subiecto. Homo enim & si de subiecto quopiam homine dicitur; tamen in nullo subiecto inest. Neq; enim in quodam homine homo inest. Itemque animal de subiecto quopiam homine dicitur, quum interim animal in aliquo homine non insit. Iam uero eorum quæ in subiecto insunt, nihil impedit quo minus nomen illud quidem interdum de subiecto dicatur, sed tamẽ nũquam definitio potest. At secundarum substantiarum & definitio de subiecto & nomen dicitur. Hominis enim alicui homini conuenire dicas definitionem, itemq́ue animalis. Non igitur in iis quæ in subiecto insunt esse substantia ullo modo potest. Sed non est substantiæ hoc proprium: quin etiam sunt in iis, quæ insunt in subiecto, differentiæ. Nam gradiens & bipes de subiecto aliquo homine dicuntur, nec sunt in subiecto ullo. Neque enim in homine bipes inest, neque gradiens. Atq; etiam de eo differentiæ definitio, cuius est differentia, dicitur: ut si gradiens de homine dicatur, dicetur etiam de homine gradientis definitio. Est enim homo gradiens.

Substantiæ definitionem vult afferre: verum quoniã substantia genus generalissimum est, eius afferre definitionem non potest: causa est, quia definitio ex genere differentiisq; constat: substantiæ uero simplicis nullum inueniri genus potest, quia genus generalissimum, ut diximus, ipsa est, ideo fit, ut eius proprium nobis exponat: quod definitioni par esse uideatur. ut enim definitio uni soli, & toti conuenit ei, cuius definitio est, & reciprocatur cum re, cuius definitio est, ita etiam proprium ei soli, & toti conuenit, cuius est proprium, & uicissim retro commeat. hanc igitur ob causam vult substantiæ proprium exponere: sed primo loco non statuit ea, quæ ipsi probentur propria, uerum quæ quispiam esse propria suspicaretur, ut ne quis fortasse, hæc esse substantiæ propria, postea diceret. cumque propria uellet afferre, commune tradidit his uerbis, [Hoc autem omni substantiæ commune est, non esse in subiecto.] quid ergo dicẽdum est? nimirum duo in proprium cadere, ut ei cuius est proprium, & soli, & toti conueniat. ergo cum dixit, commune est, indicauit hoc omni substantiæ inesse: debet enim proprium & ei soli rei inesse, cuius proprium est, & itẽ omni. ut ridendi facultas & solis, & omnibus hominibus conuenit. hoc igitur omni substantiæ, inquit, commune est, nõ inesse in subiecto. ac primam quidem substantiam non esse in subiecto, ne probandum quidem censet: cum id ex ipsa sie euidentia perspicuum. nam Socrates in nullo alio habet essentiam. probat autem secundas substantias in subiecto nullo esse, id quod facit syllogismo, qui in secunda figura conficitur: secundæ substantiæ & nomen & definitionem subiecto tribuunt, quæ sunt in subiecto, neque definitionem, neque nomen solum tribuunt subiecto, ergo secundæ substantiæ in subiecto non sunt. [Sed non est, inquit, substantiæ hoc proprium, quin etiam sunt in iis, quæ non insunt in subiecto, differentiæ.] Proprium quod substantiis tribuerat, reiicit hoc loco, utpote quod non ei soli, sed etiam differentiis cõueniat. sed uidetur etiam his uerbis differentias a substantiis distinguere, & item eas substantiis adiungere. cum enim ait, hoc non esse substantiæ solius, sed etiam differentiarum proprium,

proprium, eas a substantia uidetur discernere: deinde cum addit, dici quidem de subiecto differentias, at non esse eas in subiecto, eas adnectere substantijs. nam quæ nõ in subiecto sunt, inquit, & nomen & definitionem impertiuntur ijs, de quibus subiectis dicuntur. & differentiæ sunt huiusmodi: nam & gradiens, & bipes, & particeps rationis non solum nomen suũ homini tribuunt, cum homo dicatur animal gradiens, particepsq; rationis & bipes; sed etiam definitionẽ, quocunq; modo quispiam horum definitionem singillatim proponat: ut uerbi causa, in homine sunt bipes, & gradiens, sed non ut accidentia: quoniam de homine & per definitionem & per nomen enunciantur. nam & hominẽ dices gradientem esse, & ei etiam gradientis definitionẽ tribues. est autem gradientis definitio hæc, quod cruribus super terra graditur, id uero proprium est eorũ, quæ de prima substantia substantialiter dicuntur: quã ob rem his uerbis uelle uidetur differentias esse substantias. quidam ad hæc respondent, aiuntq; tria esse differentiarum genera, quædam enim sunt magis substantiæ, quam accidentia, aliæ magis accidentia, quam substantiæ, aliæ mediũ quendam locum nactæ sunt, ut non satis liqueat, substantias ne, an accidentia uocare eas oporteat, ac potius substantiæ sunt, quam accidentia hæ, particeps rationis, expers rationis, & quæ sunt generis eiusdẽ potius enim substantiæ sunt, quia subiectas species cõplent, atq; perficiunt: sunt uero accidentia, quia in quæstione, qua quale quid sit quæritur, enunciantur nõ secus, quam accidentia. magis uero accidentia, quam substantiæ sunt, ut candor in olore, & in scytha, & nigror in coruo & æthiope. scytha enim & æthiops colore nigro, & albo, differunt. accidens uero est, quia adest, & abest sine rei, in qua situm est, interitu: pennis enim a coruo euulsis, nihilo minus coruus erit, atque etiam si scytham factum nigrum animo concipias, nihilo tamen minus & homo & scytha erit. Præterea uero quæ sunt huiusmodi, substantiæ esse quodammodo uidentur, quia toti speciei coruorum, & æthiopum nigror inest: itemq; candor oloribus, & scythis. qualitates uero elementorum mediæ fere sunt: ut calor, qui in igni est, & siccitas: & humor ac frigus in aqua. ut autem de his instituta tractatio, id est de differentijs, quæ in elementis sunt, clarior fiat, paulo altius orationem repetimus. Philosophi igitur aiunt primam materiem suapte ratione uacantem esse corpore, figura, & magnitudine, atque ab omni qualitate seiunctam, eam uero informem esse, plane probatur, quod formas omnes naturales ipsa capit. quemadmodum enim ligna, quæ in instrumentis faciendis, materiæ subeunt rationem, omni forma, quæ in ipsis instrumentis postea conspicitur, ipsa carent, cum neque sellæ, neque mensæ, neq; alterius cuiuspiam uasis formam habeant, ita materia, quæ fundamentum quoddam est, & receptaculum omnium formarum, quę in corporibus spectantur, nullam propriam formã habebit. hæc igitur per tres dimensiones in molem elata, facit ex Aristotelis sententia, secundum subiectum, hoc est corpus, qualitatum expers. cum enim per se cõstare qualitates non queant, quippe cum qualitas omnis in corpore habeat essentiã, opus eis fuit corpore, quod propria ratione qualitatum expers esset, in quo consisterent. huic igitur aliqua ex parte adiuncta sicca & calida qualitas, ignem fecit: aliqua etiam parte accedens frigida, & humida, aquam: tum uero sicca & frigida terrã, atq; etiam calida & humida aërem procreauit. non tamen ita dicimus, quod ullo unquã tempore uel materia fuerit uacans corpore re ipsa, uel corpus expers qualitatis, sed rite constitutum rerum generandarum ordinem contemplantes ita dicimus, & quæ suapte natura diuelli non possunt, nos cogitatione disiungimus. qualitates igitur, quæ ad corpus accedunt, id est, quæ secundo subiecto coniunguntur, in eo quod illi experti qualitatis additæ sunt, accidentia sunt: in eo uero, quod complent ignis, aquæ, & aliorum elementorum naturam, substantiæ. nam igni ut corpori, & calida & sicca qualitas accidit: sed ut igni, non iam hæc ei accidere, sed potius substantiam eius perficere dicuntur. quibus quidem fit rebus, ut mediæ quodam modo sint, neque magis substantię, quam accidentia censeantur. accidunt enim simplici corpori, hoc est quod trina fit dimensione: elementis uero substantialiter insunt, quippe quæ naturam ipsorum complent, atq; perficiunt. quoniam igitur inquiunt, non una est differentiarum forma, ut docuimus, Aristoteles in differentiarũ latitudinem uniuersam intuens, de eis neque ut de substantijs absolute, neq; ut de accidentibus locutus est. nos uero quid ad hęc dicemus? nimirum hos ingeniose quidem, sed tamen non omnino uere hæc ipsa excogitasse. nam si philosophus uoluisset differentias medias inter substantias & accidentia intercedere, profecto undecimam categoriam constitui ab eo oportuisset: quæ media inter substantias & accidentia fuisset: ad quam differẽtias retulisset. at si nulla præter illas decem est, & illarum una est substantia, cæterę uero accidentia, neque quicquam est inter medium, certe quæ sunt, aut substantias, aut accidentia & nihil medium esse, necesse est. sed differentias esse perspicue substantias, uel ex eo patet, quod formas complent, & de eis substantialiter dicuntur. nam si substantias complent, profecto substantias ipsas esse planum est: propterea quod accidentia substantiã non complent. Iam uero ipsi etiam Aristoteli probari, differentias esse substantias, planum est ex eis, quæ paulo post addit, quibus substantiarum partes eas uocat, cum ait, [Nec uero conturbare nos debent substantiarum partes.] & item paucis uersibus interiectis, [Omnia igitur inquit, quæ a substantijs & differentijs proficiscuntur, synonyme dicuntur.] Idem quoq; planum est ex ijs, quæ Porphyrius cõscripsit. is enim cum de eis ad Peripateticorum sententiam loquens, sic scriptum reliquit: differentia est, qua species superat genus: superat enim omnino propria parte: ergo pars est substantia, siquidem species etiam est. quam ob rem & Aristoteles & suis rationibus, & ijs quæ a Porphyrio ex Peripateticorum sententia allatæ sunt, uult differentias esse substantias. quomodo ergo ait, non esse hoc proprium substantiæ, sed etiam differentiarum, quasi differentiæ perspicue diuersæ a substantijs sint? dicimus igitur, ut in unitate, puncto, & nunc dictũ est, ea non esse ab Aristotele ad ullam adducta categoriam, quia ea uulgus ignoret, cum tamen ea ad quantitatẽ referre potuisset, atque ita dicere, quantitas est uel partem habens, uel non habens: quæ partem habet, uel deiuncta, uel coniuncta est: ueruntamen id non fecit, propterea quod, ut persæpe diximus, hoc loco non agit de iis quæ sunt, quia sint: sed ut de eis uulgus sentit: ita quoque nunc facit, qui cum sciat differentias esse substantias, eas tamen quia multitudini hominum non sunt cognitę, ad substantiam nõ redegit. si quis urgeat hoc modo, immo uero uulgo notæ sunt differentiæ, quippe cum uulgus hominem esse participem rationis, & mortalem dicat. respondemus uulgo notas esse differẽtias, non, ut simplices, uerbi gratia non nouit multitudo ipsam uim rationis per se, neque etiam uacuitatis rationis: sed earum notitiam habet, ut compositarum. animal enim particeps rationis, totum ut unum quid nouit: & animal expers rationis pari modo. ac nos etiam supra diximus, substantiã partim simplicem, partim compositã esse, ac simplicem partim præstantiorẽ esse corpore, partim deteriorem: sed Aristotelem de sola cõposita differere, quæ in generibus, & formis, & indiuiduis spectatur. atque ipse quidem substantias comparans inter se, sola genera, & species comparauit: & uero etiam indiuidua, quoniã de ijs solũ docere instituerat. differentiarũ uero nullam mẽtionem fecit, propterea quod simplices sunt. hac igitur de causa Aristoteles dixit, hoc nõ esse substantiæ proprium, non dixit tamen omnis absolutæ, sed compositæ: quia non solum conuenit compositæ substãtiæ, ut non sit in subiecto, sed etiam simplici, hoc est differentiis. cum enim supra tradita sit nobis, eorum quæ sunt, quadripartita diuisio, ad quam diuisionis partem differẽtiæ redigendæ sint, quæri potest. dicimus igitur, si differentias sumamus, quæ ante multa sunt, eas ad primam partem referendas esse, qua continebantur ea, quæ non in subiecto sunt, & de subiecto dicuntur: eæ namque uniuersales substantiæ sunt: si uero eas, quæ in multis sunt, primum dicemus, eas non appellari differentias, ut neque etiam animal quod in eis est, genus dicitur, nam si genus est quod de multis, iisq; specie differentibus dicitur, cum quid res sit, quæritur: & animal quod in Socrate est, non dicitur de multis, certe id genus nõ erit. eadem ratio est speciei, quæ in indiuiduo est, quæ non uocabitur species, præsertim cum species de multis, &

tis, & numero differentibus cum quid sit, quæritur, enunciatur. ita etiam particeps rationis, quod in Socrate est, nemo proprie loquens appellabit differentiam. quippe cum de differentia & de multis, & iis specie differentibus, in qualitate inuestigãda dicatur. & particeps rationis quod in indiuiduo est, de illo solo dicitur. ergo non erit differentia. sed hæc esse partes indiuiduorum confirmamus. ut enim genera & differentiæ sunt partes specierum, ita etiam animal, & particeps rationis quod in indiuiduo est, sunt indiuidui partes. quæ res facit, ut perinde atque indiuidua, sub definitionem non cadant. nam & ipse in libro de demonstratione ait, indiuiduorum non esse definitionem neque demonstrationem. si enim definitio ex genere & differentiis constat, in indiuiduis autem nec genus est, nec differentia, certe patet eorum non esse definitionem: sique non definitio, certe neque demonstratio: siquidem demonstrationes ex definitionibus fiunt. at si quis differentias quoque ipsas uocari censeat, nos non simpliciter illas quidem differentias, sed ut in indiuiduo, quibus hic homo ab hoc equo, & ab hoc angelo differt, appellabimus. quam ob rem eas ad quartam partem diuisionis redigemus, qua cõtinebantur, quæ neque de subiecto dicuntur, neque in subiecto ullo insunt, propterea quod substantiæ etiam sunt, quæ & indiuiduum complent, & sunt particulares: si quidem de nullo subiecto dicuntur.

Nec uero conturbare nos debent substantiarum partes, quod insint in subiectis rebus uniuersis, ne quando eas substantias negare cogamur. Nõ enim ita definiuimus ea quæ sunt in subiecto, Quæ ut partes inessent.

Quę res uidebatur Aristoteli dubitationem allatura, eam ipse præueniens in quæstionem adduxit, & explicauit. dubitaret enim quispiam, quoniam partes substantiarum in aliquo sunt (nam sunt in substantiis) & accidentia sunt in aliquo, ergo partes substantiarum esse accidentia: quod absurdum est. id ipse dissoluens ait, expositum esse, quomodo dictum sit, accidens esse in aliquo. id enim non tanquam pars subiecti in aliquo inest, sed ut sine illo constare non possit. at differentiæ usum toti præbent, ac subiectum complent, ipsumq; constituunt. quocirca & si cõmune habent, ut sint in aliquo, quoddã tñ discrimẽ in ipsis est, qđ hæ subiectũ cõplẽt, & separari ab ipso non possunt, hæ uero neq; cõpleant, neque semper simul insint. Quidam uero interpretes existimarunt, hæc uerba anteponenda esse iis, quæ de differentiis supra sunt dicta, cum Aristoteles ait, [Non est autem hoc proprium substantiæ, sed differentia quoque non in subiecto est.] oportebat enim, inquiunt, cum his uerbis ostendisset, nullam partem substantiæ in subiecto esse, differentia uero etiam substantię sit, ita postea addere, id non esse substantiæ proprium, non esse in subiecto, cum etiam conueniat differentiæ. An uero hic ordo probari etiam potest? cum enim probauisset, neque species, neque genera, neque differẽtias, quæ substantiarum partes sunt, in subiecto esse, oportet etiam in uniuerso concludere, nullam omnino aliã substantiæ partem in subiecto esse. uidetur autem uerba facere de partibus, non de manu uerbi gratia, nec de capite, nec de pedibus, sed de intelligibilibus: quæ re uera partes sunt, ut sunt particeps rationis, & mortale. si quidem hę sunt proprie ac uere partes hominis, cum ex eis homo constet. ergo de intelligibilibus, hoc est de rationis participe, & de mortali intelligit. partium enim quædam sensibiles, quædam intelligibiles sunt. de intelligibilibus nunc disserit. atq; hoc quidem præceptum uidetur opportuno loco & ordine collocatum. cum enim dixerit, non esse substantiæ propriũ, ut non sit in subiecto, quod etiam id conueniat differentiis, ne quis putet eum id dixisse, quia differentiæ non sint substantiæ, quæ tamen proprie substantiæ sunt, ideo adiunxit, [neque uero conturbare uos debẽt, substãtiæ partes, quod insint in subiectis rebus uniuersis.] esset enim hoc theorema huic loco minus accommodatum, nisi de partibus intelligibilibus uelle loqui Aristotelẽ ostendamus: quales sunt particeps rationis & mortale, quæ uere & proprie sunt hominis partes: quippe cum ex iis homo constet. [Non enim inquit, ita definiuimus ea quæ sunt in subiecto, quæ ut partes inessent.] hoc est, licet accidentia dicta sint in aliquo esse, non tamen ita dicta sunt, ut pars in toto inest. si enim quicquid in aliquo est, id in subiecto esset necessario, etiam partes substantiæ quæ in aliquo sunt, cum in toto sint, in subiecto essent, nunc uero cum esse in aliquo, latius pateat, sequitur, ut quod in aliquo est, partim in aliquo, ut in subiecto sit, partim, ut pars in toto, partim uero aliis etiam modis dicatur.

Hoc autem & essentiis ipsis et differentiis tributum est, ut quæ de eis dicuntur, synonyme dicantur omnia.

Primum substantiæ consequens refutauit, nunc ad alterũ transit, cum uere proprium substantiæ peruestiges: sed statim id quoque improbauit, id quod uel ex eo constat, quod differentias etiam adiunxit; ut id non solius substantiæ proprium esse pateret. primum autem ideo improbatum est, quod omni quidem substantiæ conueniret, sed non soli: hoc uero, quod neque soli, neque omni competere uideatur. nã in primum non cadit: cum illa non habeat, de quibus dicatur. sed nec soli inest, cum etiam insit differentiis.

Omnes enim quæ ex illis ducuntur dicendi rationes, aut de indiuiduis, aut de formis dicuntur. Ex prima enim substantia, quoniam de subiecto nullo dicitur, nulla dicendi ducitur ratio. At secundarum species de indiuiduis dicuntur, genus autem & de speciebus, & de indiuiduis. Itemque differentiæ de speciebus, indiuiduisque dicuntur: atque etiam primæ substantiæ specierum & generum definitionem sibi vendicant, & species illam generis. quæ enim de prædicato dicuntur, ea de subiecto dicuntur omnia. eodemque modo differentiarum definitio formis & indiuiduis accommodanda est. Synonima autem definita sunt ea, quorum nomen commune est, eademque definitio. Omnia igitur quæ a substantiis & differentiis proficiscũtur, synonyme dicũtur.

Docet primum de quibus substantia, differentiaque dicatur, deinde omnem dicendi rationem, quæ ab eis ducitur, synonymam esse ostendit. indiuidua autem de nullo subiecto dicuntur: species de indiuiduis, & genera de speciebus atque indiuiduis. eodemque modo differentiæ & de speciebus, & de indiuiduis dicuntur: hæque synonyme dicuntur de iis, de quibus enunciantur: Socrates enim & homo est, & animal particeps rationis mortale, & animal, & substãtia animata sentiens: sumit quoque & nomen & definitionem differentiarum, cum & particeps rationis dicatur, & eius definitionem capiat. est enim particeps rationis id, quod ratione utitur: quam definitionem Socrates quoque sibi adsciscit. simili quoque modo de specie genus & differentia synonyme dicuntur. est enim perspicuum, quæcunque de prædicato synonyme dicuntur, eadem etiam de subiecto dici. merito igitur cum genus & differentia de speciebus synonyme dicantur, etiam de indiuiduis, de quibus species, dicentur: species uero de solis indiuiduis, indiuidua de nullo, siquidem nihil eis subiectum est. Vide hoc loco, ut ei synonymorum utilis fuerit præceptio, id quod ipse etiam declarat his uerbis, synonyma autem definita sunt ea quorum nomen commune est, eademque definitio. iam ex his considera, quam aperte dicat differentias esse substãtias. si enim quæ in subiecto sunt, uel nomen solum tribuunt subiecto, uel neque nomen, neque definitionem, differentiæ uero synonyme de speciebus & indiuiduis dicuntur, ergo differentię substantiæ sunt, & non accidentia. habent id quæ substantialiter enunciantur, ut & nomen & definitionẽ subiectis impertiantur. quæ igitur causa fuit, ut cum supra eas a substantiis distinguere uideretur, deinceps eas substantiis ob eam, quam sæpe diximus causam, connectit? causa est, quia non est ei propositum hoc loco de omni substantia, sed de sola composita loqui, cuius habet uulgus cognitionem. uulgus enim non modo Socratem scit esse Socratem, sed & hominem esse scit & animal. atque in omnibus particularibus communiter hominis nomen enunciat: itemque in hominibus, equis, cæterisque animantibus, nomen animalis. non tamen rationis ipsius per se, uulgus non nouit: & quamuis particeps rationis dicat, tamen compositum cognoscit,

gnoscit: quippe cum hoc totum, animal particeps rationis cognitum habeat. Idem fit in eo, quod expers rationis est, & reliquis differentiis. quocirca non aperte dicit hoc loco differentias esse substantias, sed uult quidem eas esse substantias, ueruntamen suam hanc uoluntatem ubique cælat. non eiusmodi autem substantias censet esse, quales sunt compositæ, de quibus agit hoc in libro. ita etiam in physicis cum triplicem substantiam esse docuisset, eam quæ ex materia est, & formam quæ in materia est, non eam dico, quæ ante multa, aut in multis est, & tertio loco eam, quæ ex materia formaque coniunctis efficitur, hic de sola composita docet, non de materia, non de forma, quia de simplicibus non agit.

Omnis etiam substantia quiddã hoc uel illud significat. Ac in primis quidem essentiis non est id dubium, sed uerum est eas hoc quiddam significare, uel illud: præsertim cum indiuiduum, quodq; unum numero est, declaretur illis & exprimatur: secundæ autem uidentur illæ quidem similiter figura appellationis, hoc quippiam significare, cum dicitur, homo, uel animal: non tamen id uerum est, sed qualitatem potius significant. Neque enim res una subiecta est, qualis est prima substantia: quinetiam de multis homo animalq; dicuntur. Quanquam nõ omnino qualitatem significat more uocabuli albi. Nomen enim albi nisi qualitatẽ nihil significat omnino. At genus & species in substantia qualitatem esse explicant. Significant enim qualem esse aliquam substantiam. Sed genere quàm specie plura explicantur. quoniam qui nomen animalis profert, plura quàm is qui hominis complectitur.

Cum duo prima consequentia repudiauerit, non esse inquam in subiecto, & de subiectis dici synonyme, ad tertiũ proprium nunc transit, quod in eo positum est, ut doceat substantiam hoc quiddam significare: in quo uidemus, hoc, apud philosophum significare subiectum: demonstrationis enim est signum: itaque ipse in physicis materiem subiectũ uocat. utrunque enim definitum est, & hoc ut sub demonstrationem cadens, & materia, ut eadem manẽs omnibus iis, quæ in ipsa sunt, commutatis; siquidem lebes mutare formam potest, & statua fieri. at statua postea mutata figura, potest aliud quidpiam effici, cum tamen nihilo secius æs permaneat, ut etiam prius erat, antequam lebes, aut statua aut quid aliud, conficeretur. uocat ergo hoc, & materiem, subiecta. quod uero ait, quiddam, significat substantiam, quæ non de subiecto dicitur, quoniam permanet, nec alio aliquo eget, neque est in subiecto, sed ipsa subiectum est omnium, & est unitatis causa, id est, unum significat, ut hoc lignum, hic homo. ergo quiddam particulare significat: cumque ambo iuncta dicuntur, hoc quiddam, particulare subiectum indicant, hoc est substantiam indiuiduam, ut aliquem hominẽ, & hoc lignum: siquidem in iis semper Aristoteles hoc pronunciat, id est in indiuiduis quæ apparent, quæque sensibus percipiuntur: quæ cum hæc sola sint, quæ indicantur quæque solum subiecta sunt omnibus. nomen autem, tale, in infinito, atque uniuersali utitur. merito enim uniuersale rationem omniũ absolute obtinet. at Plato hoc quiddam in uniuersali sumpsit necessario, ut definitum, quẽadmodum in ideis fecit. eas enim & in subsistẽtia, & substãtias esse dixit: tale uero, in singulis rebus, quas ipse esse infinitas dixit, propterea quod non consistant, sed in fluxu, ac refluxu essentiam habeant. ambo autem aliter atque aliter capientes recte senserũt. cæterum Aristoteles hoc propriũ reiicit, quod licet solam substantiam, non omnem tamen comitetur: Species enim, inquit, & genera ut homo & animal, uidentur quidem hoc aliquid significare, propter unicam uocis figuram, sed potius multitudinem, & communitatem quandam, quæ multa comprehendit, & qualitatem significã: siquidem communionem, & particularium collectionem declarant. Existit autem hoc loco quæstio quædã, quomodo substantias significare dicat, & non esse, quia si substantia res est, res significantur, non aũt significant. dicimus, uocis esse, de re quandoque, & rem quandoque de uoce dici: idque propter mutuum ipsarum complexum. quandoque enim res munere uocum funguntur, non ut res significantur, sed prout ita sunt nominatæ: ut Socrates uisus in multitudine ab iis, qui eum perquirunt: quandoque uoces munere funguntur rerum, ut Socrates ambulat. non enim ambulat nomen hoc, Socrates, quia uox est, & uox non ambulat; sed res, cui tale impositum est nomen, ambulat. ita hoc loco propter complexum uocis, subiectum accepit uocis prędicationem, hoc est, significare: præsertim uero nũc, cum ei de uocibus significantibus propositum sit disserere: nam hoc esse Aristoteli propositum diximus, ut de uocibus & rebus, & animi conceptionibus dissereret. igitur substantia, ut uox, significat, & non significatur: propterea quod uoces significant ipsas res: ut res uero, significatur, & non significat: cum res a uocibus significentur: ipsæ uero alia non significant. ipsæ autem res per se, significant quidem res, & alicui parti orationis adiunctæ, ab ea potius significãtur. id quod hoc etiam loco fit: ut cum dixi Socrates, hoc nomine substantiam Socratis significaui: cum uero dixi, Socrates philosophus, aut Socrates ambulans, tum per philosophum, uel ambulans significatur potius nomen, quam ut significet. Hoc etiam animaduertendum est, Aristotelem appellare hoc quiddam substantiam indiuiduum; tale uero, uniuersalem. at Plato contra facit: nec tamen hi dissentiunt: cum utranque hoc quiddam appellare liceat: sed hoc quiddam significat substantiam definitam: tale uero, indefinitam. & in utraque & finitio, & infinitas inest. atque in indiuidua finitio est, unum numero: infinitas uero, ipsa mutatio, ut ne uox quidem de se ipsa remaneat, ex Heracliti sententia, qui perpetuam affectionem in iis quæ sunt, sitam esse uolebat: ut Socrates, quem ille in perpetuo fluxu, atque refluxu, ut cæteras res naturales, habere essentiam iudicabat: in substantia uero uniuersali finitio est uis immutabilis, ut uniuersalis hominis, & animalis: infinitas uero, errare per multitudinem. nam si dico, homo, omnes singillatim complector. Secundæ uero substantiæ propter figuram appellationis hoc quiddam uidẽtur significare, quia pronunciatæ in singulari, uidentur hoc quiddam indicare, ut cum dicimus, homo, uel animal, uerum non hoc aliquid, sed tale significant, hoc est similitudinem, qua homines, quia homines sint, similes inter se sunt, & item animalia in eo quod sint animalia, ita fit, ut cum uniuersalis homo multa indiuidua contineat, ideo quale quid potius significet. [Non tamẽ, inquit, id uerum est.] quia ex ignoratione, quod non omnis substantia hoc aliquid significet, fiunt falsæ conclusiones, quæ οὔτινες, id est non aliquæ nominantur, ut apud Homerum Vlysses, se οὔτιν, id est, non aliquem opportune nominauit. falsæ autem conclusionis ex non aliquo exemplum est huiusmodi, si aliquis Athenis est, hic non est Megaris: homo autem est Athenis, ergo homo non est Megaris: nam homo, hic est; neque quiddam significat. huic simile est, quod aiunt, quod ego sum, tu non es: ut enim aliquis significabat indiuiduam substantiam, sic ego: est ergo uitiosa conclusio in aliquis. nam quod dictum est, si quis, alter uniuersale conatur facere, quod falsum est, alter pro particulari usurpat: ac tum uera est oratio. nam aliquis homo, ut Socrates, uel alius de singulis, qui Athenis sit, Megaris non est, ne ipse a se ipso diuellatur. ita ergo dicendum est, quicunque Athenis est, hic non est Megaris, Socrates Athenis est, ergo nõ est Megaris. quam ob rem addidit ipse, Non tamen id uerum est: quia cum multa singularia sint, genus & species ipsorum similitudinem referunt. [Neque enim, inquit, res una subiecta est, qualis est prima substantia:] ut uox quæ formæ singularis sit, & ob eam causam de uno subiecto dici uideatur, hominem enim & animal dicimus, quæ secundæ substantiæ sunt, non homines & animalia. [quãquam inquit, nõ omnino qualitatem significat, ut album facit.] Communit ipsam qualitatem, propter accidentia. est enim in differentiis atque accidentibus qualitas. non dicit autem qualitatem, qualis in accidentibus est. illa enim & adiuncta, & abiuncta a subiecto, quicquam confert, aut nocet: at genera & species ea complẽt, quorum esse dicuntur, & de quibus dicuntur, & ut ipse ait, in substantia qualitatem esse explicant: id est talem, uel talem substantiam esse declarant,

& a cæteris disiungunt, eamq; confusam discernunt, integramq; cui sui substantię qualitatē essentialem conseruant. cum enim substantia corpus & non corpus contineat, hæcq; confusa sint, & non discreta, harum specierum diuisio qualitatem cuiusq; distinxit. cumq; corpus multas res complectatur, ut animatum, & inanime, distingunt quæ confusa sunt, & cuiusq; proprium determinat. cumq; animatum multa complexu suo coerceat, eius species unicuiq; suum propriū attribuunt. idem in cæteris fit. nam & animal & planta genera sunt eorum, quæ sub eis sunt: ipsaq; sub animato corpore continentur, & per se ipsa qualitatem substantialem suis speciebus determinant. Sed cum nunc dicat Aristoteles genera ac species qualitatem in substantia explicare, quomodo id tuebimur, quo dictum est, genera & species dici, cum quid res sit, quæratur? dicimus, quatenus ab eis differentiæ participantur, ac speciebus re ipsa, a generibus uero potestate, ut placet Peripateticis, uel etiam re ipsa, ut Platonici uolunt, in eo qualitatem in substantia determinare: siquidē differentiæ dicuntur in quæstione, qua quale quid sit, quæritur. Est quærendum hoc loco, quomodo substantiam dicat significare. ea enim potius significatur, quam significet. ad hoc respondemus, ut etiam sæpe diximus, propositum esse Aristoteli de uocibus, de rebus, deq; animi conceptionibus disserere. substantia igitur ut uox, significat, nec significatur: ut res, significatur, nec significat: res nanque a uocibus significantur: ipsę uero nō se se uicissim significant. ut enim nomina per se res significant, adiuncta uero alicui parti orationis ab illa potius significantur, ita etiam fit hoc loco. ut cum dico Socrates, ipso nomine substantiam Socratis significo: at cum dico, Socrates philosophus, aut Socrates ambulat, tum nomen potius significatur, quam significet, idque uel a philosopho, uel a uerbo ambulat: & non ipsum, sed potius aliud significat. ita quoq; hic fit, ipsa substantiæ res per se sumpta nihil quicquam significat. cum uero uoci coniuncta sit, tūc ab illa significatur. [Sed genere inquit, quam specie plura explicantur, quoniam qui nomē animalis profert, plura quam is, qui hominis, cōplectitur:] hoc est, quamuis omnis secunda substantia substantialem rerum explicat qualitatem, tamen genus magis uniuersalē, magisq; cōmunem, qualitatem, species uero magis particularem distinguit.

Iam hoc etiam substantijs insitum est, vt ipsis nihil sit contrarium. Nam primæ quidem substantiæ, vt cuipiam homini, vel cuipiam animali, quid contrarium esse possit? nihil enim eis repugnat. ne homini quidem aut animali. Sed hoc proprium non est substantiæ, quinetiam in plerisq; alijs rebus hoc cernitur, veluti in quantitate. Neque rei duorum cubitorum aut trium quicquam contrarium est, neque decem, nec cuiquam rei eiusdem generis. nisi forte dicat aliquis, multa paucis esse cōtraria, aut magna paruis. profecto certæ quantitatis nihil cuiquā rei est contrarium.

Cum tertium consequens quod soli quidem substantiæ conueniat, sed in totam non cadat, reiectum sit, nunc ad quartum philosophus aggreditur, ut nihil contrariū esse substantijs ostendat. nam Socrati inquit, aut cuipiā indiuiduo quid esse contrarium possit? sed nihil etiam cōtrarium est secundæ substantiæ: homini enim & animali quidnam cōtrarium est? at si quis dicat, an ignis aquæ, & terra aëri aduersatur? dicemus, hæc aduersari sibi ipsa, non quatenus substantiæ sunt, sed quatenus sunt informata qualitatibus. qualitas enim calida & sicca, quæ in igne est, frigidæ & humidæ, quæ est in aqua, repugnat. ergo substantiæ non pugnant inter se. hæc enim nō sunt omnino inter se contraria: cum neque in materia, neque in corpore, sed in solis qualitatibus sibi ipsa, aduersentur. Scire etiam conuenit, quod particeps rationis est, nō esse contrarium ei, quod est expers rationis. siue enim expers rationis sit negatio participis, negatio contrarium non est: siue potestatē affirmandi habeat, quæ speciem aliquam diuersam ab eo, quod particeps rationis est, declaret, ne ita quædam hæc contraria sunt: cum particeps rationis illud producat, & constituat. uerum neque ulla alia species est alij contraria: sed contraria in differentijs, & qualitatibus spectantur. fortasse etiam si quis rem ad uiuum referet, neque etiam in qualitatibus ignem aduersari aquæ dicemus. contraria enim in eodem subiecto uersantur, & inde mutua pugna inter ipsa exoritur, cum utrunq; summa diligentia occupare subiectum alterumq; deiicere nitatur. si ergo ignis calori, frigoriq; alternis non subiacet, neque etiam proprie calori, ut in igne est, quidpiam esse contrarium dicemus, si cōtraria, ut dicimus, circa idem subiectū pugnant. Hanc uero etiam quartam proprietatem refellit, tanquam non soli substantiæ conueniat: licet in omnem cadat. quantitati enim inquit, nihil est contrarium. neq; enim rei duorum cubitorum, neq; decem, contrarium quicquam est. his enim quid esse possit cōtrarium? neq; enim res quaternum cubitorum rei duorum est contraria: quippe cum contraria sibi uicissim interitum afferant: hic uero res quatuor cubitorum accretio est rei duorum cubitorum. [Nisi forte, inquit, dicat aliquis multa paucis, aut magna paruis esse contraria.]· atqui ne hæ quidem quantitates contrariæ sunt, propterea quod magnum ex multis paruis, & multum ex plerisque paucis constet: & paulo post ostendet hæc non esse quanta, sed potius eorum genere contineri, quæ cum alio conferuntur. uerum licet quis concedat quantitates esse, nihil tamen nostra intererit. nobis enim satis est ad probandum non soli substantiæ conuenire, ut nihil ei sit contrarium, si modo id inesse quantitatibus definitis ostendamus, appellant autem quantitates definitas, quæ determinatam aliquam quantitatem continent, quæ ad nihil aliud referatur: at magnum & paruum, & multum ac paucum, infinita sunt.

Præterea nō uidetur ad substantiam illud magis aut minus posse accedere. Quod non ita dictum uelim, quasi substantia alia, alia nec magis nec minus substantiæ nomen obtineat: hoc enim concessum est. Sed hoc uolo, nullā substantiam, id ipsum quod suapte natura est, nec magis, nec minus sibi uendicare. Veluti homo qui substantia est, profecto non magis quàm ipse, nec minus, nec alter altero, nomen substantiæ obtinebit. Neque enim alter altero nomen hominis magis obtinet, sicuti res alba alia, alia albior est, & minus alba: & honestum aliud alio honestius est, & minus honestum. Quinetiam idem seipsum magnitudine aliqua & exiguitate superare dicitur, ut corpus cum candidum sit hoc tempore magis quàm antea, albius uocatur: et quod calidum est, magis minusque calidum. At uero essentia nec magis, nec minus essentia nominatur. Neque enim homo nunc magis quàm antea nomen hominis obtinet, nec quicquam eorum quæ substantiæ appellantur. Quare nō patitur substantia illud magis aut minus sibi tribui.

Ad quintum consequens nunc accedit, ut doceat ad substantiam nec magis, nec minus accedere. uerbum autem uidetur, non significat fingere, sed quod persuadere aliter non queas, & quod deponi non potest. hoc uero proprium e superiore cōsequitur, & ex illo ortum est, quo dicebatur, substantiæ nihil esse contrarium: siquidem ut magis & minus dicatur, in iis situm est, in quibus sunt contraria. idque non absolute: propterea quod non omnia contraria illud magis minusque suscipiunt: sed ea solum, quę misceri inter se apta sunt. nam par & impar, quę contraria sunt, magis, minusque non dicuntur. causa est, quia misceri inter se non possunt. neque enim est par magis pari, neque impar impari: at album dicitur quidem magis album, quia nigro potest admisceri: quippe cum illud magis album dicatur, quod longiore spatio a nigro abest: minusque album, quod maiorem cū nigro mistionem consequitur: ipsumque se ipso magis albū appellatur. si enim nunc album quidpiam fit, fit albius, cum nigrum quod in eo mistum est, secernitur. similis est ratio cæterorum. si igitur non in omnibus contrariis magis, aut minus dicuntur, sed solum ea, quæ misceri inter se queunt, multo magis quæ nullo modo quid contrarium habent, magis minusque non dicentur. Sciendum est, contraria fines esse; magis uero & minus, uiam ad contraria. ipse uero cōtraria uocat album & nigrum, magis uero atque minus, albi mutationem in nigrum, aut nigri in album, quæ non repen-

te ac tota simul fiat, sed quæ uia quadam per accessionem vtatur, cum ex albo in nigrum fiat transformatio. ubi ergo cõtraria, ibi magis, minusq; dicũtur. ubi uero nõ sũt cõtraria, ibi nec magis, nec minus reperiuntur: & ubi magis & minus, illic cõtraria sunt: ubi deniq; non sunt magis & minus, ibi non sunt contraria: quia semper hæc quatuor inter se accidunt. uerum hæc, ex Platonis sententia, medium habere dicuntur, propterea quod natura e contrario in id qđ omni ex parte contrarium est, simul tota non transilit: sed uia quadam utitur, ut aliquid fiat minus album, tum etiam multo minus, atque ita denique nigrum: Aristoteles uero non omnia contraria, ut Platoni placuit, uult habere medium: sed quædam medio uacantia esse docuit, etsi ea duo tantum sunt, vt par impar, morbus sanitas: quorum etiam media esse, quidam affirmant, cum enim par in duo diuidatur, impar uero non diuidatur in duo, media erunt tria. pariter uero par numerus, qui usque ad unitatem bipartito secatur, ut triginta duo in sexdecim, & octo, & quatuor, & duo, & unum: & impariter par, qui multas pares sectiones capit, in imparem numerum definit, ut quadraginta octo in uigintiquatuor, & duodecim, & sex, tum in numerum imparem, tria, terminatur: & pariter impar, qui bipartito quidem distribuitur, sed statim eius partes sunt impares, ut decem octo in nouem, & nouem diuiduntur: paris ergo & imparis medij sunt, aiunt, ij, quos diximus, numeri. morbi uero & sanitatis conualescentia. at si substãtia nec magis nec minus dicitur, quomodo in libro, qui est de ortu, & interitu, ait aërem minus calidum, si igni comparetur? ignis enim est magis, quam aer, calidus, & aër, quam aqua, humidior, & aqua, quam terra, frigidior: & terra magis sicca, quam ignis: hæcque substantiæ sunt; uerum dici potest, has qualitates non ut substantias, magis minusque appellari: quælibet enim in subiecto proprio plurima est: ut uero accidentia, intenduntur, ac remittuntur. nam quod minus est, si in id, quod est magis, commutetur, speciem non interimet: at aër si mensuram ignei caloris accipiat, non aër permanebit. Scire etiam debemus, magis ac minus non in solis dici accidentibus, cum speciei commutationem non faciunt. uiuit enim magis mens, quam anima. neque etiam omnino magis & minus ex contrarij mistione efficiuntur. etsi enim anima immortalis est, minus tamen, quam mens uiuit: eruntq; hoc modo quatuor elementa composita, erit enim ignis humidus, utpote minus siccus, quam terra: & aqua arida, utpote minus humida, quam aër. eadem erit cæterorum elemẽtorum ratio. sed cum hæc ad formam redacta sint, sunt potius remissiones formarum: ut etiam Luna, quæ cum quintæ essentiæ ultima sit, quamuis non sit particeps eorum, quę sub ipsa continentur, tamen habet in se nescio quam dissimilis formæ faciem, quę in pleniluniis in medio ipsius apparet: & colorem carbonis specie, qui in eius defectionibus ex dissimilibus inter se particulis factus conspicitur. horum neutrum ex terræ mixtione efficitur, sed ex remissione luminis quintæ naturæ prouenit. [Quod nõ ita, inquit, dictum uelim, quasi substantia alia alia nec magis, nec minus substantiæ nomen obtineat.] quia supra dixit, primam magis esse substantiam, quam secundam his uerbis, Substantia autem, quæ & proprie, & primum, & maxime dicitur: & in secundis, dixit speciem magis quam genus substantiam esse, cum ait, Porro secundarum substantiarum species magis substãtia est, quam genus: merito dubitat, quo modo supra affirmarit substantiã aliã magis alia esse substantiã, nũc dicat, nõ uideri ad substãtiã magis & minus accedere: quam rem explicans ait, non eodem pacto intelligendum esse, quod illic magis & minus esse dixerit, hic uero non item. illic enim substantias ab imo ad summum locum comparabamus, & de ordine loquebamur, ac primam magis, quam secundam esse substantiam dictum est, quod ea esset uulgo notior: & ex secundis, speciem potius quam genus, quia species ad primam substantiam magis accedit, quam genus. hic uero collatio per latitudinem fit, itaque ait, indiuiduum non esse nec magis, nec minus substantiam, neque ipsum se ipso, neque aliud alio. Socratem enim nemo uel magis, uel minus se ipso, nec magis quam Platonem esse hominem dicet. immo nec species se ipsa, neque alia erit magis substantia, quam alia: ut equus non magis substantia est, quam homo. quod idem fit in generibus. hoc autem proprium, siue consequẽs toti quidem conuenit substantiæ, sed non tamen soli: siquidem quantitas non capit nec magis, nec minus: causa est, quia nihil habet contrarium: ac ne ipsum quidem par, neque impar, propterea quod misceri hæc inter se non possunt. Sed cur, ut in cæteris propriis pertractandis fecit, ita in hoc ad finem non dixit, id non esse substantiæ proprium, quandoquidem licet omni, ut ita dicam, substantiæ conueniat, non soli tamen tribuatur, aut soli quidem, sed non omni: cur inquam idem hic non fecit, & dixit, non esse hoc proprium substantiæ, licet omni conueniat: nam ad quantitatem nihil magis, & minus accedit? dicimus id omissum esse, quia ex ante dictis perspicuum sit. quoniam enim, ut diximus, consequentia sunt coniuncta, & ex eo quod res non habeat contraria plane consecutum est, nihil esse magis & minus, ac paulo ante ostendit, neque substantiæ, neque quantitati quicquam esse contrarium, nobis hoc concludendum, ac subaudiendum reliquit, non soli substantiæ, sed etiã quãtitati conuenire, ut neque magis, neque minus dicatur.

Sed hoc substantiæ est proprium maxime, una eademq; cum sit numero, uim habere accipiendi contraria. Vt cæterorum omnium quæ insint substantiæ nihil quisquam afferre possit, quod unum idemque manens contraria possit accipere. Vt color cum sit unus & idem numero, niger non dicitur, nec albus: neque eadem actio uitiosa & recta. Eadem est cæterorum omnium ratio, quæ substantiæ non uocantur. at substantia cum una & eadem numero sit, uim habet accipiendi contraria. Veluti unus idemque homo alias albus, alias est niger: interdum calidus, interdum frigidus: nonnunquam bonus, nonnunquam improbus: quod in cæteris omnibus non reperitur. Nisi forte aliquis occurrat, confirmans, contraria accipere & orationem posse et opinionem. uidetur enim eadem uera & falsa oratio: ut si uera est oratio, sedere aliquem cum is surrexerit, hæc ipsa oratio falsa erit. Eadem est ratio opinionis. si quis enim uere sedere aliquem sentiat, cum surrexerit, male existimabit, si eandem de eo habeat opinionem. Quod si cui hæc probabuntur, attamen ratione quadam magna est dissimilitudo. Nam substantiæ ipsæ mutatæ uim habent accipiendi contraria. cum enim ex calido quippiam fit frigidum, ipsum immutari solet; quoniam & quod nigrum est, ex albo commutatur, & bonum ex malo. Itemque cætera omnia commutatione accedente contraria accipiunt. At uero oratio & opinio, manent ipsa quidem immobiles omni ex parte: sed re ea quæ subiecta est immutata, in eis contraria nascuntur. Manet enim hæc eadem oratio. sedere aliquem: re uero mutata, interdum uera, interdum falsa est. Eadem est ratio opinionis. Quapropter hoc quidem pacto proprium erit substantiæ, immutatione sui ipsius accipere posse contraria. Quod si quis orationem & opinionem contraria accipere comprobet, profecto non uerum est. Neq; enim ex eo quod aliquid acceperint, contraria suscipere dicuntur oratio & opinio: sed quia in re alia aliqua affectio nata est. Nam quia res est aut non est, idcirco uera est aut falsa oratio, non quia possit ea accipere in se contraria. Omnino enim a nemine nec oratio mutatur, nec opinio. Nunquam igitur contraria accipient, nisi in eis aliqua affectio gignatur. At substantia quod contraria in ea sunt, ex eo uim habere dicitur accipiendi contraria. Nam & morbus in ea esse, & ualetudo potest, & candor, & nigror: quæ cum omnia in se accipiat, uim habere accipiendi contraria dicitur. Quare essentiæ hoc proprium est, uim habere accipiendi contraria, immutatione sui, cum unum & idem numero maneat. Ac de substantia quidem hactenus.

Est inquit, hoc substantiæ maxime proprium, ut cum una, eademque numero sit, uicissim capiendi contraria uim habeat. Hoc sextum consequens est, quod esse proprium substantiæ ait, & cæteris omnibus anteponit: ut cum una, eademque numero permanear, uim habeat accipiendi cōtraria. Socrates enim unus, atque idem manens quandoque calesit, quandoque frigesit: atque in cæteris qualitatibus, & item cæteris accidentibus eodem modo contingit. hoc soli substantiæ conuenit, sed non omni. nihil enim aliud præter substantiam, unum & idem numero permanens, capit contraria. iutelligo antem accidentia: quia quæ præter ipsam sunt, accidentia sunt omnia. accidens enim accidenti subiici non potest ad subsistentiam. nam neque album nigro, aut calido, neque quicquam huiusmodi aliis subiicitur. in aliis accidentibus est eadem ratio. ergo ipsa contraria non capiunt. igitur soli substantiæ id conuenit. at non omni: cum secundæ id nullo pacto sit tributum: propterea quod non proprie diceretur genus, nec species esse unum atque idem numero: cum unum numero proprie in indiuiduis consideretur. præterea licet unum illa essent, non tamen caperent contraria. neque enim corpus est, ut calorem frigusque, aut aliquid huius generis accipiat, similiter nec genus: sed hæc potius efficientia contrariorum, aut in contraria diuidi dicuntur: ut sunt mortale & immortale, particeps rationis, & expers. ac si quis diligentius intueatur, hæc ne contraria quidem erunt: quippe cum contraria sese mutuo corrūpant: hæc uero sese constituant potius, quam interimant. nam quod absolute particeps rationis, immortaleque est, bruta atque mortalia sustentat. si ergo non omni substantiæ conuenit, quid est, cur eius esse hoc maxime proprium dixerit? dicimus, ex sex quibusdā, quæ tanquam propria substantiæ tradita sunt, primum, quartum, & quintum omni substantiæ conuenire, sed non soli, ut non esse in subiecto, quod est etiam attributum differentiæ: & quartum nihil ei esse contrarium, quod quantitati quoque conueniebat: & quintum, ut nihil magis, minusque dicatur, quod etiam in quantitate reperitur. secundum uero, ut omnis ab ea ducta dicendi ratio synonyma esset, neque toti, neque soli inerat, quia neque primæ conueniebat, & differentiis inerat; tertium uero, hoc quiddam significare, & item sextum, vnum & idem numero manens vim habere ad contraria capienda, in solam, sed non omnem substantiam cadit. ergo ex quatuor nullum merito approbat, quia non in solam substantiam cadunt: nemo enim esse aliquid cuiuspiam proprium dixerit, quod licet toti subiecto adsit alij tamen insit: sed id potius, quod etsi non omni, tamen soli conueniat. sed cur ex duobus, id est tertio & sexto, ipse sextum potius putat: quia illud uidetur secundæ substantiæ solum uoce tenus conuenire, ut inquam, hoc quiddam significet, id est numerum singularem notet: hoc uero uidetur re etiam ipsa conuenire. quocirca, ut hoc sextum conuenire etiam secundis substantiis ostendamus, uerbis Aristotelis patum commutatis sic dicamus. maxime proprium substantiæ uidetur esse, ut indiuidua, quę sub eadem sunt, uim contraria capiendi uicissim habeant. hac enim ratione hoc proprium de omni substantia dicetur, & nulli categoriæ pterea conueniet. neque enim indiuidua quantitatis, ut decē exempli gratia, neque qualitatis, ut candor qui in hoc lapide inest, uicissim capax contrariorum est. additum uero est, uicissim: quia Socrates non simul albus, nigerque efficitur: neque simul ægrotat, & bene ualet. adiunctum quoque est, unam & eādem numero, quia etiam numerus capit contraria, ut par & impar: uerum non unus numero, sed unus specie: quandoquidem par & impar non consistit ut in numero, sed ut in materia, quæ in par & impar diuidi potest. nam lignum unius cubiti, & in par diuidi, & impar potest: & pares equi, si unus addatur, impares fient. corpus uero etiam si contraria capiat, ut candorem, & nigrorem, non tamen unū numero, sed specie unū est. uerū in ipsa Aristotelica dictione id ipsum, quod dicimus contēplemur. [sed hoc inquit, substantiæ est proprium maxime, una eademque cum sit numero, uim habere uicissim accipiendi contraria.] dicit unam numero, ut idem subiectum conseruetur: eandem uero, ne in subsistentia commutetur. color enim dum ex albo fit niger, in subsistentia commutatur: in eo enim, quod albus est, propriam subsistentiam habet: quare in nigrum commutatus, in subsistētia mutatus est. Socrates uero unus & idem manens, tum calidus, tum frigidus efficitur, idem quoque in aliis usu uenit. addidit postea, uim habere ad capienda contraria, ut doceat uim, qua prædita est, uicissim contraria capiendi. non enim dixit, eam capere contraria, quia in eadem re essent pugnantia, sed uim habere accipiendi, ut facultatem substantiæ insitam declararet. in aliis uero categoriis nihil tale conspicitur. sed dicet fortasse quispiam. quid? hic ne coruus candoris erit capax, & olor nigroris? quomodo ergo dixit substantiam esse capacē contrariorum? dicimus, si affirmasset omnem substantiam omnium contrariorum capacem esse, relictum esse dubitioni locum & in coruis, & in aliis sexcentis: cum neque cerussa unquam nigra fieret, dum cerussa permaneret: neque ignis permanens ignis posset frigus, aut humorem capere: neq; aqua, neque terra leuitatem. at ipse non dixit omnium cōtrariorum, uerum absolute contrariorum. quare licet coruus non capiat candorem & olor nigrorem, tamen & calorem & frigus, & alias contrarias qualitates capiunt. atque ignis quamuis neque frigus, neque calorem, neque quicquā eorum, quę sunt ei contraria, assumat; tamen id sumit, ut infra feratur per uim, cum sit ei natura comparatum, ut in sublime feratur. at quid dicemus de Sole, de Luna, & uno uerbo de corporibus cęlestibus? quodlibet enim horum cū unum, & idem numero sit, tamen non capit contraria: nisi quis hoc etiam loco cōtrarios motus ab ipsis capi uelit, quia motu feruntur cum uniuerso ab ortu, ipsa uero per se, contrario mouentur. atque etiam in septem uagis & errātibus sumi potest ab australibus ad aquilonales partes, & contra, ab iis ad australes transitus: & item id contrarium, quo a terra longius recedunt, & propius ad eam accedunt: & cōgressiones, ac digressiones. in Luna uero & eius illustrationes, & defectiones: ut sola sphæra inerrans non esse capax contrariorum uideatur. Præterea supra diximus, id quidē substantiæ conuenire, sed non tamen omni: cum neque generibus, neque formis, sed iis indiuiduis, quæ sub eis sunt, conueniat. unica uero neque generis, neque speciei cuiuspiam indiuidua sunt omnino, ut Sol, & Luna: & uero cælū prorsus est unicum: non refellitur ergo Aristotelis sententia, etiam si cælestia non sint apta ad accipienda contraria: quia non de omni substantia, sed de indiuiduis, quæ generibus & speciebus continentur, loquitur: & quia soli substantiæ, licet non omni hoc conuenit: & si ne cunctis quidē indiuiduis hoc conuenit, ut quidam putauerunt: quod cygnus colorem album non mutet. quanquam uero hanc oppositionē nō admittunt, aliam tamen, ut dictum est, capiūt, qua ex calidis in frigida, & ex siccis in humida, & uicissim contra mutantur. at secundæ substantiæ, quę immutabiles sunt, contraria non accipiunt. simili quoque modo cælestia, cum non mutentur, in eo quod talia sunt, non sumunt contraria. Dubitant nonnulli de uniuersali homine: quia si mutabilis erit, accipiet contraria, si non mutabilis, ergo Deus erit, quod absurdum est. dicimus eum per partes, ex quibus constituitur, ut animal, & particeps rationis, & mortale, immutabilem esse: nullus enim homo cum animal est, fit non animal: aut cum particeps est rationis, fit expers, aut cum mortalis est, immortalis efficitur: ita enim opinatus etiam est Plato, qui animam in qua ratio elucet, per substantiam, esse immutabilem: per actionem uero mutabilē affirmauit. [Nisi forte aliquis inquit, occurrat, confirmās contraria accipere & orationem posse & opinionem. uidetur enim eadem & uera & falsa oratio: ut si uera est oratio sedere aliquem, cum is surrexerit, hæc ipsa oratio falsa erit, eadem est ratio opinionis. si quis enim uere sedere aliquem opinetur, cum surrexerit, male opinabitur, si eandem de eo opinionem habeat.] Dubitationem ipse per se quandam in medium proponit, quę afferri ab alio poterat, eamq; ut fieri commodius potest, explicat. quærat enim fortasse aliquis, quomodo solius substātiæ proprium esse dictum sit, ut una & eadem numero uim habeat accipiendi contraria, ecce autem oratio quæ pronunciatur, & opinio, e quibus oratio tum quæ profertur, tum quæ animo concipitur, est quan-

quantitas, opinio uero est qualitas: quæ unæ eædemq; manentes ueritatis, falsitatisque capaces sunt. nam oratio, qua dicitur, Socrates sedet, si forte sedeat Socrates, uera est: cum ille surrexerit, eadem falsa oratio est. similis est ratio opinionis de Socrate sedente: si sedeat recte putat, qui sedere eum opinatur: cum surrexerit, idem male opinabitur. quocirca eadem oratio, eademque opinio unum & idem manens capiẽdi contraria, id est uerum & falsum, uim habẽt. dupliciter autem dubitationem dissoluit, per obsistentiam, quam ἀντιπαράστασιν uocant, & instantiam, quam ἔνστασιν nominant. est autem obsistentia: cum id quod in controuersiam adducitur, admittimus, ostendimus autem, quanquam res ita se habet, tamen nihil detrimenti afferri, ei, quod nos diximus: instantia uero est, non admittere id, quod in quęstionem sit reuocatum, sed quæstionem ipsam subuertimus, perinde ac non ita sit, ut proposita est. ac primum per obsistentiam explicat dubitationem hoc modo, [quod si cui inquit, hæc probabuntur, attamen ratione quadam magna est dissimilitudo. nam substantiæ ipsæ mutatę uim habẽt accipiendi contraria: cum enim ex calido quippiam fit frigidum, ipsum immutari solet: quoniam & quod nigrum est, ex albo commutatur, & bonum ex malo: itemque cætera omnia commutatione accedente contraria accipiunt: at uero oratio & opinio manent ipsæ quidem immobiles omni ex parte: sed re ea, quæ subiecta est, immutata, in eis contraria nascuntur:] licet inquit, concedamus contraria accipere orationem posse, non tamen eodem modo, quo substantia, contraria capiet. ipsa namque mota ex calida fit frigida, & ex alba fit nigra, & in cæteris contrariis eodem modo: at oratio immobilis permanens, eo quod res moueatur, uerum falsumque suscepit. nam cum Socrates sedeat, uera erit, quæ ipsum sedere dicat, oratio: cum ille surrexerit, falsa. ita Socrates est, qui mouetur, oratio uero immobilis manet. atque id quidem iure, ac merito: siquidem ueritas ac falsitas neque in orationibus solis, neque in rebus solis cernuntur: sed in orationum cum rebus conuenientia. ut enim calceatio neque in solo pede, neque in solo calceo, sed in concinnitate calcei ad pedem, spectatur, ita etiam ueritas in eo cernitur, quod oratio cum rebus conuenit. Eadem quoque de opinione dicemus: si quidem & ipsa immobilis manens, cum res mutata sit, uera, aut falsa dicitur. hoc igitur proprium substantię est modo quodam: cum alio modo substantia uim habeat accipiendi contraria, alio uero oratio, atque opinio. quod si quis admittat, inquit, orationem & opinionem accipere contraria, id uerum non erit: atque ita per obsistentiam dubitationem dissoluit: per instantiam uero ad hunc modum, [profecto, inquit, non uerum est:] id est, non uerum est dicere opinionem & orationem accipere contraria. [Omnino enim inquit, a nullo nec oratio mutatur, nec opinio, nunquam igitur contraria accipient, nisi in eis aliqua affectio gignatur.] substantia enim in accipiẽdis contrariis motu cietur, qui qualitati conuenit: neutra uero harum ab ullo cietur. neque enim oratio causa ẽ, ut res mutetur, & in contraria moueatur: neque res mota aliquid orationis commouit: si quidem eadem oratio immobilis permansit. nihil enim passa est. & tamen quæ contraria capiunt, patiuntur: cum mutatio in contraria sit affectio: quæque afficiuntur, ea mouentur. ipsa enim affectio motus est. si igitur oratio, quæ habetur, non manet, sed simul atque pronunciata est, ita interit, certe planum est, eam nõ moueri: quod enim non est, quomodo mouebitur? si non mouetur, neque etiam afficitur: si non afficitur, neque etiã accipit contraria. uerum eam denique orationem accipere contraria dicemus, quæ eadem specie, non numero sit: quod idem de opinione censebimus. [Quare inquit, substantiæ hoc proprium est, uim habere accipiendi contraria, immutatione sui, cum unum & idem numero maneat.] Cum probarit orationem non unam, & eandem manentem uim habere accipiendi contraria, nunc his uerbis hoc cadere in solam substantiam concludit. ac recte sane addidit, immutatione sui. opinio enim & oratio non sui immutatione, sed quia res commutatur, ideo suscipiunt contraria: ipsa uero substantia cum in qualitate mutatur, facta est apta ad cõtraria suscipienda. dixit uero unum numero, quia numerum ut materiam, & contraria hoc est par & impar in ipsa uersari, intelligere debemus.

DE QVANTITATE.

Quantorum autem aliud deiunctum est, aliud coniunctum: & partim ex partibus constant, quæ situm quendam inter se habent, partim ex iis quæ non habent.

Est autem Deiunctum, ut numerus, ut oratio. Continuũ, ut linea, extremitas, corpus, & præter ea locus & tempus. Nam numeri partium terminus communis nullus est, quo cum eius partes coniungantur. Velut si quinque sint partes decem, cum nullo communi termino quinq; & quinque coniuncta sunt, sed separata, neque tribus & septem ullus communis terminus accommodatur. nec possis omnino in numero communem vllum partium terminum reperire, secretæque sunt ac separatæ. ita numerus in eis est, quæ secreta sunt. Similis est ratio orationis. nam quantam esse orationem, ex hoc perspici potest, quòd syllaba breui lõgaque ponderatur. id quod de uocis oratione intellectum uolo. Partes enim eius cum nullo communi termino & fine coaptantur, quoniam terminus communis nullus est, quocum syllabæ cohæreant: uerum per se quæque secreta est. Linea autem continuata est. licet enim communem sumere terminum, punctum uidelicet, quocum eius partes coniungantur: & extremitatis lineam. nam plani partes, ad certum communem terminum omnes pertinent. Item in corpore potes reperire communem terminum, lineam, vel extremitatem, cum qua coniuncta sint partes corporis. Atque etiam locus & tempus sunt generis eiusdem. Nam & id tempus quod adest, quodque præsens est, cum præterito & futuro copulatur. Est & locus in iis quæ continuata sunt: locum enim certum corporis partes occupãt, quæ cum aliquo communi termino coaptantur. Loci ergo partes, quibus singulæ corporis partes continentur, cum eodem termino quocum corporis partes cohærent. Ita in continuatis est locus: quandoquidem ad certum communẽ terminum eius partes pertinent. Præterea alia ex partibus constant, quæ habent situm inter se, alia ex iis quæ non habent. ueluti lineæ partes situm certum tenent, quoniam unaquæq; alicubi sita est: potesq; ubi quæque sita sit in plano, explicare, quæque cum parte reliquarum omnium coaptetur. Itemque plani partes situm certum obtinent. Aeque enim doceri potest, ubi singulæ sitæ sunt, & quæ inter se aptæ. Eadem est ratio solidi corporis & loci partium. At uero in numero, quem eius partes inter se situm habeãt, aut ubi sitæ sint, aut quæ inter se uinctæ atque aptæ, docere nemo potest, ne temporis quidem. Pars enim nulla manet temporis. Quod autem non manet, qui situm certum habeat? quin potius ordinem certum id obtinere possis dicere, quia temporis pars alia prior, alia posterior est. Similiterque in numero, quod unum prius quàm duo, & duo ante quàm tria numerantur. Ita ordinem quendam certum obtinent, situm autem eorum nunquam certe possis reperire. Eadem est ratio orationis. Nulla enim eius pars manet, sed prolata & missa uox iam reuocari nullo modo potest. Non igitur situs ullus erit eius partium, siquidem nulla manet. Alia igitur ex partibus constant, quæ ipsæ in loco sitæ sunt, alia ex iis quæ non sunt.

Quæ causa fuerit, ut substantiam cæteris pręposuerit omnibus, nos iam ante declarauimus. nunc uero in categorijs secundas fert quantitas multis de causis. ac primum quidẽ, quoniam cum de substantia ageretur, quantitatis facta mentio est, cum diceret, non iam esse proprium substantiæ, ut ni-

hil ei contrarium esset, quippe cum id quoque in quantitatẽ caderet. ne igitur ignari diutius naturæ quãtitatis essemus, de ipsa nunc disputationem instituit. Deinde uero, quia in rerum natura secundum sibi locum quantitas uendicat. prima enim materia, ut sępe dictum est, uacans corpore, forma, atque figura primum in molem elata quantitatẽ nanciscitur, ac tres dimensiones capit, fitq; id quod trina dimensione cõstat, quod secundũ subiectum Aristoteles vocat. tum sumit qualitates, ac compositum efficitur, elementaq; conficit: ut eum id quod triplici dimensione præditum est, calorem & siccitatem accepit, fit ignis: cum frigus & humorem, aqua, & in cæteris pariter usus uenit. quare quantitas secundo loco in rebus merito collocatur: qualitati uero tertius locus tribuitur: quartum sibi adsciscunt ea, quæ cum aliquo conferuntur. nam quæ cum aliquo comparantur, sunt aliarum categoriarum relationes quædam. præterea sublatis cæteris, potes naturale corpus animo concipere, at trina dimensione sublata, ne corpus quidem animo concipies: locus uero, tempus & item cætera ab ijs auferuntur. tertia causa est, quoniam cum substantia in primam & secundam diuiditur, primum uero & secundum in numero spectatur, numerus uero qoantitatis est, iure post substantiã, de quantitate disserit. præterea quæstio de priori, ad quantitatem pertinet. præterea in corporis definitione quantitas adhibetur, quippe quod tripliciter dimensum dicatur: corpus autẽ substantia est, ac numerus est quantitatis. quibus quidem fit rebus, ut Aristoteles merito de quantitate secundo loco disserat. Diuidit autem quantum in coniunctũ & deiunctum. est uero coniunctum quantum quod partes copulatas & inter se coniunctas habet: deiunctum uero, quod contra affectum est, quod inquam, partes inter se distinctas habet. coniuncti quanti quinq; ait esse species, lineam, superficiem, corpus, locum, tempus: deiuncti, duas, numerum, & orationẽ: de quibus propter eos, qui non sunt geometricis initiati, nonnulla dicenda sunt nobis. Igitur scire conuenit, corpus uocari a geometris, quod tres habet dimensiones, longitudinem, latitudinem, & altitudinem. corpus aut finitum est, aut infinitum. non esse autem infinitum in physica auditione philosophus ostẽdit. ergo corpus omne finitum esse necesse est: siquidem nihil infinitum esse probatum est. quod finitum est, a fine terminatur: ergo finis diuersus est a re terminata: alioqui uel utrunq; finis nomine, uel utrunq; finitũ appellaremus. at si unum est finis, alterum res finita, idemq; est finis quod res quæ finitur, & non diuersum, certe id quod diximus, necessario consequetur. Vt enim Socrates, & eius imago quia diuersa sunt, non eadem sunt, propterea quod si essent eadem, uel ambo essent imago Socratis, uel ambo Socrates; ita in fine & re finita contingit, ut necesse sit non eadem esse, quia diuersa esse, inter omnes constet. Si ergo corpus tres habet dimensiones, huius finis tres nõ habebit: ergo uel duas, uel unam habebit: sed unam, nõ potest: cum una totum corpus nõ terminaret: quandoquidem quod terminatur, a suo fine debet extrinsecus determinari. quam ob rem corporis terminus debet totum corpus extrinsecus, intacta tamen altitudine, circumplecti. si ita se res habet, solum longitudinem & latitudinẽ corporis finis habebit. atq; ita una dimensione minor erit corpore, ne idem cum illo sit: hæc uero superficies appellatur, quę corpus terminat, idque & in longitudine, & in latitudine circumscribit. quoniã uero neque ipsa infinita superficies est, eiusq; terminus ut de corpore dictum est, una dimensione minor esse debet, efficitur, ut cum hæc latitudinem & longitudinem habeat, eius finis unicam habeat longitudinem. hæc uero est linea, quæ longitudo est latitudine uacans: ut eius etiam est definitio. cumq; linea quoque terminata sit, eadem ratione fit, ut eius terminus una dimensione ab ea superetur. quã ob rem cum ipsa unicam habeat, eius finis omni prorsus dimensione carebit, isq; erit punctus: quo fit, ut cum eum definitione explicat geometra, dicat punctum esse, cuius nulla pars est. quod uero non sit nostræ cogitationis figmentum, quod dicimus, longitudinẽ uacantem latitudine, sed in rerũ quoque natura inueniri, plane ostendunt illustrium locorum ab opacis distinctiones. ubi enim sol, uerbi gratia, in murũ radios miserit, eiusq; partem illustrarit, necesse est, quod locum illustratum ab opaco disterminat, esse solum longitudinẽ expertem latitudinis. nam si habeat latitudinem, id uel omnino lumine collustratũ, uel omnino tenebris obductum est: cum inter hæc nihil medium intercedat. uerum si illustratũ est, adiungetur illustrato, si opacum, opaco. sed enim linea intermedia perspicue conspicitur, quæ in solam longitudinẽ extenditur: quæ solum partem illuminatam ab opaca distinguit. si enim hæ partes distinctæ sunt, aliquid ab eis diuersum sit necesse est, quod eas disiungat, idque neque luce collustratum, neque tenebris obductum, neque latitudinem habens. nam quod illuminatum est, uel obscuratum necessario habet latitudinem. utriusq; uero distinctio neutrum horum est, quam ob rem conficitur omnino, ut illuminati atq; obscurati loci distinctio, sit longitudo uacans latitudine, quę linea est. Communis quoque usus duce natura habet lineæ notitiam, cum uias dimetimur: siquidem longitudinem solam sine latitudine sumimus: ipsiusq; superficiei notio habetur, quandoquidem cum agros metimur, longitudinis solum ac latitudinis ducimus rationem. & cum puteos, parietesq;, & ligna dimetimur, notio corporis exoritur, cum id cum longitudine, latitudine, atq; altitudine accipimus. Si ergo linea non est infinita, sed finita, necesse omnino est, ut eius finis ab ea per unam mensionem desit: cumq; lineæ unica dimensio sit, punctus, qui lineæ terminus est, omni dimensione carebit: ex quo factum est, ut geometræ ita definierint, ut punctum, cuius nulla pars est, esse dicant. atque ita quidem per resolutionem, hunc in eis esse ordinẽ, docuimus. idem nunc compositione comprobemus. punctus, si fluat, lineam faciet: perinde enim est principium lineæ, ac nunc temporis, ac momentũ motionis. qua de re Aristoteles recte censuit hæc sibi proportione uicissim respondere: hæc inquam, punctum, nunc, momentum. quam enim rationem punctus habet ad lineam, qui dimensione uacans principiũ lineæ est, eandem habet nunc ad tempus, & momentum ad motionẽ, quæ sunt initia dimensionis expertia earum rerum, quæ post ipsa consequuntur. linea uero in latitudinem ducta, superficiem creat: hæc uero in altitudinem extensa, corpus facit. atque hæc quidem, ut quid linea, quid superficies, quid corpus sit intelligamus, dicta sint nobis. cæterum hæc ipsa cõtinuata esse perspicuum est. nam & partes inter se coalescunt, & iunctæ sunt. at locus & tempus non sunt ex se continuata: ideo cum tria prima connumerasset lineam, superficiem, & corpus, quasi alio sumpto initio, addidit, & pręterea locus, & tempus: quasi illa ex se continuata sint, hæc nõ ex se: sed ob alias causas. tempus enim nihil est aliud, quã mensura motus, qui in cælesti globo cõficitur. diem autem esse dicimus solis ab ortu ad ortum rursus reditum: mensẽ, cum luna iterum ad idem signum redit, unde digressa est: cumque maiore spatio a sole distet, rursus ad idem signum cum ipso per longitudinem coiuerit. annum quoque non secus appellamus solis in orbe signifero circuitum. quare conficitur, tempus esse motus mensuram: motus uero in magnitudine fit: nullumque motum fieri in inani philosophus docuit. si enim inquit, uelit quispiam motum fieri in inani, nullam afferre poterit rationem, quam ob rem globosa corpora uelocius deorsum ferantur, quam quæ foliorũ speciem referant, etiam si par eorum sit moles: & itẽ alias plerasque probationes adiungit. quocirca cum hæc tria deinceps sint constituta, magnitudo, motus, tempus; ut affecta erit magnitudo, ita & motus: & ut motus, ita etiam erit tempus. nam si magnitudo erit continua, etiam motus qui in ea fit, continuus erit: si motus continuus, etiam tempus erit continuum. simili quoque modo si magnitudo disiuncta est, motus quoque & tempus erunt disiuncta: ut si in ligno motus fiat, si ligni partes discretæ sint, motus discretus fiet: si partes uinctæ, coniunctus itidem motus edetur. si ergo orbis cælestis continuus est, continuus etiam erit motus, qui ab ipso fit. atque etiam continuum est tempus: cum nihil aliud sit tempus, quam mensura motus, quia fiat in tempore. ita concludendum est, tempus non ex se, sed ex motu consequi, ut continuatum habeatur. motus uero id a corpore, in quo mouetur, acquirit: ita efficitur, tempus propter corpus esse continuum. ac ne locus quidem ex se continuus est. locus enim, ut iandiu dictum est, terminus

est,

est ambientis, quatenus ambit id, quod continetur: ut fictile locus est uini non per ipsum totum, sed per cauam eius superficiem. ut res quæ cõtinetur, affecta est, ita & locus erit. cum ergo corpus continuatum prorsus sit, & necessario io loco consistat, etiam locus erit cõtinuatus. ideo locus propter corpus quod in eo est, continuum erit. nam locus, vt diximus, est terminus ambientis. quatenus autem est terminus ambientis, non locus, sed superficies nominatur, & continuus est: quatenus vero ambit, locus vocatur: & ex eo quod continetur, id habet quatenus est, locus, vt sit continuatus. atque omnem etiam locum esse continuũ hinc sciri potest, quod si dolium rescindas, nihilq; vino foris subiicias, neque aërem, neq; vllum aliud corpus, certe pars illius vini, quod per scissurã apparet, noo esse in loco inuenietur: quod absonũ est: præsertim cum omne corpus in loco sit necessario. ita fit, has quinq; cõiunctæ quantitatis species esse. sed cur motum partibus coniunctæ quantitatis nõ adiunxit? ad hoc respondemus, motum esse nescio quid indefinitũ: quippe qui via sit ab eo quod potestate est, ad id, quod actu sit. quam ob rem eius nulla facta est mentio. præterea eũ omisit, quia ad eos disputatio hæc dirigitur, qui hisce primis rudimentis instituuntur: motus vero tractatio plura exigit, quam sint huius instituti. Vel potius dicendum est, motum non proprie quantitatem esse. est enim actio quædam eius, quod mouetur. quanam ego ratione alterationem, incrementum, ac diminutionẽ quantitatis nomine appellem? ut ergo generatio non est quantitas, ita neque etiam vllus motus. loci vero mutatio nõ est ipsa quoq; quantitas, sed actio quædam: & nõ per se, sed propter rem subiectam, in qua fit, continua est. quare, vt ante dicebam, mutationes dicendæ sunt viæ ad categorias, non categoriæ vocandæ: vel alia ad aliam, vt ibi diximus, redigenda est. tempus vero qui numerus est & mensura motus, proprie quantum appellabitur: siquidem & numerus, & mensura quantitatis sunt. est ergo tempus quantum, si continuum quoque corpus est. Quærunt, cur corpus inter quantitatis species numerarit, cum corpus substantia sit. dico, ut etiã supra docui, & qualitatem & quantitatem substantialẽ esse, vt in igni calor est substantialis qualitas, in corpore trina dimensio substantialis quantitas est: si quis igitur calorẽ ignis absolute, vt qualitatem, non vt ignem, considerarit, eum ad qualitatem referet: ita qui corpus ita considerant, vt absolute longitudinem, latitudinem, atq; altitudinem habet, hi non vt substantiam, sed vt speciem quantitatis spectabunt. Species autem deiunctæ quantitatis sunt, quemadmodum admonuimus, numerus, & oratio. nam oratio & quantitas est, & deiuncta quantitas. ac quantitas, quia longa, breuiq; syllaba ponderatur: deiuncta uero, quia syllaba quælibet propriã circumscriptionẽ habet: possumusq; una syllaba pronunciata, aliã silentio transire. Iam numerus quoque deiuncta quantitas est: siquidem eius singulæ unitates propriã circunscriptionem habent. cumq; ita diuiserit quanta, nunc eadem subdiuidit hoc modo. [Præterea alia inquit, ex partibus cõstant, quæ habẽt situm inter se, alia ex ijs, quæ nõ habent:] ex partibus vero situm inter se habentibus constant ea, quę alicubi sita sunt, & demonstrari possunt, & vniuersas partes simul cohærentes habent: vt lapis, qui situs alicubi est, vt in muro fortasse, & quia sub sensum cadit, ostendi potest: eiusq; partes omnes inter se cohærent. ergo ex partibus sitũ habentibus sunt corpus, & superficies, & linea, & item locus. quippe cum hæc omnia demonstrari possint, alicubi iaceant, & partes habeant omnes inter se conflatas. at oratio, & tempus demonstrari non queunt: propterea quod neq; sub sensum cadunt, neque partes habent cohærentes. tempus enim non totum simul constat, sed solum in ipso nunc. in eo enim quod protinus fit, atque corrumpitur, essentiam suam habet. uerum neque oratio tota simul constat, syllaba enim prolata noo expectat quæ dicenda sunt: sed interit ipsa prius, quam altera subsequatur. quod ergo non permanet, quomodo vllum situm habeat? in his dices potius ordinem quendam naturalem inesse, quia nunc fit prius, quam quod futurum est: non tamen contra: isq; ordo naturalis est, cum non vicissim retro cõmeat. noster vero ordo est, cum sine discrimine fit reciprocatio; vt cum a dextera ducentes initium, dexteram primam dicamus: cumq; a sinistra exordimur, sinistram primam vocamus. oratio autem naturali ordine prædita est. vocis enim oratio hanc primam, illam secundam habet syllabam. in numero quoq; ordo est. vnum enim prius, quam duo numeramus. sed quia duplex est numerus, alter in animo, qui numerans est, alter qui in rebus quæ numerantur, positus est, vt etiam sextarius est duplex, qui dimetitur, & quem dimensi sumus, certe numerus, qui in animo est, plane non constat ex ijs partibus, quæ situm habent: quandoquidem cum sit intelligibilis, eius partes nullum habent situm: numerus vero qui numeratus dicitur, vt est numerus decem equorum, ex partibus situm habentibus constat: quia eius partes alicubi sitæ sunt, & situm quendam habent inter se. idcirco dixit, situm certe nunquam possis reperire. non dixit, nullum situm, cum sciret alterum ex numeris ex partibus constare quæ situm habent, alterum ex ijs, quæ non habent. sed erit operæ pretium in ipsius verbis ea, quæ diximus, inuestigare. [Nam numeri partium inquit, terminus cõmunis nullus est, quo cum ejus partes coniungantur.] in numeri inquit, partibus nullus cõmunis terminus est, cum quo ejus partes aptentur. ac numerum quantum esse, ne ostendendum quidem putat. qui enim negat, numerum quantum esse, is nihil aliud ad quãtitatẽ pertinere censebit. at eũ esse deiunctum quantum, ostendit. non enim cõmunem inquit, habet terminũ, ad quem eius partes pertineant. nam denarium numerũ si in quinq; & quinq; diuidas, ea ambo disiuncta, & habere propriam circunscriptionẽ inueniemus. nam nulla vnitas est vtrisq; partibus coniuncta, quæ eis continuitatem sua ui largiatur. eadem ratio erit in numero septenario: quarta enim vnitas, neutra tria neque secum, neq; inter se copulat: sed ipsa quoque in sua circunscriptione consideratur. quare oumerus quantitas deiuncta est. sed & oratio disiuncta quantitas est ob eandem causam. neque enim orationis partes, id est syllabas conspicere possumus ab aliquo termino communi vinctas, sed singulæ circunscriptæ sunt, atque disiunctæ. intelligit autem orationem vocis: siquidẽ oratio alia est, quæ pronunciatur, alia quæ animo concipitur, & spectatur: ob eam causam declarat se de oratione intelligere, quæ voce exprimitur. quæ enim meote concipitur, ne prorsus quidem est quantitas: sed si quid est, certe est animi qualitas quædam, siquidem habitus vel affectio animi ẽst: habitus vero & affectiones sunt, vt videbimus, qualitates. anteposuit vero numerũ orationi, quia oratio numero ponderatur. [Linea autẽ inquit, continuata est. licet enim cõmunem sumere terminum, punctum uidelicet, quo cum eius partes cõiungãtur, & superficiei lineam.] merito quidem linea continua est: siquidem est longitudo vacans latitudine: quælibet enim eius pars alia cum alia copulatur, habetq; punctum communem terminum: punctus vero & partibus & dimensione vacat. iure ergo eius partes continuatæ, & sine dimensione sunt, atque inter se vinctæ. linea enim per punctum diuiditur, quatenus ille partes ipsius cõiungit. punctum vero, hoc est cõmunem terminum potestate, non actu capere par est: si enim actu sumpseris, tota linea nõ erit continuata. superficiei quoq; partes cõmuni termino, hoc est linea, coniunguntur. itaq; continuata superficies est: ipsa enim a linea diuiditur, lineaq; longitudo est vacans latitudine, quæ sua longitudine diuidit superficiem: cuius quidem partes latitudinis non habent dimensionem, propterea quod linea latitudinis dimensione caret. hoc etiam loco capienda linea est non actu, sed potestate. [Nam plani inquit partes ad certum cõmunem terminum omnes pertinent.] Veteres omnem absolute superficiem plani nomine appellant, pro vno vnũ uocantes. nihil enim apud ipsos interest, superficiem ne, an planum dicas. at recentiores nõ iam omnem superficiem appellant planum, sed eam solã quæ extensa est. norunt enim superficiem genus esse, hancq; in cylindricam, & sphæricam, & si qua est alia, distribuunt. [Item inquit in corpore potes reperire communem terminum, lineam ac superficiem, cum qua coniunctæ sint partes corporis.] nam partes corporis cum superficie cõmuni termino coniunguntur, & per hanc etiam cum linea. cum enim superficies partes corporis per altitudinem distribuat, ipsaq; omnino altitudinis dimensione uacet, partes quoq; corpo-

ris necessario inter se per superficiem sine dimensione copulantur. hoc etiam loco diuisionem per superficiem potestate intelligere debemus. quin etiam per superficiem partes corporis cum linea copulantur: siquidem linea effluens superficiem facit: quique corpus per superficiem diuidit, is a linea debet incipere, eamque uelut protrahens, superficiẽ constituere, & per eam diuidere quod subiectum sit. quocirca quia superficies per se totam secat corpus, necesse est, ut partes corporis cum fine superficiei, hoc est cum linea copulari. [Atque etiam inquit, locus & tempus sunt generis eiusdem, nam & id tempus, quod præsens est, cum præterito & futuro copulatur. est & locus in iis, quæ continuata sunt. locum enim certum corporis partes occupant, quæ cum aliquo communi termino coaptãtur.] si corpus habere partes coniunctas & continuatas ostensum sit, omneq; corpus per se totum in loco est, efficitur, ut locus, qui corpus continet, sit continuatus: si quidem nulla pars corporis non continetur loco. ergo quia corpus continuum est, locus etiam esse continuus probatur. [Præterea inquit, alia ex partibus constant, quæ habent situm inter se, alia ex iis quæ non habẽt.] Est animaduertendum in prima diuisione, tempus inter continuatas quantitates positum esse, ut lineam, superficiem, corpus, & locum, in hac uero ad eas adnumerari, quæ constant ex partibus situm non habentibus. quæ enim constant ex partibus situm habentibus, figurantur his tribus, ut sint alicubi, supra, infra: ut digito demonstrentur: ut partes unctas & iunctas habeant, hoc est, totas simul conflatas & cohærentes: quarum rerum nulla inest tẽpori. numerum quoque, quem prius in deiunctis quantitatibus statuerat, uidetur hic inter eas quodãmodo numerare, quæ ex partibus situm habentibus constant: sed de quo numero intelligendum sit, supra docuimus. quoniã inquit, unaquæque alicubi sita est, potesque ubi quæque sita sit in plano explicare: quaque cum parte reliquarum omnium coaptetur. quod ait ubi quæque sita sit, significat, quod digito demonstratur: quod addit, [quaque cum parte reliquarum omnium coaptetur,] significat sex aduerbia situm notãtia. sed cur quantitatem non diuisit in id quod habet ordinem, & quod non habet, sed in id quod constat ex partibus habentibus situm, & non habentibus? causa est: quia ordo in quantitate spectatur cum non solum in iis quæ situm habent, sed etiam in numero ordo cernatur: cum unum sit prius duobus: & in oratione, cum exordium sit prius narratione: & in tempore, cum prius præteritum sit, tum præsens, tum denique futurum,

Sed proprie quanta nominentur ea quæ diximus, improprie & casu cætera omnia. Hæc enim spectantes & intuentes, cætera quanta appellamus. Veluti multum album aliquid dicimus, quod extremitas magna sit: actionem & motionem diuturnam, quod multum interiectum sit temporis. Neque enim quicquam eorum per se quantum dicitur, ut si quis doceat quanta sit actio, eam tempore explicabit anni unius, aut sic quodammodo. Et qui res quàm sit alba exprimet, extremitatis ratione explicabit. Nam quàm longa est extremitas, tam album aliquid esse confirmauerit. Ita fit, ut sola ea quæ enumerata sunt, proprie quanta dicãtur, reliqua omnia non per se illa quidem, sed casu & fortuito.

Est hoc intelligentis uiri munus, non solum res, quæ sciẽtiæ, quam pertractat, subiectæ sunt, perscrutari, sed eas etiam, quæ ad illam pertinere uideantur, non tamen re uera pertineant, persequi, atque refellere. id quod Aristoteles facit: cum enim septem quãtitatis species numerasset, quinque continuæ, duas deiunctæ, non fuit iis contentus, sed utrum alia ad quantitatem referri possent, disquirendum putauit: cumque album & multum & paucum uideantur (multum enim & paucum sunt quantitatis) actionemque lõgam, & breuem dicamus, ait non proprie quanta nominari, sed ex accidenti. quia enim in quantis sunt, ideo ipsa quoque quanta dicuntur. nam cum album in superficie sit, cumque illa sit multa, uel pauca, ex hac transumptione album multum esse, aut paucum dicimus. eodemque modo actio ex accidenti diuturna, aut breuis nominatur. cum enim bellum Troianum uerbi gratia quodam tempore, ut decennio gestum est, nosque tempus diuturnum dicimus, idcirco actionem quæ diuturno tempore gesta sit, ex accidenti diuturnã uocamus. ita sit, ut sola ea, quę dicta sunt, proprie quanta uocentur: reliqua propter illa, quanta ex accidenti. [Et motionem diuturnam, inquit:] motio dicitur diuturna, quia multum interiectum est temporis, in quo sit motio. tempus enim est motionis mensura. appellamus enim mensem lunæ restitutionem, annum uero solis circuitum annuum in tẽpore. nam si rogetur quis quanta sit actio, tempus respondebit, ut decem annorum. & quanta sit superficies, tantũ esse album dices. si enim interrogemur, quantum sit album, dicemus fortasse, uel duorum esse cubitorum, uel triũ, quanta est ea, in quo album est, superficies: quocirca non album, sed superficiem multam, aut paucam nominamus: præsertim cum album quod in superficie unius cubiti sit, magis, quã quod in binis cubitis est, esse album queat, at tum non plus album albo, sed album magis albo esse albũ dicere solemus.

Iam quantis nihil contrarium est. Nam secretis perspicuum est nihil repugnare, ut rei trium aut duorum cubitorum, uel extremitati, neque ulli eorum quæ sunt generis eiusdem. Nihil enim eis contrarium est: nisi forte dicat aliquis & multa paucis, & magna paruis esse contraria. Atqui non sunt hæc in quantis, sed in ijs quæ cum aliquo comparantur. Nihil enim per se magnum aut paruum dicitur, sed quod cum alio comparatur, ut mons paruus, milium magnum: quia hoc maius sit omnibus iis quæ sunt eiusdem generis: ille, quia minor aliis eiusdem generis: Fit igitur cũ altero collatio. Nam si per se magna aut parua dicerentur, nunquam certe mons paruus, nec milium magnum uocaretur. Præterea in uico multos esse, Athenis paucos, cum sint multo plures, dicimus: & domi multos, in theatro paucos, cum sit multo maior numerus.

Cum quantitatẽ in partes distribuerit, quæque uere quantitates sint, & quæ ex accidenti, docuerit, nũc, ut in substãtia fecit, quantitatis proprium uult exponere: siquidem eius afferre definitionem ea de causa, quam ante diximus, non potuit: quod uidelicet generis generalissimi genus non inueniatur. nam ens non ut genus, dicitur de decem categoriis, ut in Porphyrii institutione declarauimus. si uero de aliqua loqueretur quantitate, ut de ea, quæ duorum cubitorum est, posset eius naturam definitione aperire, cum quãtitatem absolute pro genere adhiberet: nunc uero de quantitate absolute disserit, cuius generalissimum genus non reperitur, quo definitionem exponat. Quemadmodũ autem in tractanda substantia prius exposuit ea, quæ eius propria uidebantur, eaque refutauit, deinde quod uniuersum eius uere proprium declarauit, ita facit hoc loco: in quo prius refellit, quæ propria quantitatis putantur: tum quod uere eius sit proprium, tradit. In primis ergo uideri proprium quantitatis ait, ut nihil eis sit contrarium. nam secretæ, inquit, quantitati quid erit contrarium? ut rei duorum, aut trium cubitorum, aut superficiei, aut alicui aliorum consimilium. [Nihil enim, inquit, eis contrarium est, nisi quis forte dicat, & multa paucis, & magna paruis esse cõtraria.] Hic diligenter perpendit, utrum magna & parua, contraria sint, an uero sint prorsus quanta. in ea enim, quæ de substantia erat instituta, tractatione, cum horum solum mentio facta est, ipsa præteriit, atque esse contraria concessit. ac modo non esse quanta probat, sed genere contineri eorum, quę cum aliquo conferuntur. id quod dupliciter probat: & per instantiam, quod quanta non sint: & per inficiationẽ, quod licet esse quanta concedantur, non tamen sint contraria. ac primum per instantiam, ad hunc modum, [Atqui, inquit, nõ sunt hæc in quantis, sed in iis, quæ cum aliquo comparãtur. nihil enim per se magnum aut paruum dicitur, sed quod cũ aliquo cõparatur.] est enim proprium eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ut uno posito alterum inferatur: & altero sublato alterum adimatur. patre enim posito etiam filius statim intelligitur: & illo sublato, tollitur. ita etiam mul-

tum aliquid non per se multum dicitur, sed cum pauco comparatum. ita etiam paucum aliquid ad multi comparationẽ appellamus. idem in magnis & paruis contingit. utrunque enim cum alio confertur: neque quicquã horum per se definitam certamq; naturam habet: quod est uel ex eo perspicuum, quod ait, ut mons, paruus, milium magnum: & tamen si utrunque horum per se diceretur paruum, & non ad alterius comparationem, profecto nec mons paruus, nec milium magnum uocaretur. esset enim id ridiculũ. modo uero paruum montem cum alio minore comparantes appellamus: milium quoque magnum, cum maiore conferentes. Sic Athenis paucos esse homines, cum ipsam urbem secum, aut cum alia comparamus: in uico uero multos, cum tamen pauciores, quam Athenis, sint: idque facimus uicum alteri uico comparantes. quam ob rem uel dicendũ est, iunctam esse categoriam quantitatis cum ea, qua continentur quæ cum aliquo conferuntur: uel si distinctæ categoriæ sunt, hęc non ad quantitatem, sed potius ad ea, quæ cum aliquo conferuntur, redigentur.

Iam res duorum & res trium cubitorum, cæteraq; eiusdem generis, quantitatem significant: magna autem & parua non quantitatem significant, sed potius comparationem. Nam ex altero spectatur quod magnum est & quod paruum. Perspicuum est igitur, ea in ijs esse quæ cum aliquo comparantur.

Quod vere quantum est, id etiam significat, circa quantũ sit: ut hæc linea, & quanta est suapte natura; & circa quantum sit, significat: est enim uerbi gratia, vel duorũ, vel trium cubitorum. quam ob rem quę proprie quanta sunt, ea etiam circa quantum sint, declarant: at magna, parua, multa, pauca non habent definitam quantitatẽ, siquidem hæc infinita sunt omnia. quo circa ne quãta quidẽ sunt. Sed dicat quispiam, fortasse infinitum quantum non est. cum enim dixero continuum, aut numerum, aut lineam, aut tale aliquid, quantum quidem dixero, non tamen circa quantum sit, determinaro: vt cum dico tria, uel quinq;, uel rem duorum cubitorum, dico non eandem infinitatem in ijs, ut in magnis & paruis, multisq; & paucis, spectari. semper enim genera magis infinita sunt, quam proprię species. ergo cum animal dico, non ita subiectum determino, vt cum dico, hominẽ, aut equum. sed quoniam animal non est simpliciter vox homonyma, sed substantia quædã est, quæ multis cõmuniter conuenit, quod ab hac animalis uoce significatur, definiri potest, ac dici, esse substantiam, animatã, sensus participem. estq; natura quædam definita, quæ ab animali declaratur. ita etiam in ijs quæ proposita sunt. nomen enim continui cum latius pateat, est etiam magis infinitum, quam quantum definitum, ut quod trium est cubitorum: siquidem id est ibi indiuiduum, ut illic Socrates. ita etiam nomen numeri ad plura pertinet, quam tria, & quinq;, quæ indiuidua sunt. & tamen in his quoque aliquid est definitum, ut quod declaratur. est enim cõtinuũ, cuius partes cum termino quodam communi coaptantur: deiunctum vero quod non ita est. cumq; lineæ nomen pronuncio, magnitudinem vnius dimensionis, superficiem, duarum: corpus deniq; trium dico. hæcq; singula definita sunt, semper eodem modo se habentia, neque pro differenti relatione & affectione differentẽ naturam nanciscuntur, ut magna & parua, multa & pauca faciunt. nam si quis magnum dicat, uerbi gratia quod præstet alteri, atq; idcirco magnum montem Olympum esse dicat, tanquam ille Hymetum superet, tamen hunc ipsum Olympũ cum terra cõparans, tanquã ea minor sit, paruum dicet. ergo quod magnum esse dicitur, non est determinata quantitas, quemadmodũ unaquęq; quantitas earum quæ dictę sunt, non solum quanta res sit, sed etiam circa quantum sit, determinat: ut circa id quod unius dimensionis est, linea, uel duarum, ut superficies: uel quod in partium coniunctione spectatur, ut continuum, uel in partium disiunctione, ut deiunctum. Iam uero magna & parua in quantitatibus particularibus uersantur, vt in hac superficie, & multa, ut in hac linea, & hoc corpore: & pauca, ut in hoc numero: quo circa unumquodq; horum in quantis indiuiduis positum est. indiuidua autem quanta sunt, non solum quod quanta significent, sed etiam quod circa quantam rem unumquodq; eorum sit, declarent: ut circa tria, uel quinq;. ergo magna & parua non sunt quanta. quam ob rem hisce quoque exemplis usus est Aristoteles, cum dixit rem duorũ cubitorum, aut trium, & unumquodq; horum, hoc est indiuiduorum subsistentium, quantum declarate. si enim magnũ & paruum prorsus quantum est, profecto est omnino indiuiduum nominandum, si modo sit aliquid, ut dixi, absolute magnum: sed magnum esse in subsistentia dicimus: estq; magnitudo indiuidua: ergo si omne indiuiduum quanta res sit, definit; & magna, parua, multa, pauca, indiuidua sunt, & indefinita quædam sunt, ergo non sunt quanta. atque ita quidẽ per instantiam hæc quanta esse non concedit: per antiperistasin uero, ut concedat esse quanta, tamen nõ esse contraria ostendit: cuius rei initium ducitur inde, cum ait.

Præterea siue quis hæc ponat in quantis, siue non ponat, tamen nihil eis est contrarium. Quod enim non potest per se intelligi, cum aliquoque comparatur, qui potest ei quicquam esse contrarium?

Quod ait, habet hanc sententiam. contraria primum per se sunt, absolutamq; subsistentiam habent, deinde ita inter se bellum suscipiunt, ut album & nigrum. quæ cum prius quædam alia sint, quippe quæ sint qualitates, ita postea mutuum bellum ceperunt. quæ cum aliquo conferuntur hac re differunt a contrarijs, quod contraria primum per se sunt: cum liceat ei, qui album dicit, non assumere etiam nigrum: neq; etiam esse nigrum penitus, si album sit, & contra esse nigrũ, si non sit album: deinde inter se pugnant: quę uero cum aliquo conferuntur simul se mutuo creant, simulq; interimuntur. nam cum patrem dixi, filium quoq; simul introduxi: illo sublato, simul abit filius. cum ergo & magna & parua, & multa & pauca per se non sunt, neque constare possunt per se, sine affectione, qua cum aliquo comparantur, nõ esse contraria, sed ijs, quæ cum aliquo conferuntur, contineri planum est. diximus enim contraria esse, quæ ipsa per se suam habeant subsistentiam, tum ita mutuo inter se aduersentur.

Præterea si magna paruis contraria sunt, in eodem simul contraria erunt, & idem sibiipsi aduersum. Accidit enim, vt res eadem sit simul magna & parua. Est enim ad hanc parua, eadem magna ad alteram. Eadem igitur res eodem tempore & parua est & magna. Ita simul contraria accipit. Nihil autem simul contraria accipit. vt in substantia perspici potest: in qua cum esse cõtraria possint, tamen nulla simul in morbo est, & valet, nec alba & nigra simul est, nec aliud quicquam est in quo simul contraria esse possint. Atque etiam eadem res sibi ipsa aduersa erit. Si enim res magna parua contraria est, eadem etiam simul & magna & parua, certe eadem res sibi erit contraria. At fieri non potest, vt aliquid sibi sit contrarium. Non igitur sunt parua magnis contraria, nec multa paucis. Ex quibus efficitur, vt etiam si quis hæc non dicat in ijs esse quæ cum aliquo comparantur, sed in quantis, tamen eis nihil sit contrarium futurum.

Probat magna & parua, multa ac pauca uere contraria non esse ea probandi ratione, qua quis urgetur incõmodo. ait enim, si magna paruis cõtraria sunt, accidet, ut in eodem contraria eodem tempore sint: & magna ac parua, multaq; & pauca eadem erunt: ut milium ad fabam collatum, paruũ dicetur, cum sinapi comparatum, magnum: & qui Athenis sunt, si cum ijs conferas qui in uico sunt, multos: si cum ijs, qui sunt in tota Græcia, paucos dices. ita contraria eodem tempore capient, quod fieri nullo modo potest. substantia quidem capax contrariorum esse dicta est, nõ tamen eodem tempore. nunquam una & eadem res eodem tempore erit calida & frigida, alba & nigra. neque solum ait, contraria in eodem simul fore, sed etiam, ut idem sibi ipsi sit aduersum, accidet enim ut eadem res magna & parua, multa & pauca dicatur, quod absurdum est. & nihil eorum quæ sunt, sibi ipsum aduersatur. [non igitur inquit, parua magnis, nec multa paucis sunt contraria.] Posuit prius hæc esse contraria, & non esse quanta ostendit. deinde posuit esse quanta, & probauit nõ esse cõtraria. ac re uera neq; quanta sunt, neq;

contraria,

contraria, sed cum aliquo conferuntur. ac non esse quanta, per instantiã confirmauit, nõ esse aũt cõtraria, p antiparistasin. hæc ergo erunt, ut diximus, de numero eorũ, quæ cũ aliquo conferuntur, & essentiam suam in quantis habebunt. magna autem & parua proprie in continuis dicuntur, ut magnum corpus, & paruum, longum item & breue, & superficiem quoque, & alias species continuatæ quãtitatis magnas aut paruas, aut longas, aut breues proprie uocamus: multa uero & pauca in quantis deiunctis, & quæ situm non habẽt, ut de numero & tempore, quæ situm non habent, cum & multum, & parum tempus dicatur. similis est numeri ratio. ideo cum ipse quoque rem exemplo declarauit, magnũ ac paruum de monte, deque milio, quę quia sunt corpora, cõtinuæ sunt quantitatis, dixit; multum uero & parum de numero protulit, ut de hominibus qui Athenis, & de iis qui in uico sunt: quæ res ad deiunctam quantitatem pertinet. est enim numerus deiuncta quãtitas, sæpe uero etiam per abusum magna & parua de quantitate deiuncta proferimus, multa uero & pauca de continua. dicimus enim paruã esse Demosthenis orationem, aut magnam, quod ad unum & continuum ipsius institutum animum aduertamus, itaque magnam aut paruam dicimus, propter instituti oratoris cõtinuitatem atque unitatem. at nouem orationes eiusdem publicas non magnas diceremus: si quidem neque unũ neq; continuum earum institutũ est. sed neque etiã eas undecim quæ in Philippũ habitæ sunt: sed multas diceremus. aquã etiam multam dicimus, quæ continuata est. idque fortasse facimus, quod illa facile diuidatur. ac sæpe etiam uiam quæ continua est, quia in multa stadia diuiditur, uel quia eundo locus aliquis pedibus distinguatur, multã uocamus. Merito autem existit hoc loco quęstio, quo modo paulo ãte dixerit multa ac pauca quanta esse, cum dixit, Ita, fit, ut sola ea, quæ numerata sunt, quanta proprie dicantur, quæ sane proxime docuit, ut quinque continui species, ut lineã, superficiem, corpus, locum, tempus: & duas deiuncti, numerum & orationem: reliqua omnia ex accidenti. hęc enim spectantes & intuentes cætera quanta appellamus, ueluti multum album aliquid dicimus, quod superficies multa sit: quomodo inquam hæc prius dixit, ex quibus plane patet multum & parum dici quantitates, hic uero non quantitates esse, sed cum aliquo conferri ait. si enim hic uere docet non esse quanta, profecto male supra quanta esse statuit. quid ergo ad hæc dicunt? id inquam, quod nos sæpe diximus, quæ cum aliquo conferuntur, non habere naturam uere definitam, sed in aliis categoriis consistere: ac multa & pauca, magna & parua, duplum & simplum, & quæ sunt huiusce generis cum aliquo conferuntur, & in quantitate, & non in qualitate consistunt, ut candidius, dulcius, & grauius quæ cum aliquo comparantur, in qualitate subsistunt. ergo cum multum album aliquid dicimus, quoniam multum & paucũ cum aliquo conferuntur, & in quantitate, non in qualitate uersantur, hoc est non ea proprie nec per se dicimus quanta, sed quia superficies multa sit, ideo quanta dicuntur, quare fit, ut non affirmarit supra, multa & pauca esse per se quãta, sed cum aliquo conferri, & in quantitate consistere. neque etiam quanta dicenda sunt, nisi ex accidenti, cum id quod multum aut paucũ appelletur, in quantitate consistat.

Sed quantorum repugnantia in loco apparet maxime. Summum enim locum infimo contrarium ponunt, mediam regionem infimum locum appellantes, quod inter medium & mundi terminos longissimum interiectum sit internallũ. Atque etiam ex his ducunt cæterorum contrariorum definitionem. Contraria enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimum differunt.

Cum probarit magna & parua neque quantitates, neque contraria esse, ait, si quis prorsus in quantitate uelit contraria intueri, ei supra & infra capienda esse, quæ quia plurimum distant, ideo contrariorum definitionem suscipiunt: contraria enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimũ differunt, sed hoc ipse non probat: propterea quod re uera non sunt in rerum natura supra & infra: sed circum & medium, quæ non sunt contraria, sed ex iis, quæ cum aliquo conferuntur. nam circum est circa medium: infra uero & supra uolunt a sese spatio per diametrum abesse. terra enim ad uniuersi complexum medij instar obtinet, quod centrũ uocant, in qua grauia omnia feruntur. quo modo ergo terræ locũ, hoc est uniuersi cẽtrũ dicemus ignis loco, hoc est cauæ circumferentiæ lunaris globi contrarium esse? hæc enim non spatio uniuersi inter se distant. quocirca non plurimum differunt. plurimum nanque differunt, quæ toto diametro disiuncta sunt. ergo neque hæc, neque supra & infra contraria sunt, ut dixi, sed cum aliquo conferuntur; nam circum est circa medium. nisi forte quis ponat uniuersam terram infra esse, quod terra habitantibus sub pedibus sit, atque infra qualibet sui parte, cælum uero supra. sin quispiam ex terræ superficie uelit eam infra statuere, sphæram uero supra, id sequetur, ut eadem res & supra, & infra sit: superior enim terræ superficies, ut ad cælum collata, erit infra: ut uero ad inferiorem terræ superficiem, erit supra. imo uero utrunque hemisphærium supra & infra erit, cum pro motu diuerso uariet ac mutet uices. Sed nihil est, quod in se eadem in parte simul habeat contraria: ergo in rerum natura supra esse & infra proprie, non possunt: nisi, ut dixi, uniuersam terram quis infra statuat. sicut autem dicuntur supra & infra, ut culmen quod supra caput nostrum est, ad nos, supra est: ut uero ad ea, quæ supra culmen ipsum sunt, infra dicitur. [Mediam, inquit, regionem infimum locum appellantes, quod inter medium & mundi terminos lõgissimum interiectum sit interuallum.] qui uolunt, inquit, supra & infra in rerum natura esse, ideo terram infra esse asserunt, quod terra a quouis mundi termino per diametrum spatio distet. [Atque etiam, inquit, ex his ducere uidentur cæterorum contrariorum definitionem.] contraria enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimum differunt. quoniam suspicati sunt terram infra esse, hæcque ut ad singulos mundi terminos relata plurimo distat interuallo, hoc est spatio per diametrum, infra autem & supra contraria sunt, eaque ad unum genus quantitatis referuntur, illi ex his omnium contrariorum definitionem trahunt: & cõtraria esse dicunt, quæ in eodem genere differant plurimum.

Nec uero illud magis aut minus in quantis reperitur. ut res duorum cubitorũ non asciscit alia alia magis rei huius naturam atque rationem. Quod eodem modo iudicandum est de numero, ueluti tria non magis quam quinque trium aut quinque nomen obtinent, nec quinque potius quã tria: ne tempus quidem aliud alio magis aut minus temporis appellatur nomine. Quanta igitur illud magis aut minus respuunt.

Cum proprium quantitatis esse dixerit, nihil habere cõtrarium, idque omni quantitati conuenire probarit, non addidit, non esse hoc proprium quantitatis, quia conuenit etiam substantiæ, ut in substantia pertractanda fecit: sed hoc planum ex iis erat, quæ de substantia diserat. si enim illic dixit, non esse proprium substantiæ, nihil habere contrariũ, quia etiam conueniat quantitati, certe planum est, hic etiã non esse quantitatis proprium, quia in substantiam itidem cadat. quanta igitur nulla sunt capacia contrariorum. at uero si quanta capacia esse contrariorum dicenda sunt, fiet ut etiam in substantia diximus, ut nihil ei sit contrarium, sed facultatem habeat capiendi contraria: quid? aiunt: nonne crassum & tenue, latumque & angustum quanti sunt, & hæc sunt contraria? sed hæc dicimus non esse quanta, uerum in quantis habere essentiam, non secus, quam magna & parua. crassum enim id dicimus, cuius sit in profundo multa dimensio: latum cuius multa in latitudine: angustum & tenue cuius pauca & in profundo, & in latitudine dimensio est. ad summam quæcunque de magnis paruis, multisque & paucis diximus, ea huc transferri possunt omnia: nam & hæc cum aliquo cõferuntur. [Non uidetur inquit, illud magis & minus in quãtis esse.] Fit transitus ad aliud quanti proprium: aitque in eo nec magis, nec minus dici, atque id merito. dictum est autem, ubi contraria sunt, ibi etiam magis & minus reperiri, quæ ex contrariorum mixtione oriuntur. sed scire debemus, hoc proprium reiici, utpote quod sit quoq; sub-

substantiæ attributum: quam ob rem ad aliud propriû trâ-sit, his uerbis.

At quantorum maxime proprium est, paria aut imparia nominari, quanta enim quæ diximus omnia paria uel imparia uocantur; ut corpus par uel impar dicitur. Itemq; numerus & tempus par & impar. Similiterque singula, quæ dicta sunt, uel æqua uel non æqua dicuntur. Cætera uero quæ non sunt in quantis, non admodum æqualia uel inæqualia nominantur. Vt commutatio non admodum dicitur æqua uel non æqua, sed potius similis uel dissimilis: & res alba non fere æqua uel non æqua, sed similis uel dissimilis. Est igitur hoc quantorum maxime proprium, ut paria uel imparia dicantur.

Quod nunc affert, est quanti maxime proprium: propterea quod soli, & toti rei conuenit: linea enim lineæ æqualis & inæqualis dicitur: itemque locus loco, & superficies superficiei, & corpus corpori, & oratio orationi, denique numero numerus. si uero aliis in rebus æquale proferamus, non quidem per se, sed per accidens dicemus: ut hoc album corpus huic albo corpori equale esse dicimus: & inæquale eodem modo; non in eo, quod alba, sed quod corpora sint, quæ ad quantitatem pertinent. sed in his potius similia aut dissimilia proprie dicemus, cum in quod album est, ei, quod est album, simile aut dissimile appelletur: quod idem in cæteris quæ sunt generis eiusdem simili modo contingit.

DE IIS QVAE CVM ALIQVO CONFERVNTVR.

Ea autem cum aliquo conferuntur, quorum uis omnis & natura aliorum esse dicitur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur: ueluti maius quicquid ipsum est, id omne alteri tribuit. aliquo enim maius dicitur: & duplum, id ipsum quod est, ad alterum refertur, quoniam alicuius rei duplum est: itemque cætera omnia eiusdem generis. Sunt etiam hæc in iis quæ cum aliquo conferuntur, ut habitus, ut affectio, ut scientia, ut situs. Hæc enim omnia quicquid sunt, aliorum sunt, aut quomodocunque aliter cum altero conferuntur, ac nihil præterea. Nam & habitus, alicuius habitus dicitur: & scientia, alicuius scientia: & situs, rei cuiuspiam situs. Eadem est cæterorum omnium ratio. Sunt igitur quæ cum aliquo conferuntur ea, quorum uis omnis & natura alterius esse dicitur, uel quæ quoquo modo ad alterum referuntur: ut mons ad alterum magnus dicitur, quippe cum ad aliquid mons magnus nominetur. Quod simile est, alicui etiam simile dicitur, cæteraque omnia generis eiusdem eodem modo cum aliquo conferuntur.

Antequam loquamur de iis, quæ cum aliquo conferûtur, hæc quinque sunt nobis inuestiganda: primum quem ordinem ad categorias habeat, secundo causa inscriptionis querenda est: tertio dicendum quæ sit eorum subsistentia, quarto generis in species diuisio afferenda, postremo de genere docendi differemus. de ordine ergo primum dicendum: quid causæ fuit, cur post quâtitatem collocarit ea, quæ cum aliquo conferuntur, et non qualitatem, cum tamen qualitas formam quandam per se habeat, & consistentiam, hæc uero non habeant propriam consistentiam, sed in aliis categoriis sint: sunt enim præstantiora quæ per se constant, quam quæ in sola relatione consistunt: quippe cum aliquid prius esse per se oporteat, tum ita ad alterum relationem nancisci. Dicimus ergo, ut in quantitate fecit, cui secundum locum tribuit, quia in tractanda substantia, quantitatis erat facta mentio, ne diutius, quid quantitas esset, ignoraremus, ita & hoc loco idem eam seruauisse: vt, quoniam cum de quantis loqueretur, eorum, quæ cum aliquo conferuntur, mentionem fecit, cum ait, magna & parua, multa & pauca ex iis esse, quæ cum aliquo comparantur, ne nos ignari diu permaneremus, quænam sit eorum natura, de eis statim disputationem instituisse. Sed cur hunc indicem esse uolunt, De iis, quæ cum aliquo conferuntur, & non, De eo, quod cum aliquo confertur, ut in numero singulari esset? respondemus, quia cum aliquo conferri est quædam relatio, relatio uero ad minimum in duobus spectatur: ea de causa in numero multitudinis est factus index. nam dexterum est sinistri dexterum: neque quicque ipsum per se dextrum est: ac pater filii pater: & nemo est pater ipse per se, nisi filij pater dicatur. at in substantia potest, imo uero necesse ê, ut substantia una per se ipsa res sit, ut homo; & item in quâto, cum duorum cubitorum res per se quanta dici queat: Possunt autem res ipsæ, de iis quæ cum aliquo conferûtur, in numero multitudinis dici, ipsa uero categoria, hoc est ipsa relatio dici in singulari, de eo, quod cum alio confertur, ut de quanto, ac de cæteris dici solet; quippe qui non res inscriptione, sed naturam, quæ de eis communiter dicitur, significemus: præsertim cum relatio quamuis in multis sit, tamen una sit subiecto, ut semen & fructus: ut ascensus & descensus. serui enim ad dominum unica relatio est. quæ si a seruis initium ducat, seruitus, si a dominis, dominatus uocatur. simili quoque modo in doctore, & discipulo, & cæteris consimilibus. sed, uti diximus, ut ipse ostenderet categoriam eorum, quæ sunt ad aliquid, nunquam in una re constare, ideo inscriptio fuit de iis, quæ cum aliquo conferuntur. De eorum uero consistentia hæc dicenda sunt nobis. sunt qui dicant, nihil eorum quæ cum aliquo conferuntur, esse per naturam, sed hoc esse nostræ cogitationis figmentû. aiunt enim ea non esse natura, sed nostra impositione: siquidem fieri queat, ut quod dextrum est, sinistrum fiat, & pater etiam filius est, & seruus positione seruus (nemo enim natura seruus est) & idem etiam dominus alterius eadem ratione fieri potest. uerum hi non recte sentiunt. hæc enim perinde naturæ nota sunt, ut corporis partes in mutua quadam relatione considerantur. aliqua enim pars a natura a dextris collocata est, ut iecur, aliqua a sinistris, ut lien: ac neque vnquam iecur ad sinistram, neque lien ad dextram progredietur: sed si horum ordo commutetur, animal interibit. præterea Deus solus imperat, nos uero omnes solum illius subiecti sumus imperio: & animus solus & natura mouet corpus; corpus uero solum ab anima, naturaque mouetur, nec unquam eas uicissim mouet. quidam uero ab his omnino diuersi, omnes res cum aliquo conferri dixerunt: quorum longe princeps fuit sophista Protagoras. hic enim dicebat, nullam rem determinatam habere naturam. quam ob rem addebat, neminem posse falsa dicere: quod quisque prout sibi uideatur, atque probetur de rebus enunciet, quæ res certam naturam non habent, sed in ea relatione, quæ a nobis consideratur, essentiam sortiuntur. nam & qui arquato morbo affecti sunt, mel esse amarum dicunt; & uerû quidem dicunt. causa est, quia quod eis uidetur & probatur, id aiunt: at qui bene ualent, dulce illud esse dicunt: & ipsi quoque ueri sunt. præterea nigræ columbæ ceruix in Sole quibusdam purpureum, quibusdam aureum uidetur. aliis aliam speciem pre se fert coloris, prout diuersus est ipsius & intuentium situs. idem quoque in cæteris omnibus usu uenit: ut quod unus uerum putet, alius esse falsum censeat: & quod uni bonum, id alij malum uideatur: oppositum uero sit uerum: lege ergo amarum dici, lege dulce, atq; aliud nihil tale nominari. ex quo conficitur, ut nulla res determinatam naturam habeat, sed ad aliud referatur. Huius sententiam cum Aristoteles refellit in tertio eorum librorum, qui metaphysica nominantur, cum ait, Si quod quis esse putat, id sit, cum insani ignem alere, non urere existiment, certe ignem eis admotum nô adurere, sed nutrire eos oporteret: uel quia panem illi putant adurendi uim habere, etiâ a pane uri, non ali deberent: tum uero eundem coarguit Plato in eo dialogo, qui Theætetus inscribitur, cum hoc ipsum sibi confutandum proposuisset: quo sane loco cum multas probationes adhibuisset, hanc quoque orationem urbane subiunxit: Quoniam, inquit, nos o Protagora dicimus, te non uera dicere, uerum ne dicimus, an falsum, cum te falsa dicere affirmamus? Si nos uerum dicimus, falsa dicit Protagoras, cum ait omnes uera dicere: nos enim uerum dicimus, cum te hæc falsa dicere affirmamus. Si falsa dicimus, ergo

go licet falsa dicere, & non quicunque aliquid dicit, uera loquitur. Alii uero præter hos, recte dixerunt, rerum alias esse ex iis, quæ cum aliquo comparantur, alias esse per se. cum aliquo autem conferri, ut dextrum, sinistrum: per se uero, ut corpus, ut homo. nam homo, quia homo sit, non est in iis, quæ cum aliquo conferuntur. quæ enim sunt huiusmodi, propriam consistentiam non habent: sed in aliis esse categoriis dicuntur. nam cum nomen patris dico, in substantia relationem dico: cum multum, aut parum, in quantitate: cum candidius, aut nigrius, in qualitate: quod idem fit in cęteris. Recte autem quidam hæc propaginibus comparant: quæ non constant ipsæ per se, sed in plantis consistunt: itemque lignis sibi uicissim obnitentibus: siquidem altero sublato alterum non erit. Diuisio eorum erit huiusmodi, quæ cũ aliquo conferuntur, alia ex similitudine nominis dicuntur, ut simile simili simile: alia ex nominis dissimilitudine, & quę per nominis dissimilitudinem: alia ex præstantia aut defectione, ut multum & paucum, magnum & paruum, maius & minus: alia ex imperio & seruitute, ut dominus serui dominus: alia ex iudicante & re iudicata, ut sensile sensu sensile: & quod sciri potest, scientia sciri potest: uel ex participante, & cuius particeps est, ut sciens quia particeps scientiæ est, sciens dicitur: uel ex causa & effecto, ut pater filij pater: uel ex agente & patiente, ut uerberans uerberatum uerberat: uel ex loci differentia, ut dexter sinistri dexter. Genere autem docendi hoc utitur. non statim ueram definitionem tradit eorum, quæ cum aliquo conferuntur; sed eam prius affert, qua ueteres usi sunt: tum incommoda, quæ ex definitione sequuntur, multa ostendit: atque ita aliam ipse propriam & accommodatam definitionem tribuit, quæ solis & omnibus iis conuenit, quæ cum aliquo conferuntur. Sed ne in ueteres inuehi uideretur, prius illorum definitionem proposuit, tum docuit quænam incommoda sequerentur, ut suam ipse definitionem sine odio tueretur. Scire conuenit omnia quæ, cum aliquo conferuntur, omnino a recto casu incipere, & ad aliquem obliquum referri. quandoque uero etiam in quo casu dicta sunt, cum eodem reciprocantur, ut pater filij pater, & filius patris filius. quandoque uero non in eodem casu conuertuntur, sed in alio; ut in sensu & sensili apparet, sensus enim sensilis est sensus, in quo in genitiuo fit expositio: in generandi tamen casu non reciprocatur, sed in alio, ut sensile sensu sensile. sępe etiam ad accusatiuum fit relatio, ut cum dicimus, uerberans uerberatũ uerberat: eius uero reciprocatio mutat casum, ut uerberatus a uerberante uerberatur. [Ea autem, inquit, cum altero conferuntur, quorum uis omnis ad alia refertur:] id est quæcunque ipsa non prout natura sunt, sed, quod aliorum esse dicuntur, in eo cum aliquo conferri dicuntur, ut pater, & dominus homines sunt. si in eo quod homines sint, sumantur, non erunt in numero eorum, quæ cum aliquo conferuntur: sed ideo cum aliquo conferri dicuntur, quod relationem ad aliud habeant. & dexter homo, non quatenus homo, dexter alterius esse dicitur, sed in eo, quod dexter est. Vsus autem est uerbo dicuntur, quia hanc ipse sententiam nõ probabat. multa enim ex hac definitione absurda oriri docet, atque aliam ipse tradet. [quorum inquit, uis omnis aliorum esse dicitur;] ut dexter homo, nõ quatenus homo, dexter appellatur, sed quatenus dexter. [aut quoquo modo aliter cum alio conferũtur.] quia explicatio in genitiuo facta erat, cum dixit, aliorum esse dicitur, ne quis putaret per solum genitiuũ id fieri, ideo adiunxit, aut quoquo modo, id est siue in ablatiuo, siue in accusatiuo fiat explicatio. [Sunt etiam, inquit, in iis, quæ cum aliquo conferuntur, ut habitus, ut affectio, ut scientia, ut situs.] quia prima quæ dixit, quãtitatis sunt, hæc uero qualitatis, ideo merito hæc ab illis seiunxisse uidetur, cum ait, [sunt etiam hæc in iis, quę cum aliquo cõferuntur.] Vel, quia superiora in genitiuo explicata sunt, & in reciprocando in eodem casu permanent, hæc uero in alio reciprocantur, de industria tanquam alio sumpto initio, ea exponit. hæc enim, ut dictum est, in genitiuo exposita, in alio conuertuntur: habitus enim est habiti habitus: ubi in genitiuo explicatio fit: at reciprocatio, in alio: nam habitum habitu habitum dicitur. simili quoque modo affectio affecti affectio: et affectum affectione affectum: & scientia eius quod scitur scientia, & quod scitur, scientia scitur.

Sũt etiam quædam situs genera, ut accubatio, ut status, vt sessio. situs autem in iis ducuntur, quæ cum aliquo conferuntur. Sed iacere, stare, sedere, non sunt ipsa quidem situs: ab iis autem generibus situs, quæ diximus, orta sunt.

Cum uelit accubationem, statum, & sessionem in iis statuere, quæ cum aliquo conferuntur, id eorum genere confirmat. quia situs eorum genus est, & in iis dicitur, quæ cũ aliquo conferuntur: situs enim est siti situs: sique genus est de iis, quæ cum aliquo conferuntur, etiam eius species quę sunt memoratæ, erunt. Vel enim totum corpus rectum est, & status nominatur, uel totum obliquum iacet, & accubatio dicitur: uel pars eius stat, pars iacet, & uocatur sessio. Existit autem hoc loco quæstio, si hæc ad ea quæ cum aliquo cõferuntur, redigamus, quænam postea ad situm esse referamus. dicimus ergo aliud esse statum, aliud stare: aliud accubationem, aliud accumbere: aliud denique sessionem, aliud sedere. nam status, & accubatio, & sessio relationem ipsam significant, sedere uero, accumbere, & stare non solum relationem, sed ipsam quoque substantiam declarare. & quæ accumbit, & in quo accumbit. idem fit in cæteris. quam ob rẽ illa, ut relationem significãtia referuntur ad ea, quæ cum aliquo comparantur; hęc uero quia una cum relatione res etiam declarant, in quibus uersatur relatio ad categoriam Situm esse rediguntur. Vt enim aliud est in tempore esse, aliud tempus, & aliud in loco esse, & locus, cum locus & tempus sint coniunctæ quantitates. quod uero in loco est, ad categoriam Vbi pertinet, & quod est in tempore ad Quando, ita etiam in his se res habet. quod ipse quoque declarauit his uerbis, [sed iacere inquit, stare, sedere, non sunt ipsa quidem situs, ab iis autem generibus situs, quæ diximus, orta sunt.] Si quid nomen ab aliquo ducat, non iam id, quod illud erit, a quo nominatur. a statu enim stare nominatur, ab accubitu accumbere, & a sessione sedere. ut autem hæc a speciebus situs ducta sunt, ita etiam a genere eorum, hoc est a situ ductum est situm esse, quæ una categoria est, quæ genus cognatum est horum, accumbere, stare, & sedere. quocirca una species eorum, quæ referuntur ad aliquid, hoc est situs, unam categoriam, quæ est situm esse, peperit. neque id mirabile est, cum etiam tempus aliam crearit, Quando, & locus aliam, Vbi: cum tamen & tempus & locus quantitatis sint species. nam neque tempus est Quando, neque locus Vbi: sed res, quæ in tempore, quæque in loco fiunt.

Reperitur etiam in iis quæ cum aliquo conferuntur repugnantia: ut uirtus uitio est contraria, cum utrunque in iis sit, quæ cum aliquo comparantur: & ignorationi scientia. Nec uero omnibus data sunt contraria. Duplo enim nihil aduersatur, nihil triplo, nec ulli eiusdem generis.

Cum de iis quæ cum aliquo conferuntur, ex ueterum sententia disputarit, nunc quid ipse sentiat, uult exponere: ac primum, ut etiam in substantia & quantitate fecit, ea proponit, quæ propria eorum, quæ cum aliquo conferuntur, esse uideantur, re uera tamen non sint; ut ne quis in hæc pingui minerua intuens, ea esse uere propria arbitretur. ergo in primis ait eorum proprium esse, ut contraria accipiant: nam & uirtuti inquit, contraria est malitia, & ignorationi scientia, & iustitiæ iniustitia. cum singula in iis sint, quæ cum aliquo conferuntur. uirtus enim uirtute præditi, & scientia eius quod scientia comprehenditur, uel scientis, & malitia mali dicitur: hæcque reciprocantur. non tamen in omnibus, quæ cum aliquo conferuntur, repugnantia est: id quod merito fieri uidetur: cum enim, ut diximus, hæc propaginibus sint similia, neque res certas habeant in quibus proprię consistant, sed in aliis categoriis comperiantur, fit, ut eas categorias, ad quas admituntur, consequantur. & quæcunque categoriæ repugnantiam capiunt, eam quoque accipiunt ea quæ cum aliquo conferuntur, quæ in illis categoriis consistunt: & quæcunque categorię non habeant cõtraria, neque etiam ea capiant, quę in eis sint quæ cum aliquo conferuntur: ut quia substantiæ, ac quanto nihil est cõtrarium, ita iis quæ cum aliquo in substantia & quantitate con-

conferuntur, nihil, erit contrarium. ut triplo, nam triplum cum aliquo confertur, cum alicuius triplum fit. tamen ei nihil est contrarium, quoniam ei categoriæ, hoc est quanto adhæret, cui nihil contrarium est. idem in substantia apparet, ut domino, filio, dextris, sinistris nihil est contrarium, propterea quod ii quibus adiunguntur, hoc est hominibus, ad categoriā substantiæ, cui nihil contrarium est, pertinent. nunc uero quia qualitas capit contraria, ideo fit, ut quæ in qualitate cum aliqun conferuntur, ea capiât contraria, ut uirtus est uitiositati contraria, & scientiæ ignoratio. atque hæ qualitates sunt omnes. Sciendum autem est, hæc aliis esse contraria, aliis cum aliquo conferri: ut uirtus uirtute præditi uirtus, & uirtute ornatus dicitur præditus uirtute, & uitiositas uitiosi uitiositas, & uitiosus uitiositate uitiosus, atque ita quidem cum aliquo conferuntur: contraria autem sunt, ut uirtuti uitiositas, & uirtute prædito uitiosus. ergo iure spectatur in iis, quæ cum aliquo conferuntur, sed non in omnibus repugnantia. Nunc quærendū est; quomodo uirtutem ac uitiositatem, scientiamque, & inscitiam in iis quæ ad aliquid referuntur, esse dixerit. respondemus id nunc ab eo non ex animi sententia, sed simulate fieri, cum definitionem propositam uelit reprehendere. si enim ea quæ cum aliquo conferuntur, ideo formam nanciscuntur, quod aliorum esse dicantur, certe etiam hæc erunt huius generis: cum ea quoque aliorum esse dicantur, siquidem uirtus probi uirtus, & uitiositas uitiosi uitiositas, & scientia scientis scientia, & ignoratio ignorantis ignoratio dicatur. qua sane ratione categoriæ omnes, quæ ab accidente oriuntur, hoc est nouem categoriæ, quæ esse substantiæ dicuntur, quia illi accidunt, cum aliquo conferētur. candor enim cādidi candor dicitur, & res duorum cubitorū ligni ut ita dicam, duorum cubitorum dicetur. itemq; quādo, vbi, facere, pati alicuius dicuntur, nihil enim per se est quando, sed est quiddam substantiæ: & in cæteris eadem ratio est. quin etiam substantia cum ut pars sumitur, alterius dicetur: cum pars totius pars uocetur, & totum partibus totum. at dicere omnes categorias cum aliquo conferri, absurdum est: quandoquidem ab iis, quæ cum aliquo conferuntur, eas perspicue separari, atque discerni uel ex hoc cognosci facile potest, quod si essent ex iis, quæ cum alio comparantur, in eorum definitione sumenda etiam essent, cum quibus illa dicerentur: siquidem definiendis iis, quæ cum alio conferuntur, ea quoque cum quibus conferuntur, necessario commemorentur: ut patrem qui definit, filij quoque mentionem faciat, necesse est, dicet enim filij patrem esse: at cæteras categorias si definias, nihil necesse est ea memorare, cum quibus dicantur. nam si forte quod duorum cubitorum est, definitione explicemus, nulla necessitas erit, cur ea, quorum dicatur, ut lignum, afferamus. simili quoque modo in qualitate, & cæteris categoriis. Igitur si categoriæ dicantur illę quidem ad alterum, propterea quod accidentia dicuntur esse ipsius substantiæ, & partes totius partes; & tamen non sunt ex iis quæ cum aliquo conferuntur, certe patet, male definita esse ea, quæ cū aliquo conferuntur; quandoquidem ea definitio alias quoque categorias attingit. neque enim quod alterius esse dicitur, in eo habet essentiam, quod alterius dicatur: & quæ cum aliquo conferuntur, in hoc essentiam suam habent, quod sint ad aliquid. si quid enim est alterius, id etiam alterius esse dicitur: non tamen si quid dicitur, iam etiam habet essentiam in eo, quod dicatur alterius. Hoc autem loco non est ignorandum, quicunque aiunt, Platonem ita definire ea, quę cum aliquo conferuntur, eumque existimare, illorum essentiam in eo esse, quod aliorum dicantur, eos philosophū calumniari. etenim ex iis, quæ in Gorgia scripta reliquit Plato, plane patet, ea quæ cum alio conferuntur, nō quod aliorum dicantur, sed quod sint ab eo constitui: illic enim loquitur his pene uerbis, Si efficiens inquit, est, patiens quoque aliquid esse necesse est: neque enim ait dici; sed esse, necesse est,

Illud autē magis et minus in iis reperitur, quæ cū aliquo conferuntur. Nam & quod simile ac dissimile est, similius dissimiliusque dicitur: & quod æquale & inæquale est, alilud alio magis æquale & inæquale: cum utrunque in numerum eorum ueniat, quæ cum aliquo conferuntur. Quod enim simile est, cuipiam simile: & quod æquale est, alicui æquale esse dicitur. Quanquam non omnia quæ cum aliquo comparantur, illud magis & minus admittunt. Neq; enim duplum magis aut minus duplum quàm aliud habetur, nec quicquam eiusdem generis.

Ad aliud propriū cōsequens ea, quæ cū aliquo conferuntur, nunc transit, primo reiecto, ut magis & minus in iis sit quæ cum aliquo conferuntur: & hoc esse huic magis, uel minus simile dicimus: ut candorem qui in pariete est, magis similem dicimus ei, qui in ueste, quam qui in niue sit: sed hoc consequens simile est superiori: quia non omnibus iis, quæ cum aliquo conferuntur, comitatur. pater enim non magis pater, quam alius, dicitur: neque etiam filius: idq; merito. dictum enim est nobis, ubi repugnantia est, ibi magis & minus esse: ubi uero repugnantia non sit, ibi neque magis, neque minus inueniri. ergo cum in iis quæ cum aliquo conferuntur, repugnantia est, tum in eis magis, minusque dicitur: sed quia non omnibus inest repugnantia, ideo neque etiam magis & minus in ominbus dicūtur. Fortasse autem quispiam adhibita quæstione dixerit, in quibus contraria sunt, in eis magis & minus ex mixtione contrariorum existere: & ita quia in quantitate non sunt contraria, ideo neque magis, neque minus in ea reperiri: præterea si æquale & inæquale dici quātitatis proprium est, quomodo hoc loco ait, inæquale magis & minus dici: diximus, si quæ cum aliquo conferuntur, in categoria sint, quæ contraria capiat, ea quoque capere contraria: si in categoria, quæ non admittat contraria, neque etiam in eis contraria reperiri: ergo si æquale & inæquale cum aliquo collata in quantitate consistunt; quantitati uero nihil est contrarium, profecto neque æquale, neque inęquale erunt contraria: & ubi contraria non sunt, non est magis & minus, ergo æquale & inæquale nec magis, nec minus dicuntur. nam si magis & minus ex contrariorum mixtione oriuntur, æquale uero inæquali non miscetur. igitur neque magis quicquam, neque minus inæquale est: quod enim minus inæquale est, quia magis est particeps æqualitatis, ideo minus inæquale nominatur. præterea si quid magis & minus inæquale est, erit etiam aliquid magis & minus æquale. nam quod minus inæquale est, id magis est æquale quam id, quod magis inęquale est: ut quod minus album est, id magis nigrum est, quam quod magis album est. si ergo nihil magis uel minus æquale æquali esse potest. (nam quod æquale excedit, ut uel amplius, uel minus sit, non iam etiam æquale est) certe neque inæquale magis, & minus dicetur. nam quod dicitur inæquale, potius priuatio est, atque infinitas eius, quod est æquale, quam contrarium. an igitur hic nominibus his abusus est, cum inęquale magis & minus esse dixit, non accurate, & exquisite loquens: an uero hoc per additionem a quibusdam aliis postea adiunctum est.

Omnia uero quæ in hoc genere sunt, reciprocantur. Velut seruus, domini seruus: uicissimque dominus, serui dominus esse dicitur. Et ut duplum simpli duplum, sic uicissim simplum dupli simplum habendum est. itemque & maius minore maius, & minus maiore minus dicitur. Eadem est ratio cæterorum, nisi quod interdum casus dissimilitudo rationem dicendi consequetur. Quanquam enim scientia rei quæ sub scientiam cadit, est scientia: & res quæ scientiæ subiecta est, scientiæ res dicitur: & sensus, rei quæ sub sensum cadit, sensus est: uicissimque res subiecta sensui, sensus res habetur: tamen id reciprocari nonnunquam nō potest, quoties non accommodatum ad id quod dicitur, uerbum exprimit is qui rem declarat. Vt si quis alam auis esse dixerit, non uicissim dicat auem alæ esse, cum præsertim primum quod dedit, non esset uerum proprium, auis ala. Non enim hoc ipso quia auis sit, ala eius propria est, sed quia pennigera sit: siquidem plerisque aliis pennæ attributæ sunt, quæ in numero auium non habentur. Ergo si apte

& accommodate ad rationem dicendi uerbum exprimatur, continuo reciprocantur. Velut penna pennigeri penna, uicissimq; penniger pennæ penniger.

Transit ad aliud proprium eorum, quæ cum aliquo conferuntur: quod eorum est uere proprium: vt dicantur conuertendo: quod ut intelligamus, dicendum est quid conuersio, ac prius quid uersio sit. est igitur uersio, ab eodem in idem reditio: ac propterea dicimus uniuersum uerti, quia cum in orbem feratur, ab eodem puncto ad idem rursus redit. ac nos uerti dicimur, cum ex quo loco incepimus, in eundem desinimus. conuersio autem est quasi æqua uersio. cũ enim hæc ἀντιστροφὴ dicatur, illuc ἀντὶ apud ueteres significabat idem quod æquale, & par: ut ἀντίθεον dicebant deo parem, & ἀντιάνειρα mulier uocabatur uiris par: & ἀντίχειρα appellabant pollicem, quod parem uim cæteris habeat. æqua autem uersio est, cum nihilo magis alterum de altero, quam illud de reliquo dicitur: ut pater nihilo magis de filio, quam filius de patre dicitur. [Ea inquit, quę cum aliquo conferuntur, reciprocantur, ut seruus, domini seruus: & dominus, serui dominus: nisi quod interdum casus dissimilitudo rationem dicendi cõsequetur.] quoniam ipse in genitiuo id exposuerat, ideo hæc addidit, ut non solum in genitiuo, sed aliis etiam casibus hæc explicari posse intelligamus: quam ob rem neque etiam in eodem casu omnino reciprocantur. qua de re dictum est a nobis supra. Reciprocantur inquit, id est conuertuntur & iterantur, ut seruus, duę res sunt, & seruus & homo: ergo dominus serui dominus dicitur, quatenus ille seruus est, non quatenus homo: æqualitatem ergo seruare semper debent, ut etiam reciprocentur: ut homo & ridens: propterea quod si inæqualia sint, tum nullo modo reciprocabuntur. [tamen inquit, reciprocari id nonnunquam non potest, quoties non accommodatum ad id, quod dicitur, uerbum exprimit is, qui rem declarat: ut si quis auis alam esse dixerit, non uicissim dicat auem alæ esse: cum primum esset uerum proprium, auis ala] Quæ cum aliquo conferunt, æqualitatem inter se seruare debent, ut ita reciprocentur, quemadmodum homo & ridẽs conuertuntur: propterea quod si inæqualia fuerint, maius comitabitur minori, ut homini animal: maiori uero minus, non item: neque enim homin animal sequitur, ut hominem animal. regula ergo eorũ quæ ad aliquid dicuntur, est æqualitas, ut pater filii: & duplum dimidii, quæ etiam reciprocãtur: at quæ inæqualia sunt, ea minime reciprocantur: id quod ipse quoque ait. nam si ala auis dicatur, non uicissim dicetur, auis alæ: neque enim omnis ala auis ala est: cũ quædam uolucres sint, quæ aues non sunt. Volucres nanque aliæ alas scissas habent, ut quę apud nos uisuntur, quę etiã aues solæ nominantur, ut ipse in libro de historia animantium dixit, aliæ alas ex cute habent, ut uespertiliones, aliæ ex uaginis, ut scarabei, quæ aues non sunt. quia igitur ala & auis non ęquales sunt inter se, sed ad plura pertinet ala, quã auis, & quæ reciprocanda sunt, debent esse paria, & inęqualia ad æqualitatem perducuntur uel aucta parte quæ minor est, aut ea quæ est maior, imminuta: si in iis minorem partẽ auxerimus, hoc est, auim, & ita fecerimus, ala alati ala, alatum pro aui capientes, ita reciprocabitur: alatum enim ẽ ala alatum. Præterea si gubernaculum nauigij gubernaculũ dicatur, non reciprocabitur: cum non queas dicere nauim gubernaculo nauim, siquidem multa nauigia sunt, quę nullũ habeant gubernaculum, quales sunt piscatoriæ nauiculæ. cũ igitur hęc quoque inęqualia sint, & latius patet nauigium, quam gubernaculum, si quod maius est, minuemus, hoc est nauigium, & pro eo dicamus, quod gubernaculo instructum est, tum ęqualia facta reciprocabuntur. nam gubernaculum rei gubernaculo instructę dicitur, & res instructa gubernaculo est gubernaculo instituta. preterea caput alicuius caput dicitur, ut animalis: si ergo ad animal dicatur, non fiet reciprocatio: quia non propria sic fiet explicatio. caput enim animalis caput dicitur: at non animal capite animal: cũ animalia quędam sint, quæ caput non habeant, ut cancri, uermes, & terrę intestina. in iis ergo id quod maius est, diminui debet, id est animal, & efficere capitatum: qua sane ratione reciprocatio conseruabitur, caput enim capitati caput dicitur, & capitatum capite capitatum. ergo in aui, quod minus erat, auximus, id est auim ipsam; in cęteris uero quod maius erat, ut gubernaculum & animal, imminuimus.

Atque etiam hoc loco interdum sane, si nullum accommodatum sit rebus nomen impositũ, nomina facienda sunt necessario. Vt si confirmetur nauis esse gubernaculũ, haud probe fiat. Neque enim hoc ipso quod nauis sit, eius gubernaculum esse dicitur; cum naues sint, quæ nulla gubernacula habeãt. Itaque non est hoc loco reciprocatio. Nauis enim non solet dici gubernaculi: aptiorque ratio dicẽdi fiat, si gubernaculum rei gubernaculo instructæ esse dicatur: quandoquidem res instructa gubernaculo, gubernaculo instituta est. Similis est ratio cæterorum, ut caput aptius rei capite donatæ tribuatur, quam animali: quippe cum non quia animal sit, caput habeat: uacant enim capite multa animalia.

Ne forte dicat quispiam, quorsum nouanda sunt nomina, & singula pro cuiusq; arbitrio confingenda? ita enim continget, ut omnis nominum usus euanescat, si quisq; nomina, ut libet construat, ac rebus imponat, & ita deinceps uidebuntur omnes nomina non significantia pronunciare, ut si dicat quis pro homine capitatum, pro naui gubernaculo instructam rem, aut alia quadam ratione nomina fecerit: ideo ait, nõ esse difficile ijs rebus imponere nomen, quibus usus imponere non curarit. usus enim nomina indidit ijs, quæ nouit. at artes, ut pote quæ rerum nouarum inuentrices, ijs rebus, quas inuenere, nomina ad res significandas debent imponere: ut geometra quia inuenit triangula alia esse, quorum duo solum latera æqualia sunt, alia, quorum tria; alia quorum tria inæqualia, eorum unum isopleuron, alterũ isosceles, tertium scalenum appellauit. ita etiam musicus uarijs sonis nomina tribuit: aliumq; chromaticum, alium diatonicum, aut alio quouis modo uocat. ita etiam hoc loco, quoniam usus nomina imponere his rebus neglexit, ut nos ea imponamus necesse est. consuetudo enim nauigia nominauit, sed quæ gubernaculo instructa sint, quæ non sius, non distinxit: itemq; animal uocauit, non tamen quæ caput haberent, ab ijs, quæ non haberent, ullo nomine separauit. quam ob rem, ut diximus, nihil absurdi est, si in eiusmodi nos nomina fingamus. quomodo uero nomina imponenda, & unde ducenda sint, ipse deinceps ait.

Sed ita facillime nomina imponentur rebus quarum nulla sunt propria, si à primis, usq; quæ uicissim inter se respondent, imponentur. Id quod in ijs perspici potest, de quibus modo diximus: vt à penna pennigerum, à gubernaculo res instructa gubernaculo. Quare quæ cum aliquo conferuntur, si accommodate dicantur, reciprocantur omnia. Nam si ad quiduis accommodentur, non ad id quod enunciatur, non reciprocantur. Hoc autem confirmo, ne ea quidem uicissim inter se respondere posse, quæ omnium consensu reciprocantur, etiam si imposita eis sint nomina, si quidem ad aliquid eorum quæ accidunt, non ad id cui uicissim respondent, accommodabuntur. Veluti seruus si non domini, sed hominis aut bipedis aut cuiuspiam eius generis confirmetur seruus, certe nulla futura est inter eos reciprocatio. Neq; enim homo esse serui homo dici potest, propterea quod non est ea apta dicendi ratio.

Regulã quandam nobis tradit, cuius usu nomina recte faciamus: si res in communi usu nomen non habeant. nam a primis, & ab ijs, quæ accommodate dicantur, imponendum est nomen paronymum ijs, de quibus dicantur, atq; ita inter ea erit reciprocatio. nominemus ergo a gubernaculo nauigium, gubernaculo instructum nauigium, de quo gubernaculum dicitur: & a capite animal caput habens capitatum uocetur: & in cæteris eodem modo. atque hæc de integro dolose cõmemorat, cum ei in animo sit, uelle iam propositã definitionem redarguere. si enim cum aliquo conferuntur,

ea, quæ aliorum esse dicuntur, & caput, & gubernaculum, & ala, erunt ex ijs, quæ cum aliquo conferuntur, quod absurdũ est. hæc enim ut partes substantiarum cum aliquo conferri dicuntur: nam pars totius est pars, & totũ partibus totum: in eo tamen quod ala, aut gubernaculum, aut caput, nõ conferuntur cum aliquo, sed substantię sunt. unumquodq; enim horum per se consideratur. nam si caput, aut manus a toto præcidatur, nomen suũ retinebit: partis tamen nomen amittit: siquidem pars in toto cõsideratur. quæ uero cum aliquo cõferuntur, si ablatum sit id, ad quod dicuntur, statim nomen etiam simul amittunt: ut pater dicitur filij pater: sed sublato filio, etiam pater esse pater definet: quæ uero aliorum dicuntur, licet ab eis auellantur, quorum esse dicuntur, tamen nihilo minus nomen suum conseruabunt: ut caput animalis dicitur caput: ac licet ab animali auferatur, tamen nihil minus caput dicetur. gubernaculum quoque nauis dicitur, & ala auis: hęcq; auulsa ab ijs, quorum esse dicuntur, idem etiã nomen nõ secus habent. [Hoc autem, inquit, confirmo, ne ea quidem uicissim inter se respondere posse, quæ omnium consensu reciprocantur, etiam si eis imposita sint nomina, siquidem ad aliquid eorum, quæ accidunt, non ad id, cui uicissim respondẽt, accõmodabuntur.] Hic argumẽto utitur, quod a maiore ductum est. quidnam inquit, mirum est, si in ijs, quæ dicta sunt, non seruatur reciprocatio, quia non apte & proprie sit facta expositio, cum ne ea quidem quæ omniũ consensu cum aliquo conferuntur, & reciprocari dicuntur, quæ etiam nomina habent, nõ reciprocentur, si non proprie & apte explicentur? ut dominum si quis non cum seruo, sed cum homine conferat, & dicat, dominus hominis dominus, non poterit is reciprocando dicere, homo domini homo. esset enim id ridiculum. dominum uero hominis dominum appellare haud difficile est: at hominem domini hominem, absurdissimum, itaque in ijs quoniam non est apta dicendi ratio, ita neque etiam reciprocatio seruatur. causa est, quia non in æqualibus facta explicatio est: quandoquidem homo ad plura pertinet. ex quo fit, ut quæ reciprocantur, paria inter se, ut diximus, esse debeant, ut fiat reciprocatio. hanc enim ob causam propria & ea, quorum illa propria sunt, reciprocantur, quia uicissim paria sunt. atque hæc quidem dicit omnia, ut faueat ei definitioni, qua dicitur, cum aliquo conferri ea, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur: conaturq; ostendere ex hac definitione ea quæ cum aliquo conferuntur, reciprocari, ut definitionem ipsam quoad eius fieri possit, tueatur, ne illam quasi indicta causa damnare uideatur: ut postea iure ac merito eandẽ reprehendat. ostendet enim uel post tantum patrocinium, ex ea tamen absurda sequi quamplurima.

Quod si apte & accommodate ad id ad quod refertur, verbum exprimatur, apta ad ipsum illud semper erit dictio, etiamsi omnia quæ aduentitia sunt detrahantur, ijs solis remanentibus, cum quibus illa conferuntur. Vt seruus si cum domino conferatur, profecto sublatis omnibus, quæ domino aduentitia sunt: velut eum bipedem esse, & natum ad scientiam & cognitionem, & hominem, relicto illo solo, eum herum esse, tamen semper ad ipsum referetur. Siquidem seruus, domini seruus nominatur. Nam si parum accommodatum ad id eum quo confertur, nomen reddatur, separatis cæteris omnibus, relicto autem eo vno cui adiunctum erat, minime cum eo conferetur. Accommodetur enim exempli gratia, seruus ad hominem, & ala ad auem, seiungaturq; ab homine heri appellatio, iam seruus cum homine non comparabitur, præsertim cum sublato domino seruus nullus sit: itemq; ab aue separetur pennigeri ratio, non iam ala veniet in numerum eorum quæ cum aliquo conferuntur. Sublato enim pennigero, nullius certe ala est futura. Quapropter verbum dandum est, cum quo alterum rite conferatur. Quòd si nomen sit impositum, facilis est verbi accommodatio, Sin nullum sit, profecto faciendum nouum necessario est. Quæ si hoc pacto omnia tribuantur, perspicuum est, quæ cum aliquo conferuntur, reciprocatum iri omnia.

Tradit nobis regulam eorum, quæ proprie & apte de aliquo sunt reddita, atque explicata. ait enim, quod pluribus nominibus appellatur, si quid aliud sit, quod de uno horum nominum dicatur, uelisq; cognoscere, an id quod de illo nomine dicebatur, apte & accommodate diceretur, aufer inquit, omnia alia nomina, & quæ subiecto accidunt, & illud solum nomen relinque, ad quod accommodatum sit id, quod enunciabatur: si illud reciprocarj inuenies cum eo, quod de ipso dicitur, tum scito prius esse apte & uere expressum: siquidem nisi rite & uere facta esset redditio, non fieret reciprocatio: ut si seruus domini seruus exprimatur, quia domino accidit, ut homo, & bipes, & ad scientiam natus sit, si hæc omnia ab eo auferas, itaque ponas, ac si penitus non essent, solumq; relinquas, eũ herum esse, nihilo secius apte & proprie factam reciprocationem comperies. herus enim serui herus dicitur. si uero non ad herum, sed ad hominem seruus dicatur, sublatis reliquis ab homine, hoc est ut non sit herus, ut non sit bipes, & cætera, non est futura reciprocatio. neq; enim uicissim retro commeans dicere poteris, homo serui homo. quocirca nõ apte & proprie seruus ad hominem accommodatur. profecto sublatis inquit, omnibus, quæ domino aduentitia sunt, uelut eum bipedem esse, & natũ ad scientiam, & hominem, &c. haud mirabile est, quod hęc accidere dixerit: quoniam ad serui relationem accidentia sunt, deq; eo secundo loco enunciantur: sed primo & per se de seruo herus dicitur. relatio enim eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ut ante dixi, cum ipsa per se non constet, quandoque significat in substantia rem esse, quandoq; in quantitate, uel qualitate, uel in aliqua alia categoria. quocirca quispiam non incommode dixerit duplum, cum forte in ligno sit, lignum accidisse: cum in lapide, lapidem: cum in superficie, aut tempore, tempus aut superficiem: nimirum cum relatio per se ipsa cogitatione consideretur.

Iam quæ sunt in hoc genere, simul sunt naturæ ordine. Ac in plerisque id verum est, in alijs non item. Simul enim atq; duplum est, & simplum est: & si simplum sit, duplum quoque est: & si dominus sit, seruus sit necesse est: & si seruus sit, & dominus. Similis est ratio cæterorum. Atq; etiam tollunt hæc inter se omnia. Neque enim sublato duplo, esse simplum vllo pacto potest: aut simplo sublato, duplo loci aliquid relinquitur. Eadem est aliorum ratio, quæ sunt eiusdem generis.

Cum explicarit ea quæ cum aliquo conferuntur, reciprocari, aliud eorum proprium consequens nunc exponit, ut simul natura sint. quomodo autẽ hæc simul sunt natura? pater nanq; & filius simul natura sunt: sed possessor & possessio quomodo? quia quę cum aliquo conferuntur, non rerum naturam, sed relationẽ, qua ad aliud affecta sunt, considerant. ergo pater non quatenus homo hoc habet, ut simul sit natura, sed in eo, quod ad filium relationem sortitur. Simul autẽ natura sunt ea, quorum uno posito, alterum quoque necessario intelligitur: & sublato, alterum simul tollitur. & ut si unum sit, nunquam alterum non sit. simul enim atq; dicitur seruus, herus quoque simul intelligatur necesse est. sique duplum sit, etiam simplum necessario est. Dixit autem in plerisque id uerum esse, quandoquidem in alijs quibusdam, quæ non simul natura uidentur esse, quæstionem est allaturus.

At non in omnibus ijs quæ cum aliquo conferuntur, id uere dicitur, ea simul esse ordine naturæ. Nam res ea quæ scientiæ subiecta est, prior est naturæ ordine scientia, quòd fere res quæ iam sunt, scientia comprehendamus. In paucis enim, aut in nullis potius scientiam simul esse cum re quæ sub scientiam illam cadit, perspici potest.

Occurrit ei, quod dictum est, quod non omnibus ijs, quæ cum aliquo conferuntur, non uere dicatur, ea simul esse ordine naturæ. scientia enim & res, quæ scientiæ subiecta est, cum aliquo conferuntur, & simul natura non sunt. sublatis enim rebus, quæ scientiæ subiectæ sunt, scientia quoque tollitur. nam rebus sublatis, cuiusnam erit scientia? at licet scientia nõ sit, nihil uetat, res esse, quæ sciri possint. ita hæc,

quæ cum aliquo conferuntur, simul ordine naturę non sunt. Prius autem aliquid duobus modis dicitur, tempore, & natura. quod temporis ordine dicitur, est quod a presenti longius abest, ut in pręterito dicimus. qua ratione bellū Medicum prius est Peloponnesiaco: quod illud a præsenti magis distet. prius etiam erit cras, quam perendie. id autem est, quod tempore prius appellamus. quod uero natura prius est, id simul tollens non simul tollitur: & simul introductum non simul introducit aliod, ut in animali atque homine apparet. ergo quod scientiæ subiectū est, id ordine naturæ prius erit scientia: siquidem nisi res quæ scientiæ subiiciatur, sit, scientia nulla erit: si uero non sit scientia, esse tamen queat res, quæ sub scientiam cadat. Thales autem Milesius prius Lunæ defectionis causam fertur inuenisse, cum Lunā a Sole lumeo mutuari animaduertisset: quod illa Solis recessu augescēs partem illustratam ad occasum habeat, cum tunc Sol magis occiduus sit: eius uero cornua, & pars uacans lumine ad ortum uergant: cum uero tota Solē aduersum intuetur, & ab eo per diametrum abest, tum tota splendescit, ac collucet, tota toti Soli per aspectum incumbens. ac totam quidem intelligo, cum etiam ea parte Solem aspicit, qua ad nos uergit. cum uero decrescere incipit se se a cōgressu Solis recipiens, tum rursus collustratam partem ad ortum spectat, cum Sol tum magis orientalis est: quæ autem pars uacat lumine, ac cornuum speciem prę se fert, ad occasum uergit. hinc igitur Lunæ defectionē Thales animaduertit, quia cum inciderit in umbram terrę, ut uocāt, & Sol qui inferius hemisphærium ambit, ad perpendiculum sibi sit oppositus, absolutam defectionem, quatenus ei accidit, patitur, cum radij Solis ipsam nullo modo contingant: id quod ei sane in solo plenilunio contingit. Si ergo huius defectionis primus inuentor fuit Thales, certe patet, id etiam ante Thaletem sciri potuisse: nec tamen eius defectionis scientia prius habebatur. ita fit, ut res, quæ scientiæ subiecta est, & tempore, & natura scientiam antecedit: hæcq;, licet cum aliquo conferantur, non tamen simul esse. simili quoque modo si sensibile nō sit, neq; etiam sensus erit: cuius enim rei sensus erit? at si sensus non sit, nihil est, quod sensibilia esse ut ignem, terram & similia, prohibeat. [In paucis enim inquit, aut in oullis potius scientiam simul esse cum re, quæ sub scientiam illam cadit, perspici potest.] Quia dixit, fere fieri, ut rebus iam antecedentibus nos earum inueniamus scientias, nunc id quod fere dixerat, augendum putauit his uerbis. in paucis enim, aut in nullis potius scientiā simul esse cum re, quæ sub scientiam cadit, quispiam inuenerit: quæ dicta sunt propter ea, quæ ab arte aliqua producuntur: quæ sane neutiquā antecesserunt: sed simul atque ab arte producta sunt, esse ceperunt. at res naturales ante earum scientiam sunt: artificiosæ uero simul cum ipsarum arte exoriuntur; ut excogitauit quispiam stratum ad dormiendum, hoc loco unà cum re quæ sub scientiā cadit, scientia quoque est. id etiā in figmentis potes intueri. cum primū enim chimæram finxeris, simul chimæræ scientia est coostituta, & eius item uisum. pictor quoque eorum, quæ primus inuenit, simul imagines introduxit. qui literas item primus docuit, is cum literarum scientia literas etiā inuexit. sed cur addidit, aut in nullis potius? Ao uero hæc in rerū natura erāt, sed postea scientias adepta sunt? id enim in mechanicis inuentionibus uel maxime spectabis, exempli causa, quomodo graue pondus quispiam cieat, quomodo aquā in sublime uehat, aut aliud quid huius generis: planum enim est & hæc, & cætera generis eiusdem simul cum ipsorum scientia esse inuenta. forte uero naturalibus cōtra accidit, quam artificiosis. nam in naturalibus, ut dictum est, res quæ scientiæ subiectæ sunt, scientiam ipsarum præcesserunt: quæ uero ex arte constant, earum prius scientia comparanda est, tum quod in scientiam ceciderit, effici. primum enim de re assequenda cogitatio fuit, ac quomodo constare illa queat, tum ad rem agendam perducta cogitatio est: nisi forte dicat quis, scientiā de nauigio, quamuis prius, quam nauigium fuerit, cum in illius qui primus id inuenit, animo insideret, tamen nondum uere ac proprie scientiam esse, cum adhuc incertum sit, utrum res sit cogitationi responsura. fortasse enim id solam cogitationem attigit, ad actionem uero perduci non potest, qualis etiā Dedali fabula est, quem aiunt & sibi & Icaro filio alas fabricari noluisse: atque ita fieri, ut cum res, quæ scieotiæ est subiecta, simul cum eius scientia ad opus perducatur, tum re uera & proprie illam scientiam esse habendā: quippe quæ nihil ambiguum contineat. quam ob rem in ijs, quę arte efficiuntur, & res quæ sub scientiam cadunt, & ipsa scientia uicissim simul constant, & cohærent.

Præterea sublata re quæ sub scientiam cadit, scientia quoq; tollitur. At sublata scientia, id quod cadit sub scientiam non tollitur. Siquidem si nulla sit res subiecta scientiæ, non est scientia, quoniam nullius erit rei scientia. At vero sublata scientia, nihil prohibet rem esse eam quæ sub scientiam cadat. Vt circuli quadratum, si scientia comprehendi possit, necdum eius scientia est, cum interim cadere possit sub scientiam.

Exposuit quid prius tempore sit in eo, quod sub scientiam cadit; quod fere res, quæ iam sunt, scientia cōprehendamus. nunc in eodem declarat quid sit prius ordine naturæ: idcirco simul quidem tolli scientiam, sed ab ipsa non simul adimērem, quę scientia comprehenditur: quo io genere inquit est circuli quadratum. Geometræ autem quadratū uocant spatium, non quod absolute quatuor latera, & quatuor angulos habeat, sed quod quatuor latera æqualia & angulos rectos habet. rectum autem angulum fieri dicunt, cum linea recta super rectam cadens interiores, atque ad easdem partes angulos inter se æquales facit. tunc enim uterque angulus est rectus: quæq; linea superstat ei, cui innititur, perpendiculi nomine uocatur. atque hic rectus est angulus. acutus uero, est minor recto: obtusus uero, est recto maior. inclinata enim recta linea, quæ desuper in alium incidebat, alter angulus, maior: alter, minor efficitur. minorem autem, acutū; maiorem, obtusum uocant: quoniam ad huius similitudinem moles quoque ad pungendum accommodatæ, ut gladius, fieri consueuerunt: ac maiorem; obtusum: siquidem ex hoc obtusæ moles fiunt, ut pistillum, ad contundeodum idoneæ. Figuras autem alias aiunt ex rectis lineis constare, alias in orbem ductas esse. earum quæ ex rectis lineis sunt, aliæ tres angulos, alię quatuor, aut sex habent, aut etiā quotquot cogitatione cōplecti angulos possumus. in orbē uero ductas appellāt circulos. inde fit, ut geometræ q̄rant, data forma ex rectis lineis, quæ forte quinque angulos habeat, quomodo ęquale quadratū effici posit. id enim ipsi uia & ratione quadam docuerunt. atque ut io rectarum linearum formis inuestigauerunt, ita de circulo quoque est ab eis instituta disputatio, qui fieri posit, ut dato circulo quadratum ęquale inueniatur. quam rem cum multi perquirerent, non tamen inuenerunt. solus autem Archimedes proxime ad inuētionem accesit: rem tamen perfecte non est assecutus. igitur philosophus ait, si scientia comprehendi posit circuli quadratio, cum adhuc eius scientia inuenta non sit, planum esse, prius esse id, quod sub scientiam cadit, quam sit eius scientia. atque hoc exemplum non solum probat ea, quę sciri possunt, priora esse ordine naturę, quā scientiam, sed etiā tempore. cum enim circuli quadratio sciri posit, eius tamē nondum inuenta scientia est. sed quod addit, id naturę ordine prius esse quod sub scientiā cadit, quā scientā, declarat.

Iam uero sublato animante, nullus locus scientiæ relinquitur, cum interim res multæ comprehendi possint scientia. Similis etiam ratio eorum est quæ in sensibus cernuntur. Res enim subiecta sensui, sensu antiquior est. Sublata enim re, quæ cadit sub sensum, sensus tollatur necesse est: sensu uero sublato, non tollitur quod sensu percipi potest. Nam sensus & in corpore sunt, & corpus ambiunt. Atqui sublata re quæ sensus mouet, etiam corpus, quoniam in iis quæ sensus mouentia sunt habetur, tollitur. Et si nullum sit corpus, nullus futurus est sensus. Re igitur quæ subiecta est sensui sublata, sensus unà tollitur, sensus autem si subtrahantur, sensus mouentia quæ sunt, minime tolluntur. Sublato enim animali, sensus quidem tollitur, corpus autem quod cadat sub sensum, remanet: ut calida, dulcia, amara,

cateraque

cæteraque omnia quæ sensum mouent. postremo, sensus unà cum eo quod uim habet sentiendi, existit; quandoquidem unà cum animali sensus oritur. Res autem subiecta sensibus, animali & sensu antiquior est, Nam & ignis & aqua & cætera eius generis ex quibus constant animantes, animalibus & sensibus omnibus antecedunt. Sensu igitur id quod sensus mouet, est antiquius.

Cum supra ostenderit uno exemplo consequens, quod iis quæ cum aliquo conferuntur, tribuerat, claudicare, nunc id in omnibus absolute demonstrat. sublato enim animali inquit, nullus locus scientiis relinquitur: in anima enim scientiæ sunt: cum interim res multæ quæ comprehendi scientia possint, per se ipsæ sint: quocirca quæ in sensu sunt, ea prios esse uidentur. itaque cum rem in scientia & re, quæ scientiæ subiecta est, perpenderit, nunc eandem in sensu & sensibili examinat: atque eadem ratione probat, sensibile prius esse, quam sensum. sensibile enim sublatum, sensum simul aufert: at sensus erutus non simul sensibile tollit: sensus namq; in animali sunt: animal est corpus animatum; omne autem corpus sensibile, si sensibile sublatum sit, necessario simul tollitur: corpore sublato, non erit animatum: si animatum non sit, ne animal quidem: animali sublato, nullus sensui locus relinquitur: ergo sensus in animalibus essentiam habẽt: ita sublato sensibili etiam sensus perit, ut iam ostendimus, si quidem sensus omnis in corpore est, & in eo solo consideratur. nam quæ corpora non sunt, omnem sensum effugere: cum neque ipsa in sensum cadant, neque sensum capiant: id tamen non uicissim retro dicitur: neque enim sublato sensu, etiam sensibile adimitur. quam ob rem? nempe quia omne animal est animatum, omne animatum est corpus, non omne uero corpus etiam animatum est: at omne corpus est sensibile. quo fit, ut sublato animali, nihil uetet, quin alia pleraque ut ignis, aqua, terra, dulce, amarum, & cætera similia relinquantur. hac ergo ratione probatum est, sensibilia sensibus ordine naturæ priora esse, quod ea secum sensus tollãt: nec a sensibus sublatis tollantur, & unà cum sensibus introducantur, ipsosque sensus non unà introducant. Cum autem ait, [Postremo sensus unà cum eo, quod uim habet sentiẽdi existit, quãdoquidem unà cum animali sensus oritur,] a maiore argumẽtatur, & ab eo, quod propius ad sensile accedit; a sensibili uidelicet.: sensibile enim est sensibilis sensibile: estque sensibile, quod particeps sensus est. quid ergo causæ est, cur dicat, sensilia antecedere sensum, cum sensibile, hoc est animal, cui propinquior & uicinior est sensus, e sensilibus habeat essentiam, ut ex igne, aqua, & cæteris elementis: quod autem ex aliquo fit, præsertim uero, ut ex materia, posterius est eo, ex quo fit, ordine & naturæ, & temporis: quã ob rem sensus naturæ ordine prior esse sensibili uideretur. hactenus Aristoteles quæstionem produxit, neque dubitationum explicationem adiunxit. dicendũ igitur ad hæc est, ea, quæ cum aliquo conferuntur, duobus modis considerari, uel ut res ipsæ per se absolute: uel ut relatione quadam inter se uinctæ sunt, ut pater, & filius: in his enim si patrem cogitatione complectamur, ut Sophroniscum, si filium, ut Socratem, tunc Sophroniscus erit prior Socrate. quia si hos duos, ut res cõsiderauerimus, Sophroniscus erit certe prior. si uero ut patrem, & filium, profecto relatione quadam inter se uincti erunt nullo medio intercedente. eadem est sciẽtiæ, & eius, quod sub scientiam cadit, ratio: si ut res consideres, quod cadit sub scientiam, prius est, quam scientia: si ut relationem, simul ambo constant. neque enim quidpiam scientiæ subiicitur, nisi de eo scientia sit: uelut astra quæ sunt subiecta scientiç, si ut res intelligantur, priora erunt, quam scientia, quæ in eis uersatur: at si considerentur, prout cum aliquo conferuntur, hoc est, ut cadunt in scientiam, ea simul cum sua ipsorum scientia erunt: quandoquidẽ nõ caderent sub scientiam, si eorum scientia non esset, a qua etiam paronyme nominantur. quanam enim re sciri possent? nã quod scientiç subiectum est, ita dicitur, quia scientia potest comprehendi. ergo si non sit scientia, quomodo illa nomen ex eo quod non sit unquam trahent? sed ut res, erunt, ut subiecta scientiæ, non erunt. eadem de sensu & sensili dicenda sunt. Præterea cum res partim sint potestate, partim actu, ac potestate quidem, cum nondum sunt, esse tamen possunt; actu uero, cum naturalem uim actu sunt consecutæ. actu autem ut grammaticus, qui perfectus est in ea cognitione, neque ei in ea quicquam desit: potestate uero, ut puerulus, cui innata facultas est, ut grammaticus fiat. atque in omnibus iis, quæ cum aliquo conferuntur, ut alterum affectum est, ita & reliquum erit: si alterum actu erit, etiam alterum erit actu: si potestate, alterum quoque erit potestate. cum igitur quod in scientiam & sensum cadit actu sit, tum scientia & sensus actu erunt. si item priora erunt potestate, etiam posteriora potestate intelligentur. Si igitur quispiam Lunæ defectionem ante Thaletem sciri posse animaduerterit, tum hæc ipsa defectio potestate sciri poterat, & non actu sciebatur: & huiusmodi scientia omnino potestate prius intelligetur: si enim ante Thaletem Lunaris defectionis scientia potestate non fuisset, profecto nunquam sub ipso ad actum esset perducta: propterea quod id, quod non habuit prius facultatem, ut fieret, postea fieri nullo pacto potest. ut enim equus, qui ea facultate caret, ut grammaticus fiat, nunquam actu grammaticus erit, ita si ante Thaletem scientia lunariis defectionis potestate non fuisset, certe neque sub Thalete ad actionem deuenisset. cumque Thaletis temporibus scientia defectionis re ipsa inuenta sit, etiam Lunæ defectio quæ scientiæ subiecta erat, eo redacta est, ut re ipsa sciri queat. quod idẽ in sensu & in sensili dici poterit. Nunc autem orbis quadratum si inueniri nunc potest, planum est id potestate sciri posse: eiusque scientia potestate erit. at si nunquam inueniri ab hominibus potest, neque etiam potestatem habet, ut sciatur. sed est quidem, ut res, sciri uero ne potestate quidem potest, ut neque etiam arenæ numerus sciri ab hominibus potest. Hac etiam ratione explicamus eam quæstionem, qua iureconsulti nos urgent. illi enim seruum sine domino reperiri aiunt, ut si quis moriens, testamento suo ita caueat, si ille hoc fecerit, seruum hunc meum & familiarem habeto, ecce hoc loco inquiunt, usque dum hęres mandatum non exequitur, seruus sine domino est. dicimus ergo actu & potestate hanc quoque controuersiam explicari. nam neque ille dominus actu est; neque hic seruus: sed uterque potestate. ubi uero hæres mandatum confecerit, dominusque actu sit, tum relictus familiaris, actu seruus factus erit. quam ob rem uera oratio est, ut quæ cum aliquo conferuntur, in rebus omnibus simul natura sint.

Sed hoc loco quæstio quædã existit, nullane essentia, id quod uidetur, in iis sit quæ cum aliquo conferuntur, an id fieri poßit in nonnullis secundis substantiis. Nam id quidem uerum est de primis substantiis: quippe cum nec tota, nec partes primarum naturarũ ad aliqua referantur. Nec enim aliquis homo, cuiuspiam homo dicitur: neque hic uel ille bos, alicuius certus bos. Similis est ratio partium. Manus enim aliqua, non appellatur alicuius certa manus, sed alicuius manus: & caput quoddam non cuiuspiam quoddam caput, sed alicuius caput uocatur. Quod idem in secundis eßentiis contingit: ut homo cuiuspiam homo non dicitur: nec bos, bos alicuius, nec lignum alicuius lignum, sed alicuius poßeßio. Atque id quidem perspicuum est, hæc talia omnia in iis non esse quæ cum aliquo conferuntur. De quibusdam autem secundis essentiis quæstio est: ueluti caput, alicuius caput: & manus, cuiuspiã manus dicitur: itẽq; cætera generis eiusdem. Videntur igitur hæc in iis esse quæ cum aliquo conferuntur.

Cum definitionem, qua ueteres ea, quæ ad aliquid referũtur, explicabant, absoluerit, eamque quoad maxime potuit, defenderit, deinde consequentia eorum exposuerit, sit autẽ suam ipse definitionem in medium allaturus, prius incipit hoc loco absurda redarguere, quæ ex ueterum definitione consequuntur, absurdum autem est, partes secundarum substantiarum ex ea quæ allata est, definitione in iis reperiri, quæ cum aliquo conferuntur. hoc est substantiam esse accidens. nam ex decem categoriis, ut dictum est, una substantia est: reliquæ nouem, accidentia. inter quas categorias

una est eorum, quę ad aliqua referuntur. ergo si partes substantiæ sunt ad aliquid, certe patet, eas esse accidentia. si partes sunt accidentia, totum quoque necessario tale erit: si quidem ex partibus totum consistit: ita ergo substantia erit accidens, quo quid absurdius? Substantię autem diuisio nobis huiusmodi traditur hoc loco: substantia uel uniuersalis est, uel particularis; uel totum, uel pars. ex his quatuor sectionibus sex coniugationes oriuntur: quarum duæ, ut sæpe iam dictum est, non cohærent, quę contraria coniungunt: cum idem non possit eadem ex parte esse & uniuersale, & particulare: & totum & pars: cæterę quatuor constant, subalternæ inquam, & aduersę, uel enim uniuersale toti coniunctum, hominem simpliciter facit, qui etiam uniuersalis est: siquidem dicitur de indiuiduis, eaque continet, & est totum quid: cum totum quiddam sit suarum partium, ut animalis, & rationis participis: uel adiunctum parti facit partem uniuersalem, ut simpliciter caput, simpliciter manum: sunt enim caput, & item manus uniuersi generis, quia de omni capite particulari, & de singulis manibus dicuntur. pars uero caput appellatur, & manus, quia est una quędam propria pars animalis. particulare uero toti additum, aliquem hominem facit, ut Socratem. qui particularis nomine appellatur, quia de nullo dicitur: totius uero, quia proprias partes complectitur: uel particulare parti coniungitur, & aliquod caput, aut aliquam manum facit, ut Socratis caput, aut manum. pars autem a particulari differt, quia particulare multis, pars uero uni soli conuenit. ex his inquit, nemo est, qui tres putet esse ad aliquid: una uero, quę est partis uniuersalis, ut caput, aut manus, quatenus exposita eorum quę sunt ad aliquid definitio est, uideri potest ad aliquid referri. atque id quidem inquit perspicuum est, primam substantiam non esse ad aliquid. neque enim Socrates alterius cuiuspiā esse Socrates dicitur: sed neque etiam huius substātiæ pars, hoc est pars particularis, ut quędam manus ad aliquid referri uidetur. nemo enim dicet aliquam manum esse alicuius aliquam. esset enim id ridiculum. at neque etiam pars secundæ substantiæ, quæ uniuersale, totumque coniungit, ut homo simpliciter. nam nemo dicit, homo alicuius est homo, nec bos alicuius bos: sed bos alicuius possessio dicitur: & homo. at ut homo cuiuspiam homo, aut bos, bos alicuius, nō itē. ea igitur solū, quę uniuersale & particulare coniungit, ad aliquid referri uidetur, ex ea definitione, quę iis quę sunt ad aliquid tributa est: ea est, ut simpliciter caput, & manus. nam caput alicuius caput dicitur, & manus alicuius manus. ac mihi quidem particulare, & pars ad aliquid referri uidentur: quoddam inquam caput, & quædam manus: si expositę definitionis ratio habeatur. Si enim ea ad aliquid referri dicuntur, quorum uis omnis aliorum esse dicitur, nō solum pars uniuersalis, ut manus simpliciter & absolute; dicitur esse hominis simpliciter & absolute, sed etiam quędā manus cuiusdam esse hominis dicitur: siquidem hanc esse Socratis manum dicimus. hocque dicendi genus non modo frequens est hodie, sed eo etiam pleni sunt ueterum libri: dicimus enim, manu mea scripsi: huius manum, aut huius caput percussi: illius hoc caput est, hæque manus: &, Aegei manus illę. &, Contremuere p. des fœcundę sonibus Idę: &, At Iouis haud caput anouit: ex quo fit, ut particulare & pars alicuius sit pars: ergo ad aliquid refertur. At uero quod absurdum ex dictione sequi uidetur, habet faciles explicatus. neque enim necesse est dicere, aliqua manus est alicuius aliqua manus: quia neque uniuersalem manum alicuius uniuersalis manum, sed hominis manum dicimus. ita etiam aliquam manum alicuius dicimus, ut Socratis, sine ulla determinatione adiuncta. ex quo fit, ut duę partes propositæ descriptionis, ut pars uniuersalis, & pars particularis, ad aliquid referantur: accideteque, ut ante docui, substantiam esse accidens. hoc igitur absurdum, quod ex definitione quæ tributa est iis, quæ cum aliquo conferuntur, partes inquam substanciarum nō esse ad aliquid, uel explicari prorsus non potest, uel certe difficulter. itaque definitionem expositam refellit ea probandi ratione, quę ad absurdum perducit: quæ sane fit, cum aliquid probare nolentes eius oppositum sumamus, & ex eo absurdi aliquid sequi demonstremus: tum ex illo concludamus, ideo consecutum esse absurdum, quia falsa propositio sit data: siquidem nulli ueræ propositioni absurdum comitetur. si ergo hæc falsa est propositio, sequitur ueram esse eam, quæ huic opposita est: ut hoc exemplo res demonstrabitur. si uelimus ostendere, animum immortalem esse, capiemus propositionem huic cōtrariam, ut dicamus, anima mortalis est: tum ex hac absurdum sequi ostendemus: ut postea quod ei contrarium est, cōfirmemus. si enim anima mortalis est, non erunt apud inferos iudicia: sed uita usque ad eum terminum, quem nos intuemur, perdurat, & animus unà cum corpore perit: neque erit bonorum operum compensatio, neque malorum pœna. nam cum plerosque bonos uiros in angoribus ac molestia uitam omnem traduxisse uideamus, multos uero scelestos in summa gloria & rerum copia uitam finiuisse, neq; post hāc uitā ulla futura sit de rebus in uita gestis q̄stio, profecto, hisce terminis humana uita inclusa est, nec quisquam paria meritis, atque ita nulla erit prouidentia. si enim sub principe bono, in ciuitate omnia recte, & ordinē geri conspicimus, & uiros probos donis atque honoribus, ac dignitatibus decorari, malos uero infamia notari, & pœnis affici uidemus, quanto magis cum Deus ex substantia sit bonus, atque uno obtutu cūcta cognoscat, atque prouideat, nihil in rebus humanis absurdi fiet? atqui sublata rerum in uita gestarum disquisitione nulla prouidentia est. hoc uero absurdo quid excogitari magis impiū potest? si enim prouidentia non sit, nihil in rerum natura ordinatum erit. nam quod citra prouidentiam fit, inordinatum est, perinde casu ac temere feratur. non esse autem uitam nostram casu & temere, & sorte institutam, uel ex hoc patet. quæ enim casu, & fortuna eueniunt, cum rarissima sunt, tum uero etiam ex aliis consequuntur: ut casus ex motibus naturalibus, fortuna ex cōsilio consequatur: ut desuper cecidit lapis, cum impetu naturali deorsum ferretur: is terræ allisus, ac partibus circa eminentibus confractis, ad sedendum accōmodatus factus est: quod is ad sedendum aptus sit factus, casu dicitur euenisse: quia id consecutum est ex motu naturali, quo lapis deorsum latus est. ut autem lapis ad sedendum idoneus reddatur, raro euenit. itemque equus siti enectus in bello, cum dominum deturbarit, ad bibendum currit: tum commisso prælio, ac domino cum omnibus cæso seruatur. is autem casu seruatus esse dicitur. sed raro equus in bello herum deiicit, atque ita seruatur. quod autem a Fortuna fit, id quoq; raro fieri uidetur, & eos motus, qui consilio geruntur, consequitur. ut si quis lauatum, aut Deos oratum iuit, ac librū, quem diu perquisiuerat, uenalem reperit, & coemit: id fortuna fieri dicitur. neque enim ex ulla prouidentia id fecit, neque locum adiens, ubi libri uendi solent, librum emit. atque id rarissime usu uenit. quam ob rem quæ casu & fortuna eueniunt, rarissime contingunt: at quæ ex arte, & natura, & uno uerbo, quæ ex prouidentia fiunt, ea plerunq;, immo uero prorsus fiunt. plerunque enim faber finem suum consequitur, & ędificator potius, quam ut ab eo frustrentur: ac medicus frequentius sanat, quam secus: sique pari numero sanaret, ac non sanaret, nemo eum ad se uocaret: ac multo ēt minus, si paucioribus bonā ualetudinē restitueret. natura quoq; infantē sæpius digitis quinque, quam sex, facit, quod cum facit, id ex materię nimia copia prouenit. Luna vero in congressu Solis semper minuitur: in discessu, augetur. Sol in capricorno consistens semper brumam facit: in cancro uero, solstitium æstiuum: neque hic ordo unquam mutatur. ignis quoque semper in sublime fertur, aqua deorsum fluit: similique modo in omnibus naturalibus atque artificiosis, & omnino in iis, quæ ex prouidentia gerūtur, semper, vel certe plerunque id fieri, neque unquam contra euenire conspicimus. quare nec mundus, neq; eius partes casu reguntur. sique mundus casu non constat, neque eius item partes, perspicuum est, eum causam habere quandā, quę ei præsideat, & ea, quæ hac mundi sede continentur, concinno ordine disponat, quam nos prouidentiam appellamus. si prouidentia est, quisque pro meritis necessario remunerabitur. si id uerum est, multos autem, ut paulo ante dixi, uidemus, qui contraria iis, quæ ipsi gerunt in uita, sustinent, ut ex iis quæ apparent, iudicari potest. non igitur huius uitæ spatio terminata est hominis uita. ergo post

hanc

hanc vitam quędã omnino erit de rebus in uita gestis disquisitio: in qua prouidentia unicuiq; pro dignitate retribuet. id si sit, ęterna anima est, nec vna cum corpore corrumpitur. maneat enim soluta corpore, nec corrumpatur necesse est, vt post hanc vitam pręmium pro dignitate consequatur. Vide hoc loco, quomodo animam immortalem demonstrare cupientes, huius contrariam propositionem posuerimus, qua dicitur, anima mortalis est, & aliquid absurdi hoc est, nõ esse prouidentiam, ex ea sequi probauerimus: neq; ita esse illam immortalem cõfirmauerimus. si enim absurdum ex eo sequitur, quod animam esse mortalem dicimus, & ex vera propositione nihil sequi absurdum potest, certe illa falsa est, vera autem illius contraria, quæ animum esse immortalem ait. quod enim vero opponitur, id necessario falsum est. atq; hæc quidem est probandi ratio, qua quis urgetur incõmodo, qua philosophus vtitur. ipse enim formare quæ ad aliquid referuntur vult, quod aliorum sint. itaq; huius contrarium, & quod alijs probetur, nunc ponit, quod in eo est, vt illorum forma constet ex eo, quod aliorum dicantur. id ipse ponit, & quod absurdum consequatur, declarat. id autẽ est, partes secundarum substantiarum ad aliquid esse: siquidem ipsæ quoque aliorum esse dicuntur. itaque hanc, ut falsam, opinionem improbans, suam ipse confirmat: & concludens ad hunc fere modum quæ dicta sunt, ait,

Ac si satis explicata perfecteq; tradita eorum est definitio quæ cum aliquo conferuntur, profecto aut magni negotij est, substantiam nullam in hoc genere esse docere, aut certe id fieri non potest. Sin secus, suntq; ea quæ cum aliquo conferuntur, quorum omnis natura in eo posita est, vt ad aliquid affecta sint, certe aliquid quod contra hæc valeat, afferatur. Et quanquam prior definitio in omnia ea valeat quæ cum aliquo conferuntur, tamen non idem est quicquid hæc ipsa sunt, aliorum dici, quod in ijs esse quæ cum aliquo conferuntur.

Ait autem hoc magni negotij esse, quod defendi quodam modo posse uideatur. definitio enim erat, ut eorum uis omnis aliorum esse diceretur. ergo si caput ad aliquid refertur, id non facit, quia caput sit, aut corpus, sed in eo, quod pars. nam pars, totius pars est. attamen hoc uerum non est. neque enim caput in eo quod pars est, alterius esse dicitur, sed ex hoc ipso, quod caput sit. quare fit, ut partes substantiarum cum aliquo conferantur, ducta ratione eius definitionis, qua dictum est, ea esse ad aliquid, quorum uis omnis aliorum esse dicitur. caput enim alicuius caput dicitur: ita definitio iam exposita eorum, quæ sunt ad aliquid, hoc effugere incommodum non potest. quæ sane causa eum impulit, ut cum dixisset, permagni negotij esse, addiderit, aut certe id fieri non posse, ut hoc absurdum excusari non posse demonstraret. [Sin secus, inquit, suntq; ea quæ cum aliquo conferuntur, quorũ omnis natura in eo posita est, ut ad aliquid affecta sint, &c.] Nunc propriam eorum, quæ cum aliquo conferuntur, definitionem affert, & ait, sin secus, id est, si non satis, & perfecte, tradita est definitio eorum quæ cum aliquo conferuntur, a ueteribus, sed ea sunt huius generis, quorum natura omnis in eo posita est, ut ad aliquid affecta sint: id est, quorum consistentia in eo est, ut cum aliquo relationem quandam suscipiant, certe aliquid inquit, contra hæc afferetur. sed contra quæ dixit fortasse afferri aliquid posse? cõtra inquam eas dubitationes, quæ allatæ sunt, quoniam partes quoq; substantiarum esse ad aliquid opinantur. si uero definitio hæc, quam modo explicauimus, tradatur, prædictis occurrere absurdis facile poterimus. quomodo uero occurri eis possit, ipse subiunxit. [Et quanquã, inquit, prior definitio in omnia ea ualeat, quæ cum aliquo cõferontur, tamen non idem est, quicquid hæc ipsa sunt, aliorum dici, quod in ijs esse, quæ cum aliquo cõferuntur.] neq; enim si quid alterius esse dicitur, huius iam essentia in eo est, quod ad alterum dicatur. nam si quid est alterius, id etiam alterius dicitur: non tamen si quid dicitur alterius, iam etiam id alterius est: pater enim qui filij pater est, in eo essentiam habet, quod sit filij pater: & tamen pater etiam filij dicitur. caput uero animalis caput dicitur, nõ tamen essentiã quoq; in eo habet, quod animalis dicatur: quia licet præcidatur, tamen animalis caput & dicitur, & est. at pater a filio seiunctus, neque pater est, neque ad filium relatus dicitur. quare merito factum est, ut dixerit priorem definitionem consequi ea, quæ cum aliquo conferuntur: ut uero posterior consequatur priorem, fieri non posse, id quod uel Homerus ipse docuit, cum ait,

„ Posthac non humeris fixum caput insit Vlyssi,
„ Nec me Telemachi patrio quis nomine donet.

Cum enim amplius pater nõ sit, cũ ipse iam non sit, neq; etiã pater uocari potest. quapropter ex eo quod quid est, sequitur, ut etiã dicatur, nõ tamen uicissim, ut quod dicitur, etiam sit. si ita est, fiet, ut partes substantiarũ, quę aliorũ esse dicuntur, non propterea sint in ijs, quæ cum aliquo conferuntur. Quęrendũ est, quare in definitione eorũ quæ cũ aliquo conferuntur, sumpserit etiam ea quæ cum aliquo conferuntur, his uerbis, ut ad aliquid affecta sint: & tamen in definitione non sumendum est id, quod definitur. ad hoc respondemus, ac dicimus ea, quæ cum aliquo conferuntur, duplicia esse. nam & res ipsæ uocantur ad aliquid, in quibus rebus relatio uersatur: & ipsa itidem relatio, ut etiam categoria Vbi, & categoria Quando. hæ nanq; res significant, hoc est substantiam, & locum, & tempus: & ipsam nudam relationem, qua substantia ad tempus, aut ad locum affecta est. cum igitur res apertiores sint, quam relatio, ut pote quæ sub sensum cadunt, ideo factũ est, ut eas in definitione sumpserit, ut ex ijs quæ clariora & notiora sunt, doctrinã eorũ nobis traderet.

Ex quo perspicuum est, eum qui certo sciat aliquid eorum quæ in hoc genere sunt, etiam illud cum quo confertur, probe intellecturum. Quod etiã hinc intelligi potest. Nam si quis quippiam in ijs esse quæ cum aliquo conferuntur sciat (est autem idem vis & natura eorum quæ sunt in hoc genere, quid ad aliquid quoquo modo affectum esse) illud etiam sciat necesse est, quam ad rem id ipsum quoquo pacto sit affectum. Nam si quam ad rem illud affectũ sit quoquo modo, prorsus ignorat, ne illud quidem intelliget, an ad aliquid affectum sit quoquo modo. Atque id in rebus singulis perspici potest. Vt si quis hoc vel illud certo sciat duplum esse, is continuo cuius id sit duplum probe nouerit. Si enim nullius eorum quæ certa sunt & definita, duplum ipsum nouerit, ne illud quidẽ an sit duplum prorsus intelliget. Itemq; si certo sciat quispiam hoc vel illud esse melius, idem quo illud sit melius statim probe intelligat necesse est. Illud autem haud improbe noscet, id esse deteriore præstantius. Opinio enim hæc est, nõ scientia. Non enim iam certo sciet, deteriore melius esse: quoniam si res ita ferat, nihil eo sit deterius. Quapropter illud quidem perspicuum est, si quis probe norit aliquid eorum quæ cum aliquo conferantur, eum necesse esse illud etiam probe nosse, cum quo conferatur. At vero caput, manum, & cætera eiusdem generis, quæ sunt in essentijs, ea quidem quicquid sunt quispiam certo sciat necesse est: id vero cum quo conferantur, non necesse est. Cuius enim hoc caput sit, cuiusq; hæc manus, cognito capite, cognitaq; manu, certo sciri non potest. Non sunt igitur hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur. Quòd si hæc non sint in ijs quæ cum aliquo conferuntur, certe vere dicitur, substantiam nullam in numerum eorũ venire quæ cum aliquo conferantur. Quanquam autem difficile est, aliquem qui in his non sit multum diuq; versatus, de his talibus certum aliquid affirmare, tamen singillatim de eis quæstionem ponere, magnæ vtilitatis est.

Explicata propria atque sua eorum, quæ cum aliquo conferuntur, definitione, ex ea more geometrarum corollariũ quoddam cõcludit. appellant autem illi corollarium, quod cum alterius rei demonstratione simul prodit in lucem: ut nobis paulo ante animi immortalitatẽ inquirentibus simul etiam esse prouidentiam apparuit. ita hoc loco ueram definitionem eorum, quæ sunt ad aliquid inuestigantibus hoc

etiam

etiam simul apertum est, eum qui certo sciat aliquid eorum, quæ cum aliquo conferuntur, etiam illud cum quo cõfertur, certo esse intellecturum. cumq; non certo sciat alterũ, neq; etiam certo esse alterũ intellecturum. nam si quis sciat [Sophroniscum patrem esse, is etiam Socratem esse filium sciet. si uero Socratem non norit, ut filium, profecto neq; etiam, vtrum Sophroniscus pater sit, cognouerit. contra hæc nonnulli aiunt, si quis totũ corpus occultarit, capite tamen, aut manibus nudis sit, in eo posse partem hoc est caput, aut manum certo sciri, quia partẽ esse prorsus cognoscimus, cuius tamen pars sit, ignoramus. ergo nõ fit, ut qui unum eorum, quæ cum aliquo conferuntur, certo scit, etiam alterum certo sciat. respondemus, nos illa certo scire, vt caput, & vt manum: vt partem vero, non certo, sed incerte: quia cuius pars sit, nescimus. ut enim hoc nõ certo nouimus, ita etiam cuius pars sit, non certo scimus, quanquam hoc etiam intelligi potest, additum esse, vt dubitationes, quarum facta supra mentio est, explicarentur. cum enim diceret quædam eorũ, quæ cum aliquo conferuntur, inueniri, quæ simul natura non sunt, siquidem quod scientiæ subiectum est, prius est scientia, & sensile prius est sensu, ordine naturæ: quandoquidem inquit, fere scientias comparamus, cum res prius extiterint, id nunc dissoluens ait, si quæ ad aliquid referuntur, sunt, quorũ essentia in eo posita est, ut ad aliquid affecta sint, necesse est, ut unum eorum affectum sit, ita etiam alterum affectum esse: quam ob rem si scientia potestate sit, etiam quod scientiæ subiiciatur, potestate intelligatur: siq; alterum actu, etiam ita reliquum sit: qua de re satis iam locuti sumus. [Itemq; inquit, si certo sciat quispiã, hoc esse melius, idem quo illud sit melius, statim certo intelligat necesse est. illud autem nõ incerte cognoscet, id esse deteriore præstantius: opinio enim hæc est, non scientia: non enim iam exquisite sciet, deteriore melius esse.] qui enim aliquid esse melius nouit, is etiam certo scire debet illud & melius esse, & qua parte sit melius. nisi enim norit, qua parte sit melius, profecto ne melius quidem illud esse cognorit. quomodo enim id sciet, si differentiam, per quam illo melius dicitur, ignoret? [non cognoscet inquit illud incerte, id esse deteriore melius, quiã opinio hæc est, non scientia.] opinionẽ uocat hoc loco obscuram, & infirmam quandam cognitionem, ac ueluti opinationem: scientia uero cognitio est errore uacans, & existimatio quæ refelli non potest, quocirca qui norit non certo hoc esse deteriore melius, & non scite, is quasi cognitionem errorum plenam sit consecutus, omnium quoque deterrimum, materiam inquam, cum qua parte, & quã re præstantius illud sit, differentiam ignoret: suspicari poterit, esse re aliqua præstantius: quod absurdum est. His ergo probat manum, caput, & partes omnes substantiarum, quæ ipsæ quoq; substantiæ sunt, ad aliquid non referri: si quidem ipsæ certo sciri possunt, quorum uero dicantur, certo cognoscere necesse non sit. ad aliquid enim referri dicuntur, quorum qui unum norit, ita etiam alterum noscat necessario. Ita fit, partes substantiarum ad aliquid non referri. [Quanquã autem inquit, difficile est, aliquẽ qui in his nõ sit multũ, diuq; uersatus de his talibus certum aliquid affirmare, tamen singillatim de eis quæstionem ponere, nõ inutile est.] philosophice admodum hæc pronunciauit. quia enim dixit, manum & caput, ut substantiam, certo nosci: ut partes uero, non certo, nisi quis cuius manus, & cuius caput sit norit, ideo ait, eum qui non sit in his ualde exercitatus, non debere certum aliquid de eis affirmare: ac non solum de his, sed etiam de rebus omnibus: esse tamen necessarium hæc in dubium reuocare: si quidem dubitatio est facultatis principiũ, & quædam quasi ad disciplinã percipiendam uia. Hæc ideo ab eo dicta sunt, ut nos moneat, ne in ipsius solum dictis immoremur, & sententijs conquiescamus, sed ut nos quoque ea, quæ huius generis sunt, per nos indagemus, neque ab alio ad id faciendum impellamur.

DE QVALI ET QVALITATE.

Qualitatem autem voco, ex qua quales aliqui nominantur. Qualitatis autem genera sunt plura.

Quærimus hoc etiam loco, quis ordo qualitatis sit, quæ causa inscriptionis, quæ qualitatis diuisio, & quo ordine partes diuisionis statuendæ sint: ac primum de ordine agendum est: hic autem ex ijs, quæ dicta sunt, est perspicuus: diximus enim tractationem qualitatis ideo anteponendã esse ijs, quæ cum aliquo conferuntur, quod ipsa per se consideratur, quæ uero sunt ad aliquid, habent essentiam in eo, quod affecta ad aliud sunt, ea autem, quæ per se constant, ijs quæ per se non habent essentiam, præstantiora censentur, præterea sublata qualitate, etiam ea quæ cum aliquo conferuntur, quæ in qualitate uersantur, simul tollentur, ut candidius, calidius, doctor & discipulus, & quæ sunt generis eiusdem, at si quæ cum aliquo conferuntur, tollantur, nihil uetat omnem superesse qualitatem. diximus enim ea, quæ ad aliquid referuntur, propriam omnino consistentiam nõ habere, sed alijs categorijs aduenire: ueruntamen quia, ut diximus, in quantitate explicanda mentio facta erat eorũ, quæ cum aliquo conferuntur, ideo illa statim declarari necesse erat, ne diutius eorum uim, atque naturam ignoraremus. atque hæc quidem de ordine. Sed cur duplicem inscriptionẽ esse noluit, de quali & qualitate, & non simplicem, ut in cæteris categorijs fecit? Dicimus aliud esse quale, aliud qualitatem. est enim qualitas ipsa uniuersalis qualitas, a qua res quæ participes eius sunt, ducto inde nomine appellantur: ut uniuersalis candor, & nigror: quale uero est corpus quod qualitatem ipsam capit, & tracto inde nomine sic uocatur, ut album corpus, aut calidum. qualitas ergo sola mente comprehenditur: quale uero sub sensum cadit. itaque cum duplex sit nomen qualitatis, uel ut ipsum per se, & mente sola comprehensum, quale est genus ipsum qualitatis: uel ut sensu percipitur, ideo duplicẽ ipse indicem adhibuit. sed prius statuit quale, propterea quod notius est, ut pote quod sub sensum cadit: doctrinæ autem initium semper est a notioribus ducendum. sed possumus etiam aliter exponere, ut dicamus, qualitatem esse quale; nam quale communius & de quali & de qualitate dicitur: itaque qualitas dici quale potest: quo etiam pacto nomen communiter de nomine dicitur & uerbo. quamuis enim de quali differat, non tamen de eo primum & præcipue loquitur, sed per qualitatem, ut quæ de ipsa dicuntur, quia ex notioribus trahuntur, clariora & apertiora sint. Qualitatẽ in quatuor species distribuit, quarum prima continet habitum & affectionem: secunda uim naturalem & imbecillitatem: in tertia uersantur patibiles qualitates & perturbationes: ad quartam pertinent forma & figura. atque ut intelligamus, quare solum quatuor sint qualitatis species, nec plures, nec pauciores, & quare hoc eas ordine disposuerit, quandam qualitatis diuisionem afferemus. qualitas igitur est uel in potentia, uel impotentia, uel actione: potentia uero, ut puellus potentia grammaticus est: impotentia, ut equus, qui nõ habet eam facultatem, ut grammatica imbuatur. si actione qualitas sit, ea uel ad perficiendum, uel ad uitiandum, subiectum, uel ad neutrum horum faciendum pertinebit: si perficiat, aut uitiet, ea uel afferet sensibus nostris perturbationem, uel non. si non afferat perturbationem, & difficulter amittatur, habitus: si facile auellatur, affectio nominabitur: ut perficiens, actione, & nullam afferens perturbationem sanitas est, & animi uirtus: deprauans autem, morbus & uitiositas. Sanitas enim & virtus cum subiectum perficiunt, propterea quod secundum naturam sunt, & perturbationem non gignunt: siquidem in nullum sensum cadunt: quæ uero ex sanitate consequuntur, ipsa quidem sensibus percipiuntur, ut bonitas coloris: uel pallor qui ex morbo, qui uitiandi uim habet, sequitur. ipsa tamen sanitas & morbus, & cætera huius generis sensu nullo percipiuntur. si uero huiusmodi diuturna sint, & amitti ægre possint, habitus appellantur. dicimus enim quempiam in habitu uirtute, aut uitio eruditum, & integra ualetudine aut aduersa uti. quo circa bono quoque habitu frui dicimur, tum, cum bona ualetudo integra uiget. Sed morbus quidam ex habitu, qui ἕξις dicitur, hecticus nominatur: & malo habitu correpti alii dicuntur, cumque eadem breuia sint, & facile abiiciantur, affectiones nuncupantur. hoc autem esse primum genus qualitatis, hoc est habitum & affectionẽ, dixit. porro uocant habitum qualitatem permanentem, & qui amitti difficulter queat: affectionem uero, quæ auelli facile possit. hac igitur

ratione

ratione adeptum artis dicendi habitum dicimus eum, qui non solum viam & rationem, qua ars dicendi traditur, perceperit, sed qui possit iis quæstionibus, quæ contra eum ponantur, resistere. at eum qui diu, multumque non sit uersatus, nec rhetoricarum præceptionum cognitioné perceperit, & tameo sit qualitate illarum modo quodam imbutus, nõ habere habitũ quidem, sed affectum quodam modo ad rhetoricam artem dicemus. Atqui nonne habitus affectio est? qui enim habitu prędìtus est, is multo facilius affectionem possidet. est autem tum vniuersalior, tum particulatior affectio. atque is qui affectus est, quodammodo ex ipsa afficitur. nomen enim affectionis duplex esse dicimus: & quod generalius est, quod etiam de habitu dicitur, & quod specialius, quod ab habitu ex aduerso distinguitur. hic uero affectionis nomen sumpsit non generale, sed speciale: quæ ab ipso habitu ex altera parte distinguitur. Sciendum uero est, nomen habitus in eisdem dici, in quibus boni habitus, nomeo fertur. bonus habitus eoim est ipsius habitus intentio. ergo si boni habitus nomine in solis animatis uti consueuimus (nemo enim ignem booo habitu in calore, aut niuem in frigore esse dixerit) certe fit, ut etiam nomen habitus in solis animatis dicatur. Si vero qualitas, quæ in actione est, valeat ad perficiendum, aut nitiandum, afferatque nostris sensibus perturbationem, patibilis qualitas nominabitur: utpote quę pert urbationem in sensus nostros inuehat. ad perficiendum uero pertinebit, ut calor in igni: uel ut in melle dulcedo: ad vitiandum vero, ut in uino aoor, & in fructibus, ac cęteris corporibus putredo. ualere autẽ hæ ad perficiendum merito dicuntur, siquidem ex ös & mellis & ignis species efficiuntur: illę uero ad vitiandum, quia subiectam rem corrumpunt: omnes tamen perturbationẽ sensibus nostris afferunt. verum hę, quę inquam ad perficiendum ualent, non ut a perturbatione oriri dicuntur, cum non fiant ex vlla subiecti mutatione, sed qualitates substãtiales illorum sunt, a quibus etiam illa efformantur. cæterum minime necesse est, hanc partem diuidere in ea quæ difficulter, & ea quæ facile abiiciuntur, ut de superiote diximus: propterea quod illa in solis animatis intelligebatur, in quibus perficientes & vitiantes qualitates adesse & abesse re subiecta eadem manente consueuerunt. quam ob rem factum est, vt in diuturnos & breues fint diuisæ: at hæc pars in iis spectatur, quæ anima uacant, in quibus qualitates tum perficientes, tum corrumpentes subiectum, cum subiectis pariter perdurant. ipsæque corruptæ secum subiecta etiam corrumpunt: simul uidelicet cum subiectis marcescunt: nt in rosa & pomo plane cernimus: quibus odoris, colorisque præstantia corrupta, rem quoque subiectam simul corrumpit. huios etiam generis sunt, quæ ad uitiãdum pertinent: quæ noo secus in iis subiectis, iu quibus uersantur, simul perdurant & simul corrumpuntur: quo in genere uini acor & fructuum, & aliorum corporum corruptela cõspicitur. quod si qua exigui temporis qualitas in iis, quæ uitiantes dicuntur, inueniatur, ut in argento ærugo, eiusmodi fortasse quispiam magis proprio vocabulo perturbationea appellarit, quæ ad qualitaté referantur. qooniam aut qualitas quæ vitiando est, omnino est ei quæ perficiendi vim habet, coniuncta, propterea quod in altera parte subdiuisionis qua perficientes & vitiantes, nec perturbationem efficientes continentur, omnia habet cum perficienti communia: siquidem utraque vel habitus, uel affectio erat, & in solis animatis conspiciebatur: iccirco in altera parte, nempe in ea, quæ proposita est, necessario constituta, omnes illius conditiones est similiter consecuta, neque in diuturnam & breuem diuisa est, neque ideo magis formam suam est nacta, quod perturbationem afferat, quam vt a perturbatione nascatur? ac perficiens & vitians unà sunt constitutæ, ne diuisio multiplex fieret, atque comprehendi facile non posset: atque in easdem sectiones tribui cogeretur. Prætereà si qualitas neque perficiens, neque vitians sit, aut profundum penetrat, aut in superficie manet: si altum penetrat, uel difficulter amittitur, oel facile. si ergo difficulter, patibilis qualitas nominatur, vt a perturbatione excitata: qualis est dulcedo, quæ in iure est, vel innatus alicui pallor. hæc vero oon ita vocatur, quod in sensibus nostris perturbationem gignat, quamuis ipsa quoque id faciat, sed vt a perturbatione excitata: propterea quod ab eo, quod in ipsa maius est, nomine magis proprio eãdem nominauimus. potius enim formam acquirit, quod ex subiecti mutatione fiat, id est ex perturbatione potius, quam quod nostris sensibus perturbationem afferat. si ea adimi facile queat, hoc est si breuis temporis sit, nisi facile amandetur, neque expellatur, perturbatio dicitur, quæ ad qualitatem refertur, vt pallor qui ex diuturno morbo acquisitus est: vel nigror ex longa mora in Sole contracta, atque etiam ad qualitatem pertinent, propterea qđ in eis proprium consequens qualitatis adseruatur, ut res, quę eorum sunt participes ducto inde nomine appellentur. sin facile amandetur, dicetur passio, quæ ad categoriam Pati pertinebit: ut siquis præ timore pallidus fiat, aut præ pudore erubescat. quæ ipse nullo modo qualitates appellari cẽset: causa est, quia qui sunt eorum participes ex eis nomen non trahunt. nemo enim est, qui illum qui pudore erubuit, rubrum uocet: aut eum qui timore pallescit, pallidum. atq; ex his tertium genus oritur qualitatum, quo patibiles qualitates & perturbationes continentur. patibilis inquam qualitas, & vt perturbationem afferens, & vt a perturbatione exorta: & perturbatio quæ ad qualitatem refertur, & passio, quæ ad Pati redigitur: ut patibiles qualitates tria priora sint, pertur batio uero quartum appelletur. at quomodo hæc, vt ruborem, vt pallorem in profundum penetrare dicimus, cum in sola extremitate consideteniur? dicimus hanc in extima parte qualitatem sine internarum partium cõmotione non esse factam: vt enim qui ab eorum ortu sunt rubri, a quadam temperie tales sunt facti, quod maior uis caloris in eis insit, & ad partes extimas sit delatus, ita qui timore aut pudore compulsi pallescunt, aut erubescuot, noo tales fiunt, sine internorum partium commotione. Iam uero si qualitas quę ex actione est, neque ad perficieudum, neque ad corrumpendum pertineat, & in extremitate considat, & in anima vacantibus, & iis quæ cogitatione comprehendimus, fit, figura dicetur: si in animatis, forma. in iis uero quæ cogitatione deprehẽdimus, vt in omnibus mathematicis, ut triangulis, circulis, ac cæteris figuris: quæ omnia in sola cogitatione considunt: anima vero careotibus, ut lignis, lapidibus, & aliis huiusce generis. dico autem cogitatione comprehendi figuras, quę in rebus inanimis fiunt: quæ faciũt, vt in anima hoc vel illo modo pro figurarum uarietate affecta sint: in animatis uero, vt in cunctis animalibus. forma vero in sola superficie consideratur. atqui, nonne statuam appellamus formam? at noo primaria ratione: primo enim dicitur figuram habere; secundo nero, formam. quia enim est simulacrum rei animatæ, in qua forma dicitur, ideo fit, ut de ea quoque per abusum forma dicatur. atque hinc quartum genus qualitatis, vt forma & figura, emanat. descriptio autem diuisionis totam hane pręceptiooem nobis faciliorem reddet. atque etiam cur nec plures, nec pauciores species qualitatis sint, dioisio patefecit. de partium vero diuisionis ordine hæc afferenda sunt. ergo habitui & affectioni primas tribuit, merito: propterea quod hæ qualitates in animatis uersantur: animata autem cæteris præstant omnibus. ideo iure est factum, ut quæ in eis qualitas conspicitur, principem nacta sit locum. sed iure quoque secundo loco constitutæ sunt potentia & impotentia: cum enim potentia & impotentia sit naturalis habilitas quædam, ut puerulus uim naturalem quandam habet, ut grammaticen perdiscat, aut artem rhetoricam intelligat, & equus naturalem ad hęc impotentiam, & igni innata uis est calefaciendi, & cæteris simili modo attributa facultas est, & naturalia post animata in secundo ordine collocantur, iure fit, ut species qualitatis in qua insunt naturalis uis & impotentia, quę in rebus naturalibus spectantur, secundum locum sit sortita. quoniam uero io nobis prius esse naturalis quædam habilitas debet, tum conuenienter illi aut facere aliquid, aut pati, nisi enim prius habilitas quædam existat, nihil quisquã aut faciet, aut patietur, ut quia amiantum caret habilitate adurendi, profecto oe si millies quidem ignem ei admouerit, unquam aduretur: at lignum, cui comburendi uis inest, igne admoto comburetur: ob eam causam in qualitatibus tertias tenebunt patibiles qualitates, & perturbationes s

propterea quod, vt dictum est, nemo conuenienter illis nec faceret quid, nec pateretur, nisi in eo prius facultas quædã existeret, quæ ad illa suscipienda apta esset: at figura atque forma cum in sola extremitate considerentur, vltimum locum nactæ sunt, præsertim cum patibiles qualitates & perturbationes intimas quoque partes pertingant, & hæc satis de ordine partium. Sciendum autem est, vnam eandemque qualitatem multis dici modis posse, vt, exempli gratia, calor qui in igne est, patibilis est qualitas, vtpote quæ nostris sensibus afferat perturbationem: in nobis vero, vt febris, est patibilis qualitas, ut a perturbatione exorta; in ferro igne cãdente, quæ sua ui molle illud reddat: passio dicitur, quæ, ad qualitatem refertur: calor uero in nobis excitatus, quod prope ignem fuerimus, si ita sors tulerit, passio uocatur, quę ad categoriam Pati pertinet. [Qualitatem autem, inquit, uoco, ex qua aliqui quales nominantur.] Cur qualitatis doctrinam nobis per quale tradit? dicimus, ut supra quoque monnimus, quale esse manifestius, utpote quod sensu percipiatur: & omnino a quali ad notionem qualitatis deuenimus, cum enim candorem in lacte, in niue, & gypso intuemur, in candoris notionem adducimur. itemque ubi mel gustauimus, aut palmulas, aut, caricas, ad dulcedinis notionem trahimur. qualitatem ergo quali declarat, quod notius est atque apertius. quod enim ipsum particeps est, quale: cuius particeps est, qualitas nominatur. cur uero addidit, ex qua aliqui quales nominantur? an propter ruborem ex uerecundia, & pallorem ex timore excitatum, qui qualitatis nomen sibi non uendicant: cum neque rubei, neq; pallidi nocentur, qui timent, quique uerecundantur. mutatio enim appellationem anticipat: sed expalluisse, aut erubuisse dicuntur: quod appellationẽ nõ præuenit. hæcque passio non iam ad qualitatem ob eam causam, sed ad Pati redigitur: siquidem non patientes, sed solum passi esse dicũtur. [Qualitas aũt inquit multis modis dicitur.] quomodo ea dicitur multis modis? quo modo scilicet dicuntur ea, quę ab uno, & ad unum: non autem ut uox homonyma. ait igitur multis modis dici qualitatem, quod cum ait, significat qualitatem dici non homonyme, sed uarie: quia cũ dicitur aliquid multis modis, nõ iam illud homonyme, sed uarie ac differenter dici intelligimus, ut hoc loco fit. si enim homonyme dici qualitatem acciperemus, profecto in diuersas significationes facta esset distributio. quia vero multis modis, pro differente intelligendum est, ideo diuisio, vt generis in species est facta. num quid igitur qualitas non est genus? quid igitur causæ est, cur eius specierum alia prima, secunda alia nominetur? dicimus, in eo quod qualitas est, nõ esse hanc primam, illam secundam: sed solum dignitatę, vt etiam hominem & equum, inter se differrę,

Vnum habitus & affectio. Sed habitus hoc differt ab affectione, quod habitus longinquior est & permanentior, quales sunt scientia, atque uirtutes. Scientia enim in iis est quæ permanent diuturnaque sunt, etiam si scientia aliquis sit mediocriter instructus, nisi ui morbi aut alicuius eiusdem generis permagna inciderit mutatio. Eadem est ratio uirtutis. ut iustitia, ut temperantia, & catera eiusdem generis, non facile euelli mutarique possunt. At uero affectiones facile commutari, celeriterque euelli possunt & distrahi: ut calor, ut frigus, ut morbus, ut bona ualetudo, omniaque qua sunt generis eiusdem. Nam & his homo quodammodo afficitur, & celeriter ex calore in frigus cõmutatur, & ex bona ualetudine in morbum. Quod idem in cæteris talibus contingit, nisi aliqua eorum longinquitate temporis in natura habitum sic transferantur, ut uel omnino tolli non possint, aut ægre eiici: quales animi commutationes habitus appellari licet. Illud autem perspicuũ est, ex his in habitibus habenda esse ea quæ diuturniora sunt, quæque permanentiora. Nam qui scientiæ aliquam particulam tenent, non firma memoria, sed exili, in iis habitum esse non solemus dicere, quanquam quodammodo affecti sunt scientia, aut in bonam, aut in malam partem. Hoc igitur inter habitum & affectionem interest, quod hæc facile desistere potest, ille diuturnior est, difficulterq; diuellitur. Habitus uero etiam affectiones sunt, affectiones autem non necesse est uicissim esse habitus. Nam & ii in quibus habitus insunt. iis etiam afficiuntur: & qui affecti sunt, ij non continuo habitibus sunt præditi.

Prima inquit species qualitatis est habitus & affectio. differunt autem habitus & affectio, quod affectio facile amittitur, habitus vero est permanentior: & quia habitus omnino affectio est, at affectio non iam necessario etiam habitus est: [quales, inquit, sunt scientiæ, atq; virtutes: sciẽtia enim in ijs est, quæ permanent, diuturnaq; sunt, etiam si aliquis sciẽtia mediocriter instructus sit: nisi ui morbi, aut alicuius eiusdẽ generis permagna inciderit mutatio.] Scientias vocat hoc loco, non quæ nunquam fallunt, sed absolute artem omnem permanentem: in qua significatione & grammaticam, & fabricam, & cæteras artes sordidas scientias appellamus: propterea quod vnaquæq; earum habitus permanẽs est. tribus autem modis scientia dicitur. nam & quæ subiectum habet errore vacans, quodq; in vno & eodem semper manet statu, scientia vocatur: qua significatione geometria scientiæ nomen obtinuit: itemq; astronomia, & arithmetica: at medicina in hac significatione non est scientia: quia in fluxo subiecto versatur: & quæ ex ijs principijs quæ per se probata sunt, emanat: quæ re vera sciẽtia est: quam etiã, quia ex communibus notionibus fluat, philosophiam uacãtem suppositionibus uocant: quam significationem attendentes, neque geometriam, neque astronomiam, neque ullam huius generis scientiã appellabimus: propterea quod a principiis eiusmodi progrediuntur, nõ quæ per se probata sint, sed quæ probationis indigeant. principia enim geometriæ sunt puncta, lineæ, superficies, & cætera generis eiusdem, quæ singillatim geometra definit: ac punctũ, quod magnitudinem nullam habet, lineam sine ulla latitudine, extremitatem, in qua nulla omnino crassitudo sit, & alia pro cuiusq; ratione. horum uero demõstrationem, hoc est cur punctum partem nullam habeat, aut linea careat latitudine, geometra, in eo quod geometra sit, non nouit: sed hæc omnia demonstrãda ad primum philosophũ transmittit: quippe cum nulla scientia principia sua demonstret. ergo quæ non dicuntur ex principiis per se probatis, eæ non proprie ac uere scientiæ sunt: ut etiam testatus est Plato. cui enim sunt principia, quæ non nouit, media uero & finis ex iis ducta, quorum non habet cognitionem, quomodo in eo esse scientia poterit? est præterea tertia quadam ratione scientia, quæ uiam commonstrat, quæ nouit, quid antecedere, quid subsequi debeat; qua significatione medicina scientia dicitur, & omnis ars, cuius omne opus sit in faciẽdo positum: qua sane significatione nunc philosophus utitur. cæterum uirtutes, nunc perfectas intelligit: eas inquã, quæ & rem esse, & quam ob rem sit, sciũt. Virtutum enim aliæ naturales sunt, ut siquis naturali temperantia sit præditus: uel qui lenes suapte natura sunt: quam uirtutem in brutis quoque reperiri aiunt, ut in turture & cornice temperantia, in ciconia iustitiam: aliæ more perfectæ, quæ & iustitiam, & uirtutem absolute honestũ esse norunt: sed quã ob rem honestũ sit, nesciunt: sed qui sunt iis ornati, id a patribus aut præceptoribus recta opinione imbuti cognoscũt. aliæ sunt ciuiles, quæ & esse rem, & quam ob rem sit, intelligunt: aliæ ad purificandum ualent. purificantes uero a ciuilibus differunt, quod ciuiles in rebus hisce inferioribus uersantur, & honestiores uoluptates consectantur, tẽpusq; & locum, & modum obseruant: at qui pure agunt, ad deteriora conuerti non possunt, uoluptatesque omnino contẽnunt. aliæ præterea uirtutes in contemplatione uersantur. hic autem uti diximus, uirtutes perfectas, ciuiles purificantes, & quæ in cõtẽplatione positæ sunt, intelligit. [Nisi inquit, ui morbi, aut alicuius eiusdem generis permagna inciderit mutatio.] uerisimile enim est, ut qui diuturno in morbo fuerit occupatus, uel in aliis rebus sit uersatus, propter studiũ intermissum scientiam amiserit. At uero inquit, affectiones facile commutari, celeriterque euelli possunt, ut calor, ut frigus, ut morbus, ut bona ualetudo, omniaque

quæ

quæ sunt generia eiusdem: his enim quodam modo affici homo dicitur, non tamen habitum iam esse consecutus; nisi aliqua eorum longinquitate temporis in naturæ habitum sic transferantur, vt vel omnino tolli non possint, aut difficulter eiici, quam sane mutationem quispiam fortasse habitum appellabit, siquidem hæc non affectio, sed habitus vocabitur. dixit autem in habitum naturæ transferri, pro eo quod est in naturam mutari, & naturam effectam, propter longi temporis cõsuetudinem. [qui enim, inquit, leuiter sciẽtias attigerunt, nõ dicuntur habitum comparauisse.] qui enim promptus est in grammatica, aut rhetorica ad respondendum iis quæstionibus, quæ in his ipsis artibus proponantur, quique eorum possit reddere rationem, & dubitationes q̃ existent, ex præparato dissoluere: hunc habitu artis rhetoricæ, & grammaticæ præditum esse aiunt. si vero aliter harũ rerum qualitate sit instructus, hoc est mediocriter, is nõ adeptus esse habitum, sed affectionem quodam modo dicetur. [Habitus vero inquit, etiam affectiooes sunt, affectiones autem nõ necesse est vicissim esse habitus.] Vt enim de nomine & verbo nomen dicitur, & nomen est nominis ac verbi genus, & item nomen est, quod ad uerbi differentiam dicitur; ita etiam habitus & affectionis nomen est: nam affectio est vt genus, quæ de habitu & affectione dicitur, alia est, quę vt species ab habitu distinguitur. quocirca habitus omnino etiam affectio est. quia affectio genus est habitus: at affectio non iam est habitus. quia habitus ad illius distinctionem nominatur.

Alterum genus qualitatis est, ex quo aliquos ad cæstibus contundendum, & ad cursum ualere, alios ad bonam ualetudinem & ad morbos proclives esse dicimus, & omnino ea omnia quæ a ui naturali, aut imbecillitate appellãtur. Non enim ex eo hæc dicuntur, quod affecti sint quodam certo genere, sed quia uim quandam aut imbecillitatẽ eis natura tribuit, qua aptos animos habẽt ad facile aliquid faciendum nihil'ue patiendum. ut pugiles & cursores dicuntur, non ex eo quod affecti sint quodam modo, sed quod natura ualent, aut non ualent ad aliquid facile obeundum. Valentes etiam appellantur, quod uim habeant naturalem ad facile resistendum iis, quæ extrinsecus occurrunt. Imbecilli autem, quod natura nihil ualent ad facile obsistendum impulsionibus quæ extra incidunt. Similis est ratio durorum & mollium. Durum enim dicitur ex eo, quod in eo uis insit quædam innata, impediens quo minus facile secari queat. Molle autem, quod in eo uis ea non insit.

Secunda species qoalitatis est in naturali vi, & imbecillitate constituta est, at cur hoc genus qualitatis appellauit? qualitas enim generalissimum genus est. soluunt hoc modo, genus pro specie dictum esse, ne quis hanc specialissimã esse speciem existimaret. quam ob rem nõ generalissimum genus, sed genus solum Aristotelem dixisse, ut genus esse subalternum, & speciem quatenus ad qualitatem refertur, intelligamus. quo quidem sensu, genus esse substantiæ animal, hoc est sub substantia esse dicimus. Explicat ergo, vt dixi, secundam qualitatis speciem, quæ in potentia & imbecillitate consistit. ex qua aliquos ad cæstibus contundendũ, uel ad cursum, vel ad valetudinem, vel ad morbum procliues dicimus. ait autem ad cæstibus contundendum eos valere, & ad cursum, qui naturam ad aliquid horum habent accommodatam: id est qui vi & potentia tales sunt. primũ autem genus qualitatis in actione, spectatur: vt habitus & affectio, secundum in potentis. aliud enim est, pugilem dicere, aliud valere ad pugnandum; & aliud cursorem, aliud valere ad cursum. nam pugil & cursor actione sunt, valere ad pugnandum, & ad cursum, sunt potentia: siquidem is nõ iam actu talis est, habet tamen naturalem uim, id est habilitatem, vt in talem euadat. qui uero actu est pugil & cursor, is non iam vi naturali talis dicitur, sed vel habitu, vel affectione est præditus. dicimus enim aptum esse infantem ad cæstibus contundendum, qui manus longas habeat, quippe quę ei adiumento futuræ sint, ad summis manibus decertandum: itemque aptum ad cursum, non qui omnium humorũ copia redundet, sed qui firmæ sit valetudinis. Sed quomodo etiam impotentiam nomine qualitatis vocat? nẽpe quia ab ea quodam modo afficimur. quia enim equus hoc, aut illo modo est affectus, dicimus eum non posse imbui scientia. vno verbo in quibus potentia spectatur, in iis etiam impotentia. nam qui potentiam patiendi habet, is impotentiam habet non patiendi: quique non patiendi vim habet, is etiã impotentiam habet patiendi: pugil enim potest facere: potestque non pati sanus. nam pestilentia vagante is non facile corripitur a caussis morbum inuehentibus: nec potest efficere is, qui tardo ingenio, & cõsilio ẽ, de quo ẽt illud fertur.

,, Dilatorem operum nunquam non damna sequuntur.

non potest ignis frigus importare, non potest non calorem afferre. non potest non pati delicatus, aut morbosus grassante pestilentia. potest quidem nõ pati durum. Aliter quoque exponi id potest. quoniam contrariorum idem genus est, si quis hæc vt contraria opponi nelit, certe quo genere alterum contrariorum continebitur, ad idem quoque alterum referetur: si quidem album & nigrum, quæ contraria sunt, in eodem genere qualitatis insunt. si ergo potentia ad genus faciendi pertinet, etiam impotentia ad idem pertinebit. quod, si quis ea statuat contraria, ut sunt habitus & priuationes, profecto is eodem modo ad idem genus ambo referet: cuius enim generis erit habitus, eiusdem esse priuatio dicetur: vt in oculo, in quo & aspectus, & cæcitas dicitur. ad quod ergo genus habitus, ad idem priuatio referetur. [Non enim inquit, ex eo hi dicũtur, quod affecti sint quodam modo:] hoc est, nõ enim tales eos dicimus, quod actu sint, sed quod talem sint nacti potentiam. Tribus autem modis potentia dicitur, nam vel ex eo nominatur, quod quis ad faciendum aptus sit, isque habere potentiam faciendi dicitur: nel ad patiendum, vel ad non patiendum: qua ratione dicimus, valetudinarium ex multa deambulatione aut Solis æstu pati: valentem vero habere potentiam, ne ab iis quicquam patiatur: & fabrum potentiam habere, ianuam fabricandi: quotque modis potentia, totidem impotentia dicitur. nam qui potest pati, is impotentiam habet non patiendi: & qui potest non pati, is impotentiam habet patiendi: non tamen qui potest facere, omnino etiam non faciendi impotentiam. cur autem sicut cum patiendi potentia, etiam non patiendi sumpsimus: ita etiam cum potentia faciẽdi, non assumpsimus, non faciendi? dicimus id factum esse, quoniam quędam res sunt, quę solum vim faciẽdi habẽt, nec habent ad non faciendum: vt etiam in libro de interpretatione Aristoteles dixit, potentiam tum in utranque partem trahi, tum unam solam contrariorũ partẽ cõtinere. ad utranq; uero partem pertinet omnis, quæ in ratione est: quæ vero ratione non progreditur, unam tantum contrariorum partem possidet: vt medicus potest sanare, & pariter non sanare: faber præditus est potentia ianuam construendi, & nihilo minus non construendi. at ignis uim habet ille quidem adurendi, non tamen habet, non adurendi. nix quoque, quę frigoris importãdi vim habet, iã non habet eã, non refrigerãdi: Deus ẽt potestate p̃ditus benefaciẽdi, iam nõ habet uim nõ benefaciẽdi. ac merito quidem, q̃ rationis speciẽ gẽrunt, nim habent in vtranque partem: propterea quod in eis voluntas & potentia non in vnum concurrunt. neque enim quę nolunt, ea etiam possunt omnia: at Deus & volũtatem & potestatem coniunctas habet. si enim uelle eum dicamus, non posse tamen quæ velit, profecto stulta erit voluntas: vt etiam inter homines stultus ille est, qui vult, quæ consequi noo potest, vt volare, aut immortalis esse. Præterea si posse eum dicamus, sed nolle, vana erit potentia. si enim qui potest aliquid efficere, id non facit, certe nec faciet omnino, nec potentiam ad actum vnquam perducet. itaque frustra ei aderit potentia, quæ nunquam ad actum traducatur. quæ caussa facit, vt in Deo solum dicamus posse, non autem etiam nõ posse: quia quæ potest efficere, ea etiam vult: volens autem, omnino etiam facit. nec tum facit, tum non facit, sed facit omnino: siquidem quicquid vult, id potest: & quod potest, id etiam vult. Voluntatem hic dicimus, nõ consultationem, aut consilium: sed placitum: cum in Deo non dicatur proprie consultatio, aut consilium: siquidem, vt ait Aristoteles, nihil aliud est consilium, quã defectio prudentiæ.

dentię. consulimus enim, cum ignoramus quid faciendum sit, & utrum hoc, an illud sit faciendum. io quibus nanque electio est, in eis est etiam cousultatio: si quidē nihil aliud est electio, quam hoc illi præponere: consilium uero adhibetur, rerum eligendarum causa. consultamus autem propter ignorationem, igoorario uero ex prudentiæ oritur defectione: propterea quod qui prudentia prędirus est, is quæ agenda sint, nouit omnia: quippe cum prudentia uirtus sit una omnium perfectissima. si ergo Deus ipse est prudentia, iam consilio non eget; si consilium ideo suscipitur, quod prudentia oon suppetat. quibus quidem factum est rebus, ut Aristoteles solam potentiam, quæ in ratione uersatur, in utranque partem trahi dixerit. quod si res accuratius expēdenda est, potentia, quæ in appetitu est, momentum in utranquo partem habet: omnis uero alia, præter hanc, quæ uel melior, oel deterior sit, alteram solum repugnantię partem obtioet: ut nos iandiu in igni, & niue declarauimus. si ergo a nobis ostensum est, quibus in rebus facultas faciendi solum locum possideat, neque alteram partem repugnātiæ adepta sit, merito factum est, ut non ita oerbo faciendi opposuerimus uerbum noo faciendi, sicut uerbo pati uerbū noo pati opposuimus: propterea quod non omnem potentiam semper impotentia consequitur. cæterum forma earum, & item negationum est hoc modo describenda,

AFFIRMATIONES.		NEGATIONES.
Potest facere,	Morbosi.	Non potest facere.
Potest pati,	Valentes.	Non potest pati.
Potest oon pati,		Non potest nō pati.

quam ob rem ipse quoque triplicem hanc speciem potentiæ tribuit, & eam quidem, quæ faciendi est, his verbis, [ex quo aliquos ad cęstibus contundendum, & ad cursum ualere: nō quod affecti sint certo quodam genere, sed quia vim quandam eis tribuit natura, ad aliquid facile faciendū.] his enim verbis potētia faciendi declaratur. [valentes etiam dicuntur, quod vim habeant naturalem ad nihil facile patiendum ab iis, quæ occurrūt.] ecce secūdam hic tradit: [imbecilli autem, quod natura nihil valent ad facile obsistēdum impulsionibus, quę extra accidūt:] hicque tertiam speciem exponit. imbecilli enim potentiam habent facile patiendi: impotentiam uero, oon patiendi: at valentes, contra. dixit autem accurate, valentes non pati ab iis, quæ occurrunt, vt ab ęstu, a uento: & omnino a quibus valentes pati noo sunt apti: paterentur quidem a gladio, uel igne, uel aliquo alio huius generis. at imbecilli potentiam habent a quocunque patiendi: sed impotentiā, ut oon patiantur. [Similis inquit, ratio est duri & mollis.] illud quidem vim habet nō facile diuidendi, & eiusdem rei impotentiam: molle vero, ut facile secetur, uim habet, at impotentiam, ut non facile secari queat.

Tertium qualitatis genus conficiunt patibiles qualitates ac perturbationes. in quo genere sunt, dulcedo, amaror, acrimonia, quæque sunt eiusdem generis: itemque calor, frigus, candor, atror. Has autem patibiles esse qualitates, hinc perspici potest, quod ea in quibus insunt, qualia ex eis nominantur. Vt mel, quia dulcedine perfusum est, dulce appellatur: & candidum corpus, quod candore præstet. Quod idem in cæteris contingit. Sed patibiles qualitates uocantur, non quod ea quæ eas receperunt, affecta sint aliqua ex parte: neque enim mel ex eo dulcę dicitur, quod affectum sit quippiam, nec quicquā tale. Itemq; calor, & frigus qualitates uocantur patibiles, non ob eam causam qđ ea in quibus insint, passa sint aliquid. Sed patibiles qualitates ex eo dicuntur, quod in sensibus omnes hæ qualitates quas modo nominaui, motum quendam & affectionem efficiant. Nam & dulcedo quendam motum affert gustatui, & calor tactui, & cæteræ eiusdem generis. At uero candor & nigror, aliique colores, non eodem modo, quo ea quæ diximus, qualitates patibiles dicuntur: sed quod a perturbationibus motionibusque natæ sint. Nam commutationes multas colorum ex perturbationibus, oriri, hinc intelligi potest, quod is qui erubuit, ruber existit: & qui metuit, pallidus: itemque in cæteris eiusdem generis. Quocirca si cui natura aliquam talem motionem tribuerit, uerisimile est eum simili fore colore. Quæ enim, cum pudore aliquis affectus est, in corpore nascitur affectio, eadem a naturæ institutione existat necesse est, ut natura etiam similis color oriatur. At quæ qualitates ortum habent & originem ab affectionibus, quæ uix tolli possunt, ac permanent, patibiles nominantur. Siue enim a prima institutione naturæ pallor aut atror extitit, qualitas dicitur, (quales enim ex eis appellamur) siue longo morbo aut ardore eædem comparatæ sunt qualitates, nec facile corrigi possunt, aut per omne tempus ætatis ualent, qualitates etiam hæ patibiles nominantur, si quidem ex iis quales appellamur. Quæ autem ab iis, quæ facile euelli possint, oriuntur, motiones dicuntur, patibiles qualitates non item, quandoquidem non ex iis homines quales nominātur. Neq; enim qui erubuit, ob id ipsum quod pudore affectus est, ruber uocatur: nec qui metu expalluit, pallidus: sed magis, quia ei aliquid accidit. Ita perturbationes sunt hæc quidem omnia, patibiles qualitates non sunt. Similiter in animo & patibiles qualitates dicūtur, & perturbationes. Quæ enim simulac orti sumus, ex motionibus quæ difficulter euelli possunt, oriuntur: eæ etiam qualitates nominantur. ut mentis e sua sede amotio, ut ira, & cætera eiusdem generis. Nam quales ex iis nominamur, ut amentes, ut iracundi. Itemque omnes mentis ex suo statu depulsiones, quæ non natura, sed temere & fortuito hominibus eueniunt, aut quæ uix euelli possunt, & si quæ iis similia, quippe cum ex iis quæ facile ac cito dissipari possunt, uocantur perturbationes. ut si quis ira commotus, fiat iracundior. Neque enim iracundus appellatur ex eo, quod in hac perturbatione iracundior existat, sed ex eo potius, quod aliquid acceperit, & quasi passus sit. perturbationes igitur hæ, non qualitates, uocantur.

Hoc etiam loco genus pro specie constituit: at si hæ sunt qualitatis species, cur ea genera uocauit? causa est, quia ipsa quoque species habent sibi subiectas, quarum sunt geoera. id autem quatuor modis cōsideratur: patibilis enim qualitas, uel toti speciei adest, ut omni niui candor: uel non toti, sed naturæ institutione & ab ortu, ut æthiopibus nigror: sique toti, vel subiectum complet, vel non: complens vero est, vt niuem compleot candor & frigus: & ignem calor, & siccitas: quam enim rationem habet habitus ad qualitatem patibilem, & affectio ad passionem, eandem habet candor ad frigus, si quidem ambo uim habent disgregandi: & nigror ad calorem, quibus uis compooendi inest: & tamen hæc eadem non sunt. Non complent autem subiectam rem, ut coruos non perficit nigror, aut cygnos candor: eū, vt sæpe diximus, nigror coruos non perficiat: propterea quod auulsis pennis niger iam coruus non est, & nihilo minus est coruus. Pręterea, in iis definiendis non adhibemus huiusmodi qualitatum differentias, nisi vbi differentiæ substantiales nobis desint. nihil enim mirabile est, cum homines simus, si differeotias substantiales iu rebus omnibus oō inueniamus: & ideo hisce rerum formam explicare cogamur, ita fit, ut si toti speciei insit, compleatque subiectum, patibilis qualitas nominetur: utpote quæ io sensibus nostris passionem quandam efficiat: si uero toti adsit, sed oon compleat, qualitas patibilis quidem uocatur, sed quod a passione sit nata: ut nigror coruorum. si non toti speciei insit, ea uel diuturna erit, uel breuis. si ergo noo toti, & diuturna sit, ea etiam qualitas patibilis dicitur, ut a passione excitata; ut dulcedo quæ in iure est, & pallor, ac rubor, alicui innatus: si oon toti insit, & breuis existat, & non facile

cile

eile corrigi posit, nec facile posit expelli, passio dicitur, quæ ad qualitatem refertur: vt pallor quem longus morbus, aut perfrictio, quam multa hiems excitauit, sin facile abiiciatur, facileque ac statim corrigatur, passio nuncupatur, quę ad categoriam Pati, pertinet: vt pallor ex subito metu; aut rubor ex verecundia. Sed quæ sunt huius generis, Aristoteles non esse qualitates vocandas censet: propterea quod, qui sunt earum participes non inde nominentur. cæterum eorum, quæ diximus, descriptio ipsam diuisionem sub oculos subiiciet.

QVALITAS PATIBILIS ADEST SPECIEI,

OMNI:
Complet subiectum, vt candor & frigus in niue; est autem qualitas quæ motū quendam in sensibus nostris efficit.

NON OMNI,
Non complet subiectam rem, vt nigror in coruo, estq; patibilis qualitas a passione nata.
Sed tamen naturæ institutione, & ab ortu, vt in Aethiope nigror.

Diuturna, & est qualitas a passione exoriens, vt dulcedo in iure.
Non facile corrigi potest, & ad qualitatem refertur, vt pallor ex morbo diuturno.

Breuis
Facile corrigitur, & ad categoriam Pati pertinet: vt rubor ex pudore.

Hæ autem quatuor patibilium qualitatum species non solum in corpore, sed etiam in animo considerantur. siquis enim optimum habeat habitum, cumque ex scientia compararit, & absolute ad rationis contemplationem feratur, profecto id ipsum patibilis qualitas dicetur, utpote quæ in sensibus nostris passionem efficiat: & non ut a passione orta: causa est, quia talis habitus complet animæ essentiam, ac perficit. passionem autem in sensu efficit, ac sensu quidē, non corporis, sed qui diuinus, ac ratione præditus dicitur: nam & orationes & iniurias animo sentire dicimur, & non sensibus corporis excipere. qui vero ex aliquo temperamēto corporis sunt furiosi, aut iracundi, aut tales, dici possunt patibili qualitate præditi, quæ a passione ortum ducat: at qui ex morbo tales euaserunt, ij passionem nacti, quæ ad qualitatem referatur. qui vero ob aliquem casum ira corripiuntur, aut tale quippiam patiuntur, in iis passio dicitur, quæ ad categoriam pati redigenda est. perspicuum est autem, nos abuti nominibus, dum hæc dicimus, propterea quod hæc omnia ad habitum & affectionē proprie referuntur. Patibiles autem qualitates duobus modis accipiendæ sunt. uel enim subiectum dicitur habere qualitatem, quod patiatur, & a passione qualitas ei patibilis afferat: vel quod sensus noster patitur, in his qualitatibus percipiendis, ipsę uero qualitates non ex passione existant, in quibus reperiuntur, sed natura: vt in igne apparet: cui non inest calor ex passione vlla ingenitus, sed natura, & eius etiam speciem efficit. simili quoque modo dulcedo quæ melli inest, & candor, qui in niue conspicitur. at candida caro id habet a passione: si quidem ei candor accidit, nec ei inest per essentiam, nec eius speciem efficit. idem de nigro, de dulci iure, & cæteris huius generis dicemus: in quibus sensus etiam patitur. verum quia in his magis proprie dicitur, ea fieri a passione, quam vt ipsa afferant passionem, idcirco fit, vt hoc eis primo & præcipue attribuatur: secundo vero loco, vt etiam passionem efficiant: vt ab eo, quod magis proprium est, patibilium qualitatum nomen ducatur. atque etiam in melle, quia dulcedo ei a passione non affertur, (nam formam ei tribuit) ideo, quia passionem in sensu efficit, qualitas patibilis nuncupatur. [Sed patibiles, inquit, qualitates ex eo dicūtur.] Dicit patibilis qualitas duobus modis, vel in animo, uel in corpore: in animo, vel toti speciei adest, vt leonibus, animus: vel alicui: vel ex aliquo affectu orta, vt insania, vel casu aliquo, vt vafri. Et in corpore, vel toti speciei inest, vt niui candor, vel alicui: &, vel a passione aliqua ab ortu naturæ, vt Aethiopibus nigror: uel non ab ortu, sed postea ab affectu nata, idque duobus modis, ut uel affectionem importet, ut febris: uel non, ut pallor. [At uero inquit, candor, & nigror, aliique colores non eodem modo, quo ea, quæ diximus, qualitates patibiles dicuntur.] nō efficiunt inquit, affectionem, q̄ ab eis nominetur. neque enim is, qui alba intuetur, candore perfunditur: neque dulcis aut calidus fit, qui dulcedinem aut calorem percipit. Sed si candor & nigror qualitates sunt patibiles, ex quanam affectione fiunt, aut quam ipsæ affectionem efficiunt? nam candor ab affectione frigida est, nigror uero a calida: efficiunt vero affectionem non in eo, qui habeat, sed in aspectu uidentium: ille enim disiicit, hic aspectum comparat. [Nā commutationes, inquit, multas colorum ex affectu oriri, hinc intelligi potest.] Cum dixerit colores esse patibiles qualitates eo, quod ab affectu oriantur, id nūc cōfirmat, atq; ita esse ostendit. qui metuit inquit, pallescit: cum dilectus naturæ sanguis confugiat ad cor, proprium eius fontem, vt ad munitam & altam arcem vitę, & quę post alias omnes partes moriatur. si enim qui vulnus in corde acceperunt, biduum, aut triduum viuunt, id consequuntur, arteriarum beneficio, quæ in eo existunt. atque unum etiam idemque temperamentum & ex tempore, & ab ortu naturæ pallidū facit: si quidem ab exigua sanguinis copia id esse potest: ut etiam redundatia eiusdem rubicundum hominem & ad tempus, & ab ortu naturæ efficit. cum enim pudore perfunditur natura, amabilem sanguinem sibi ipsi vt velamen obtendit, more eorum, qui, ne indigna conspiciant, manus oculis admouent: modo non hoc nobis significans, Maxime omnium te pudeat tui. [Quocirca, inquit, si cui natura aliquem talem casum tribuerit,] appellat colores, casus, quia cæteris affectionibus superueniant: ut longo morbo pallor. est uero etiam quidam ab essentia ductus color, ut in cerussa candor, & item in niue, & rubor in sanguine, & nigror in sepiæ humore. [Qualitates etiam hæ patibiles nominantur, siquidem ex iis quales appellamur.] est enim qualitas, ex qua aliqui quales nominātur. ergo si a perturbationibus, quæ cito remouentur, non appellantur ulli quales, nec etiā erunt qualitates. [Similiter inquit, in animo patibiles qualitates dicuntur, & passiones.] non solum inquit patibiles qualitates & passiones in corpore conspiciuntur, sed etiam in animo. quę enim simul ac orti sumus, ex motionibus, quæ difficulter euelli possunt, oriuntur, qualitates appellantur: ut ator qui æthiopi, simul atque in lucem editus est, inest, qualitas patibilis nominatur: itemque mentis de sua sede deturbatio, & ira patibilis qualitas est. [Itéque inquit, omnes mentis ex suo statu depulsiones, quæ non natura, sed ab aliis quibusdam casibus, qui uix euelli possunt, hominibus eueniunt &c.] ut est pallor ex longo morbo cōtractus, aut aliud huius generis, qualitas patibilis nominatur. [At quæ constant inquit, ex iis, quæ facile, ac cito dissipari possunt hæc non qualitates, sed passiones appellantur.] ex iis enim quales non dicuntur. hoc est non capiunt qualitatis definitionem: & cum eius participes sint, ex ea quales non dicuntur. neque enim dicitur ruber aut pallidus qui in solo pudoris tempore, aut timoris uel erubuit, uel expalluit, quia commutatio non expectat hanc nomenclationem: sed hæ motiones ad categoriam pati referuntur: si quidem tales dicuntur expalluisse, aut erubuisse, & aliquid passi esse, quæ genere patiendi continentur. quæ eadē in animo usurpant: siquidem non dicatur is, qui eo solum tempore, in quo doleat, iratus uideatur.

Quartum qualitatis genus est figura, & ea quæ in quoq; est forma. itemque rectitudo, & obliquitas, & si quid aliud his simile est. Nam ex his aliquid quale dicitur. Nā

& triangulum, & quadratum, & rectum, & obliquum esse, quale quiddam nominat. Atque etiam ex forma quale aliquid nominatur. Rara autē & crassa, aspera & læuia quale quiddam illa quidem uidentur significare, sed aliena sunt ab ea quæ qualitatis propria est affectione. Sitū enim partium potius uerba talia declarant. Crassum enim quid dicitur, quod eius partes inter se prope cohæreant. Rarum autem id, cuius partes inter se disiunctæ sunt. Læuia, quod partes quodam modo in rectum sitæ sint: Aspera, quod partes aliæ emineant, aliæ superentur. Alia etiam sunt genera qualitatis, sed hæc sunt fere quæ maxime in omnium ore uersantur.

Hæc est quarta qualitatis species: quo in loco genus etiā pro specie dixit. est autem figura, atque forma. latius enim patet figura, quam forma, siquidem omnis formā & figuram, & formam habet, nō tamen quidquid figuram habet, id iam formam habet. ea causa fuit, quam ob rem figuram formæ prætulerit: quippe quæ magis propria sit, & magis uniuersalis. atq; etiam paulo ante dictū est, figuram in rebus inanimatis, & quæ cogitatione percipiuntur, intelligi: formam uero in animatis, ac naturalibus. sique formæ nomen inanimis tribuamus, id per abusum a nobis fieri: quod sint animatorum simulacra: hasq; iure qualitates uocari, propterea quod, qui earum sunt participes, quodam modo afficiantur, & ab eis nominentur. [Itemq; inquit, rectitudo, & obliquitas, & siquid aliud his simile est.] nam a rectitudine, nomen ducit linea, & recta uocatur; & ex obliquitate, obliqua: suntq; lineæ affectiones rectitudo, & obliquitas. sciendum est, cum hæc quatuor, punctum, linea, superficies & corpus sese uicissim consequantur, punctum ut pote quod magnitudinem nullam habeat, neque affectionem ullam, neque figuram, ac multo etiam minus formā consecutum est: at linea, quæ unam habet mensionem, solam affectionem nacta est, siquidem uel recta est, uel obliqua, aut si quo alio modo uocatur: superficies, cui duæ mensiones sunt, ut longitudo, & latitudo, ea & affectionem & figuram obtinuit. affectio uero superficiei est, ut angusta, & lata sit: figuræ autem triangulum, quadratum, & cætera huius generis. quoniam enim superficies omnis a lineis continetur, siquidem, ut ait Euclides, lineæ sunt termini superficiei, ideo merito figuram est superficies consecuta: cum ex lineis figuræ constent. corpus, quod triplici dimensione præditum est, longitudine, latitudine, & altitudine, & affectiones, & figuras, & uero etiā formas habet. affectiones sunt, ut gracile, ac crassum sit: figuræ, ut cubum, aut rotundum sit, aut quid simile: quin etiā corpus animatum formam obtinuit. Sed quid causæ est, cur addiderit hæc uerba, [& siquid aliud his simile est?] nimirū propter media infinita, quæ inter rectum & circunflexum interiecta sunt: quæ uel magis uel minus hæc participant, in quo numero sunt circumuoluta omnia: quæ etiam qualitates sunt, quia ea, in quibus sunt, qualia nominantur: nam triangulum dicimus & quod eius particeps est, & cuius ipsum est, & rectum, & curuum, & circumuolutum. [Rara autem & crassa, inquit, aspera, & læuia quale quiddam illa quidem uidentur significare, sed aliena sunt ab ea, quæ qualitatis propria est, affectione: situm enim partium potius illa declarāt.] quia enim quod particeps est, uidetur affici quodam modo a raritate, aut densitate, aut asperitate, aut læuitate, & ab eis nomen trahit, ideo opinionem quandam hæc efficiunt qualitatis: id tamen uerum non est: sed potius ad situm esse referuntur: siquidem situm quendam significant. densum enim dicitur, cuius partes prope cohæreant ita, ut aliud diuersi generis corpus capere non queat: rarū, cuius partes inter se disiunctæ sunt, ut inter eas corpus diuersi generis possit intercipi: læue, cuius partes summæ & extantes æquales sunt inter se, & pariter eminentes: asperum, cuius extremæ partes inæquales sunt inter se, ut pomum læue nominatur, quia æqualis superficies eius est: facies uero aspera, quia ex particulis inæqualibus, & imparibus constat, ut ex naso, oculis, & reliquis, quarum situs partim propensus est, partim cauus. ex quo fit, ut potius situm partium declarare uideantur. ac de aspero quidem & læui constat inter omnes ob hanc causam ad situm referri. rarū uero ac densum intelligit hoc loco quod ex arte conficitur: quod sane ad genus situm esse redigitur: ut si quis lorum extendat, ac rarum faciat, id non totum per totum rarefit, sed situs quarundam eius partium cōmutatur, quod illæ magis a sese diducantur. præterea si quis nucibus manum impleat, totum quod ex his omnibus constat corpus, rarum dicitur, quod μανόν, quasi μὴ ἕν, id nō unum sit, appelletur. simili quoq; modo densum. nam si nuces contusas animo concipiamus, certe corpus ex omnibus concretum, densum nominabitur. præterea si quis carptum lanę condensatum discerpat, rarum faciet: hancq; artificiosam raritatem, aut densitatem hoc loco ad situm esse merito redigit, quippe qui eis uerba faciat, qui nuper instituuntur: propterea quod ex situ partium hæc rara, densaq; dicuntur. non sunt tamen qualitates, nec raritatem, aut densitatem naturalem habent: nec sunt prorsus rara aut densa ex omni parte. sed solum in situ partiū: cum neque etiam ipsæ partes similem totius raritatem accipiant. In physica autem uult qualitates esse, naturalem raritatem, aut densitatem, quæ in uno & eodem subiecto uersatur: vt aqua naturalem densitatem habens, quæ tota in omni parte densa est. id autem si amittat, & rarefiat, aër fiet: siquidem aquæ sextarius decem fortasse aëris sextarios cōficiet. neq; tamen hoc efficitur aqua in minutas partes dissipata, ut: si quis puluere manum impleat, & in aera proiiciat, & plurimum loci puluis occupet, quod eius partes explicentur: quandoquidem si id esset, nos quoque aquam proiiceremus, & aërem faceremus. si uero quis dicat, nos nō posse aquam in tam minutas partes diducere, vt tenuitatem illam consequatur, sique re non possimus, neque etiam id a nobis ratione vlla esse ponendum, certe ne ita quidem id fieri poterit: propterea quod omnes aquæ particulæ, aquulæ erunt omnino: quippe cum partes similes sint totius in substantia. & ex quo quicq; constat, in idem dissoluitur. ergo si aqua ex partibus similibus, quæ aquæ sunt, efficitur cum partes sint, vt dixi, totius similes, certe in eas omnino dissoluta diuidetur. non esset autem aër continuus, sed inanibus quibusdā in medio spatijs interciperetur. partes enim aquæ uel continuas esse necesse est, aut disiunctas. tangi enim non possunt: quæ uero se se contingunt, protinus continuæ fiunt, idque propter humorem. ergo si disiunctæ sunt, aër non est continuus, quod falsum est, & euidentiæ repugnat: si se mutuo contingunt, non iam aër, sed aqua adhuc totum est. ita fit, vt non dissipata & centum in partes diducta aqua, aërem gignat, sed omnino cōmutetur, atque alteretur. Cæterum has esse qualitates Aristoteles in physicis plane docet, ait enim, vt corpus quod qualitates capit, ex eis commutatur, cum ipsum vniuersum ex albo nigrum efficitur, & contra, ex nigro album: ita quia raritas, ac densitas qualitates sunt, merito quoque ex eis corpus cōmutatur. cumq; densitatem capit, fit aqua: & magis adhuc condensatum, fit terra. sed densitatis in raritatem facta mutatione, aër fit: magis uero rarefactum, ignis. quam ob rem naturalis densitas, & raritas quæ in vna re subiecta uersatur, qualitas est. at si non in vno corpore, sed pluribus uersetur, etiam si naturalis sit, non iam qualitas, sed situs nuncupatur: qualis est densitas dentium, aut raritas. quamuis enim illa a natura exorta sit, tamen quia non in uno subiecto est, sed in multis, hoc est in dentibus, ideo non qualitas, sed potius situs appellatur. atq; hæc quidem hactenus. Nunc vero cum Aristoteles dicat rectitudinem, & obliquitatem qualitates esse, asperitatem uero & læuitatem non esse, sed asperum ac læue potius esse partium situs uti diximus, excitant quæstionem quidā, quod etiam rectum & obliquum situm solum partium significent: siquidem recta linea est, quæ æqualiter inter sua puncta sita est: uel cuius media extremis subtexuntur: certe planū est hic etiam rectam lineam ex tali partium situ effici, ut nulla eius pars neq; extra excedat, neq; intro inclinet, sed æqualitatem a medijs ad extremitates pertinere. obliqua etiam a rectis solo partiū situ differunt. cum enim rectitudinis partes inflectuntur, aliæq; intro, aliæ foras uergunt, fit obliquitas: ita si aspera & læuia non sunt qualitates, sed solum situm quendā partium significant, profecto & aspera & lęuia idem significabunt. atq; hęc quidē est quæstio. eam nos ita dissol-

uemus:

uemus: non idem est, si inflexam lineam dixeris, & fractam, propterea quod non mutat rectæ lineæ, quia recta sit, speciẽ, sed solum ex una duæ fiunt, & angulus excitatur: at inflexa aliam habet speciem a recta diuersam. nam inflexa significant quæ circunuexa sunt, ac circunferentiam referunt: diuersam uero speciem esse circunferentiam a recta linea, plerisq; argumentis constat. primum, quod omnis circunferentiæ pars omni parti conuenit, ut etiam omnes rectæ partes sibi ipsæ cõueniunt: nulla uero rectæ pars ulli parti circunferentiæ conuenit: deinde, si figuræ quæ ex rectis constant, specie differunt ab ijs, quæ ex circunferentia componuntur, etiam recta a circunferentia specie differt: tum, recta linea neque simplex, neq; duplex figuram conficit: sed minimũ, triplex: quam ob rem prima & maxime omnium figurarum quæ ex rectis lineis constant, simplex figura est triangulum, ex tribus rectis lineis confectum. at circunferentia, vna cũ sit, circulum conficiet. est enim circulus figura plana, vna linea contenta, &c. si ergo speciem diuersam obtinuerunt recta & inflexa linea, sequitur eas non solo situ inter se differre. at lęue & asperum solo situ differunt. itaque res subiecta in eis specie non variatur: sed cum vna & eadem superficiei maneat species, eadem & læuis & aspera redditur: vt si quadratum spatium fit, ac partem quis fodiendo cauam faciat, partem extollendo asperam reddat, quadratum ipsum remanebit: si postea quis partes excedentes abradat, cauitatesq; impleat, is læue faciet quadrati forma nihil immutata, neq; vlla adiuncta qualitate, sed solo partiũ situ variato. quocirca recte dixit Aristoteles, qui rectitudinem & obliquitatẽ, hoc est circunferentiam qualitates esse, aspera uero & lęuia solo situ partium inter se differre confirmauit. [Alia etiam inquit, fortasse genera qualitatis sunt, sed hæc sunt fere, quæ maxime in ore omnium versantur.] Explicarat nobis quatuor species qualitatis, nunc concludit, atque, hos esse qualitatis modos, ac genera. cumque velit nos nõ acquiescere iis solum, quæ ipse dixit, neque segnes esse, & id expectare, vt externo motu impellamur, sed a nobis moueri, & ad inquirendum excitari, ait, Fortasse erunt alij modi qualitatis: cum tamen re vera nullus sit præter eos, qui propositi sunt, vt & diuisio, & veterum ac sapientissimorum hominum indagatio planum fecit.

Ac qualitates quidem quid sint, qualesque diximus. Qualia autem sunt ea quorum nomina ex iis aut quoquo alio modo deducuntur. pleraque enim ac fere omnia ab iis nomina duxerunt. ut a candore candidus, a grammatica grammaticus, a iustitia iustus, itemque cætera eiusdem generis. Sunt autem quidam, qui quoniam nomina nulla imposita sunt qualitati, nomina sua ab eis non trahant. uelut cursor & pugil is qui ui innata nominatur, nomen non traxit ab ulla qualitate. Neque enim imposita sunt rebus iis nomina ex quibus quales hi appellantur, ut in scientiis, a quibus hi pugiles aut palæstrici nominantur propter affectionem. Artes enim pugilum, & palæstra dicuntur, a quibus quales ij nominis adiunctione & coniugatione appellantur. Interdum impositum nomen est qualitati, cum interim id quod quale ex ea dicitur, nomen non mutuatur ab ea: ut a uirtute, uirtute præditus. Virtute enim præditus dicitur aliquis, quod uirtutem habeat non quod nomen a uirtute mutuetur. Idque in paucis contingit. Sunt igitur qualia ea, quæ nomina sua ab iis qualitatibus, de quibus disserui, aut aliquid aliud sumpserunt.

Cum de qualitate disseruerit, nunc de quali verba facie: siquidem de quali & qualitate inscriptio est. qualitates ergo sunt, vt candor, nigror, & similia: quale uero dicitur id, qđ qualitatis particeps est, vt album corpus, & nigrum, & dulce, & amarum, aut temperata anima, aut irata, & quæ sunt his similia, quę tam ad corpus, quam ad animum pertineãt. qualitates autem participantur, qualia vero participant. qualia etiam a qualitatibus ducto nomine appellantur, ut sæpe diximus: sed non omnia ab eis nomen trahunt, sed quædam, & homonyme, hoc est nominis similitudine. an ne omnino quidem ab eis nominantur, et eam ob rem dixit, aut quoquo alio modo deducũtur. [Pleraque enim, ac fere omnia inquit, ab iis nomina duxerũt.] quia cum de qualitate in principio loqueretur, dixit qualitatem esse, ex qua aliqui quales nominantur, nec de ipsa diligenter, & accurate disseruit, cum id in omnem qualitatem non cadat, ideo hoc loco eandem rem sumit tractandam diligentius. aitque in plerisque verum id esse, vt res nomen a qualitatibus deducãt, cum a candore candidus quispiam dicatur, & a grammatica grammaticus nominetur. [Sunt autem, inquit, quidã, qui quoniam nomina nulla imposita sunt qualitatibus, nomina sua ab eis non trahunt.] Id vsu venit in secundo genere qualitatis, quod potentiam, atque impotentiam continet. neque enim cursores, neque pugiles, qui vim quandam in his rebus conficiendis a natura sunt consecuti, ab his facultatibus nomen duxerunt: siquidem eis non sunt imposita nomina: quippe cum consuetudo in eo maxime fuerit occupata, vt rebus perfectis, & quæ actu sunt, nomina imponeret: sed pugil & cursor a scientia quæ actu est, in qua isti pugiles & cursores versantur, hoc nomen duxeruut. at quid attinet dicere in potentiis, quibus non sunt imposita nomina, cum etiam in quibusdam qualitatibus, quę habent nomina, res ab eis nomen non trahant? neque enim a virtute dicitur virtuosus, sed virtutis studiosus. quandoque etiam nominis similitudine vocantur res, quæ sunt participes qualitatis, vt a grammatica scientia, mulier grammatica nominatur. & a musica scientia, mulier musica. quocirca cum hic de qualitate, vt dixi, loquatur accuratius, addidit, aut quoquo alio modo deducuntur: quę verba adiunxit propter ea, quæ nomen non habent, et quæ diuersa nomina inuenerunt.

Est autem qualitatibus inter ipsas repugnantia: ut iustitiæ iniustitia contraria est, & candor atrori, itemque cætera eiusdem generis. Eadem est eorum ratio quæ ex iis qualia nominantur. uelut iusta iniustis contraria sunt, & nigra candidis. Nec hoc in omnibus cõtingit. Rubris enim aut fuscis coloribus'ue talibus, nihil contrarium est, cum sint qualia. Illud etiam intelligendum est, si quod contrarium in qualibus est, alterum etiam in iis fore. quod singulatim cæteras categorias intuenti perspicere licet. uelut, Si iniustitiæ contraria sit iustitia, iustitia autem sit qualitas, qualitas iniustitia sit necesse est. Nulla enim categoria præter qualitatem iniustitiæ coniungitur & accommodatur. Similis est ratio cæterorum omnium, quæ in qualitate contraria sunt.

Ad propria qualitatis nunc aggreditur. in quibus exponendis eadem docendi regula utitur, quam etiam in aliis categoriis obseruauit. qualitatis ergo proprium esse dicit, ut repugnantiam capiat: vt in corpore album & nigrum, in anima iustitia & iniustitia, & in vtroque valetudo, atque morbus. ac proprie quidem repugnantia in qualitate spectatur: siquidem in aliis quoque categoriis repugnantia ex qualitate consideratur. nam & substantia propter qualitatẽ capit contraria, & item ea, que cum aliquo conferuntur, ex qualitate repugnantiam adepta sunt. proprie ergo, ut diximus, in qualitate spectatur repugnantia. attamen non in omni qualitate repugnantia est. qualitatibus enim, quæ mediæ interiectæ sunt inter contrarias qualitates, nihil est contrarium, vt pallido, rufo, & similibus. sed neque etiam figuris quicquam contrarium est, vt triangulo, circulo, & cęteris consimilibus. Inter qualia est etiam repugnantia, cum corpus candidum sit nigro contrarium, & calidum frigido. [Illud etiam inquit, intelligendum est, si quod contrarium in qualibus est, alterum etiam in iis fore: quod singillatim cæteras categorias intuenti perspicere licet, velut si iniustitiæ contraria sit iustitia, iustitia autem sit qualis, qualis iniustitia sit necesse est.] planum enim est, ad quam categoriã referatur alterum contrarium, alterum quoque relatum iri: propterea quod nõ queamus illud ad aliam categoriam redigere: contrariorum enim idem genus est.

Recipiunt etiam intentionẽ & remissionẽ qualia. Nam & album aliud alio albius dicatur, & aliud alio magis mi-

nusue iustum. Atque etiam incrementum in qualitate versatur. quod enim album est, fieri potest albius. Sed in plerisque id fit, non in qualitatibus omnibus. Nam iustitia'ne alia, alia magis, minusue iustitia dicatur, quæstio est. Quod idem in cæteris affectionibus contingit. Nonnullis enim hæc in dubium veniunt. Iustitiam enim iustitia minorem maioremue, aut valetudine valetudinem dici non putant oportere. Alium quidem alio & magis valere dicunt, & iustiorem, quod idem fit in grammatica, cæterisq; affectionibus omnibus. Sed ea quæ ex ipsis nominantur, sine vlla controuersia magis & minus sibi adiungunt. Nam & alio alius peritior grammaticus est, & valentior, & iustior, itemq; in cæteris. At vero triangulus & quadratum illud magis & minus non probant, neque vlla alia figura. Ea enim in quæ trianguli orbisq; definitio valet, omnia æque trianguli orbesq; sunt. Eorum autem quæ trianguli orbisq; minus recipiunt definitionem, nihil aliud alio magis dicetur. Nam nihilo magis quadratum quàm altera parte longius, est circus: quippe cum in neutrum valeat circi definitio. Omnino autem, nisi vtraq; rationem eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterum altero magis minusue dicatur. Non igitur in omnibus qualibus illud magis minusue dicitur.

Alterum qualitatis proprium exponit, ut magis, minusq; suscipiat. candidum enim dicitur magis candidũ, & ipsum se candidius: sed hoc non omnes qualitates consequitur: idque merito. dictum nanq; est, ubi repugnantia est, & contrariorum commixtio, ibi & magis & minus dici: ubi uero non est repugnantia, neque mixtio contrariorum, illic neq; magis, neq; minus aliquid dici. [nam iustitia ne inquit, alia, alia magis, minusue iustitia dicatur, quæstio est.] non totam hanc categoriam magis & minus accipere, planum est ex ijs, quæ nonnulli in quæstionem adducunt: cum negent iustitiam aliam alia magis & minus dici, & ualetudine ualetudinem, & cætera huius generis. ipse tamen hanc quæstioné non explicauit: qua de re hæc est nostra sententia: dicimus igitur, qualia quidem & magis & minus eo modo, qui expositus est, accipere: sed tameo qualitatem quæ definiri ratione potest, non item: ut est iustitia, ualetudo, & similiæ: siquidem iustitia ipsa per se non est alia magis quam alia iustitia. siquid enim iustitiæ definitionem non capiat, id ne iustitia quidem sit omnioo. ut enim quibus conuenit hominis definitio, nihilo minus homines sunt, in quibus etiam minima pars eorum, quæ in definitione sunt, non coouenit, nullo pacto sunt homines, ut si eis nõ conueniat, esse rationis participes, ut bestijs, aut aptos esse ad scieotias percipiendas, aut non esse mortales, ut angelis, ita etiã si quid iustitiæ definitionem, aut ualetudiois, aut alterius cuiusdã similis æque accipiat, id oeque iustitia, neq; ualetudo, aut aliud quidpiam generis eiusdẽ erit. at qualia magis & minus capiunt, quatenus unumquodq; plus, minusue qualitatis sit particeps. quod enim magis particeps est candoris, quam oigroris, id magis candidum uocatur, quã id in quo maior est nigroris, quam candoris portio. ita etiam magis iustum dicimus, qui uehementiore amore iusti ducatur, & magis ualentem, qui magis, quam alij sit particeps ualetudinis. similis est ratio cæterorum omnium. ut enim nõ omnes adstantes ignei caloris, si ita usus ueniat, æque fiunt participes, sed qui propius accedunt, eum magis sentiunt, quatenus plus ardoris sentiunt; qui uero absunt longius, minus fiunt participes, cum tamen igneus calor unus & idem existat, ita etiam in omnibus qualitatibus existimandum est: eas per se neq; intendi, neq; remitti posse: cum uero in subiectis corporibus uersantur, in quibus etiam misceri possunt, tum uel iotendi, uel remitti, prout magis, minusue contraria misceantur, [At uero, inquit, triangulus & quadratum magis & minus non capiunt, neque ulla alia figura. ea enim, in quæ trianguli, aut circuli definitio ualet, omnia æque triangula, circuliq; sunt.] his etiam uerbis confirmat, non omni qualitati conuenire, ut magis aut minus dicatur: siquidem nulli hoc figuræ conuenit. nullus enim triangulus magis alio triangulus dicitur: quia uterq; trianguli definitioné æque capit. neq; etiam circulus magis alio dicitur, etiam si millies maior sit: propterea quod ambo circuli definitionem æque accipiunt. atque etiam in alijs eodem modo fit, in quæ eadem æque ualet definitio. [eorũ autẽ quæ non recipiunt, nihil aliud alio magis dicetur. nam nihilo magis quadratum, quam altera parte longius, est circulus, cum in neutrum ualeat circuli definitio.] horum uerborũ hæc est sententia. in quibus magis aut minus quid inuenitur, ijs eandem conuenire definitionem oportet, non tamen omnino similiter, si enim nulla uarietas esset, magis & minus nihil diceretur: ut salubre est, quod accõmodatum ad ualetudinem est: hæc oratio conuenit exercitationi, alimentis, urinis, & alijs plerisq;: quoniam ergo hæc omnia eandem definitioné accipiunt, & non similiter & æque, sed exercitatio ut ad ualetudinem tuendã ualet, alimenta uero, ut efficientia, urinæ ut indicantia, merito fit, ut magis, minusue suscipiant. dices enim exercitationem magis salubrem esse alimentis: siquidem ea ualetudinem quæ est, conseruat: hæc uero amissam reuocant. sed alimenta magis salubria, quam urinam affirmabis, quia eatenus urinæ salubres sunt, quatenus salubrem affectionem indicant. Si uero quibusdam eadem pari ratione conueniat definitio, aut etiam omnino alia, ea non probant illud magis & minus: quippe cum illa sint omnino eadem, hæc uero penitus diuersa: quales sunt homo & equus. nemo enim hominem magis equo hominé: neque equum magis cane equum dixerit: quandoquidem diuersi sunt omnino. at neq; etiam hominem magis alio homine esse hominem dices ob eandẽ causam: neque equum alium alio magis: quia ijdem sunt, & eadem eis pari modo prorsus conuenit definitio. cum uero album quod in niue, quodq; in ueste conspicitur, eandem definitionem capit, sed non pari modo, merito fit, ut magis alterum altero dicatur. eandem enim definitionem utrunq; capit, sed non pari ratione. sed nix, ut innatum habet candorem, & qui propriam illius substantiam complet, & qui contrarium non capit: uestis uero candore perfusa est, qui arte sit fortasse comparatus, nec substantiam eius compleat, neq; ita sit, ut contrarium non accipiat. eadem est nigrorum, cæterorumq; ratio. quam ob rem quod ex multis constat angulis, nõ magis circulus dicitur, quam triangulus, quia neutrũ eorum circuli definitione explicatur. sed ne cæteris quidẽ circulis is, qui multos habet angulos ob eandem causam, minus circulus appellatur.

Atque eorum quidem quæ adhuc commemorata sunt, nihil est qualitatis proprium. Similia autem aut dissimilia aliqua in solis qualitatibus reperiuntur, præsertim cum nihil simile aut dissimile dicatur alia re vlla, nisi ex qua illud quale appelletur. Est igitur qualitatis proprium, ab ea aliquid simile aut dissimile nominari.

Vt in substantia, atq; alijs fecit, ut cum prius ea, quæ propria uidebantur, repudiasset, deinde quæ re uera propria erant, explicaret, ita hoc loco, cum duo quæ dicta sunt consequentis esse qualitatis reiecerit, & quod ei insint contraria, & quod magis ac minus suscipiat, ut quæ non in omnes qualitates ualeant, censet esse eius proprium, ut aliqua similia & dissimilia dicantur: id quod in nulla alia categoria reperitur. uerum nõ qualitas ipsa simile & dissimile capit, sed qualia. singulæ enim qualitates ipsæ per se & nõ in subiecto consideratæ unæ, atq; eædem sunt. quonodo enim ipsa qualitas erit sibi ipsi similis, aut dissimilis? at cũ in subiecto est, simile, & dissimile probat, uel sincera in ijsdem rebus permanens, uel similiter contrarij admixtioné recipiens. quam ob rem subiecta sibi similia inter se reddit, aut dissimilia, quod non similiter producatur, sed quod in subiectis mixtio contrariorum magis, minusq; recipiat. iccirco, ut toti categoriæ proprium accommodatum sit, ut in substantia factum est, cum eius proprio quidpiam adderemus, ac diceremus, proprium categoriæ substantiæ esse, ut eius indiuidua unum & idem numero manentia uicissim contraria capiant, atq; ita fecimus, ut illud consequens totius esset substantiæ propriũ ita hoc etiam loco progrediendũ est: ut dicamus id esse categoriæ qualitatis proprium, ut indiuidua, quæ in ea sunt, similia.

similia, dissimiliaq; dicantur. hâc sane ratione & toti, & soli huic categoriæ hoc consequens conueniet.

Sed nihil est quod uerear ne quis nos dicat, cum de qualitate disputaremus, multa enumerasse eorum quæ in iis esse dixerimus, quæ cum aliquo conferantur. Etsi enim habitus & affectiones ad ea retulimus, quæ cum aliquo conferuntur, in iisque sunt fere qualitatis genera omnia, tamen res singulæ nullæ in iis reperiuntur. Nam & scientia quæ genus est, quicquid ipsa est, alterius esse dicitur (alicuius enim scientia uocatur) & res singulæ nullæ quicquid ipsæ sunt, ad alios referunt. Vt grammatica non dicitur alicuius grammatica, nec musica alicuius musica. nisi forte hæc ipsa propter genus, in iis sunt quæ cum aliquo conferuntur. Velut grammatica alicuius scientia dicitur, non alicuius grammatica: & musica alicuius scientia, non alicuius musica. Non sunt igitur res singulæ in iis quæ cum aliquo conferuntur. Quales autem ex singulis scientiis nominamur, quoniam eæ insunt in nobis, & artifices ex eo dicuntur, quod nonnulli singulis scientiis præditi sint. Quare singulæ scientiæ etiam qualitates erunt, ex quibus quales appellamur, nec in iis sunt quæ cum aliquo conferuntur. Postremo si idem sit & in qualitatibus, & in iis quæ cum aliquo conferuntur, non alienum est idipsum in utroque genere collocare,

Quia de qualitate erat ei instituta disputatio, habitusque & affectiones ad qualitatem redegit, quæ genere eorum, quæ cum aliquo conferuntur, continebantur, siquidem ipse prius ad ea retulit, & habitum habiti habitum, & affectionem affecti affectionem dixit esse, idcirco, cum quæstionem esse animaduerteret, eam dupliciter explicat. ac primum quidem adumbratim & minus accurate, deinde vero diligenter. ac prima quidem explicatio est huiusmodi. [In iis sunt fere qualitatis genera omnia, tamen res singulæ nullæ in iis reperiuntur.] hæc est prima quæstionis dissolutio. ait genera quidem horum ad aliquid referri, at species ad qualitatem: vt scientia ad aliquid refertur, cum scientia genus sit, & eius quod sciri potest, scientia dicitur: at geometria, quæ est scientiæ species, non ad aliquid refertur, sed ad qualitatem pertinet. eadem ratio est habitus, & affectionis, & omnium eorum, quę sunt generis eiusdem. habitus enim est habiti habitus: & habitum est habitu habitum: & affectio affecti affectio: & affectum affectione affectum. & tamen valetudo & morbus, species habitus, aut affectionis, qualitates sunt. nam ex iis quales sumus, & ab eis nomina deducentes grāmatici, aut rhetorici, aut valentes, aut alio quoquo modo nominamur: & scientes dicimur, vel quod absolute simus scientiæ participes, vel quod aliqua scientia simus præditi, vt grammatica, vt musica, aut alia quadam. hæc igitur est explicatio minus accurata. est autem adūbrata, quia in omnibus categoriis genera ad eandem categoriam, ad quam etiam species pertinent: at verior & accuratior est huiusmodi. [Postremo, inquit, si idem sit & in qualitatibus, & in iis, quæ cum aliquo conferuntur, non alienum est idipsum in vtroque genere collocare:] vt enim pater & filius ad categoriam substantiæ rediguntur, & item referuntur ad ea, quæ cum aliquo conferuntur, alia tamen, atque alia ratione, ita nihil absurdum est, habitus & affectiones, vt res, ad qualitatem; vt vero relationem quandam accipientes, ad ea, quæ cum aliquo conferuntur, redigi.

AGERE ET PATI.

AT quæ et agere patiq; & repugnantiā recipiunt, & magis ac minus. Calfacere .n. & refrigerare sunt inter se cōtraria, et calescere et frigere, et gaudere ac dolere. Reperitur igitur in his repugnātia. Itē magis & minus. Nā et calfacere magis ac minus licet, et minus calescere et magis, & maiorē minoremq; percipere dolorem. Illa igitur agere & pati cum magis minusque copulantur. Atque de his quidem hactenus. In iis quæ cum aliquo conferuntur, situm esse, a situ nomen habere diximus. De cæteris categoriis quales sunt, quando, ubi, & habere, quoniam apertæ sunt, non oscuræ, nihil aliud trado nisi id quod initio dixi: Habere idem declarare, quod uestitum esse & armatum esse. & Vbi, ut in Lyceo, in foro, cæteraque omnia quæ de iis dicta sunt. de generibus autem quæ nobis proposuimus, satis multa dicta sunt.

Categoriæ quædam simplices sunt, quædam ex coniunctione, complexuque simplicium constant. Simplices autem sunt ex quatuor, de quibus diximus, substantia, quantitas, qualitas, quæ cum aliquo conferuntur. ex complexu vero substantiæ cum aliqua ex iis, aut secum, cæteræ sex efficiuntur: vt ex substantia & quantitate, vbi, & quando: ex substātia & qualitate agere, & pati: ex substantia & iis quæ cum aliquo comparantur, habere, & situm esse. vt autem id quoque percipiamus, quatuor videlicet proprie & vere categorias esse, de quibus locuti sumus, & reliquas quatuor ex mutua harum oriri coniunctione, diuisione adhibita declaremus. Eorum quæ sunt, alia per se subsistunt, ut substantia: alia in aliis cohærent. substantia enim constat ipsa per se. quæ in aliis consistunt, quædam in relatione habent essentiam, vt quæ ad aliquid referuntur, quædam relatione vacant. eorum quæ vacant, quædam sunt diuidua, vt quanta, si quidem hoc quantorum esse proprium diximus, vt diuidi queāt: quædam indiuidua, vt qualitates. atque hæ quidem sunt categoriæ quæ proprie & præcipue nominantur, aliæ vero sex ex substantiæ ad alias tres adiunctione existunt: vt cum quantitati, qualitati, & iis quæ cum aliquo conferūtur, coniungitur. Substantia enim quantitati adiuncta duas categorias efficit, quando & vbi: nam tempori addita facit quādo: quippe quando nec substantiam solum, nec tempus, sed substantiam quæ in tempore est, significet. indicat enim tempus, idque tribus sui partibus, vt præsenti, præterito, & futuro. loco vero adiuncta substantia efficit vbi: quod nec locum solum significat, cum non sit locus in loco, neque solum substantiam: sed substantiam, quæ in loco est. nam vbi locū indicat, atque ita diuiditur, infra, supra, a dextris, a sinistris, ante, & retro. qualitati autem addita alias duas categorias creat, agere, & pati: cum agere, & pati in qualitate versentur. nam qui agit in rem aliquam, is vel calfaciendo, vel refrigerando, vel aliqua alia qualitate agit. Præterea facere est in aliquid agere, vt vel in se facere, vt laborare per se, itemque videre, loqui; vel in alium: vt verberans vapulantem verberat. qui vero patitur, id habet vel dum calefit, vel dum niger fit, vel dum ex alia quadam patitur qualitate. pati autem est, ab aliquo alterari. distinguitur, vt vel ad interitum a contrario perducatur, vel ad perfectionem, vt aspectus ab aspectabili. Iam vero cum iis, quæ ad aliquid referūtur, accedit substantia, facit situm esse. nam situm esse corporis hunc, aut illum situm declarat. idque sic diuiditur, ut stare, iacere, sedere cōprehendat. situm uero esse ex iis iam dixi, quæ cum aliquo conferuntur. ipsa denique substantia sibi adiecta in re aliqua arte constructa facit categoriam habendi. habere enim significat substantiæ ad substantiam adiunctionem. quod uero arte constructum est, uel totum in tota substantia spectatur, ut uestis in corpore; uel totum in parte, ut annulus in digito, & hasta in manu. Habere autē tribus modis dicitur, in anima, ut habitus: in corpore, ut materia: circa corpus, ut uestis, tunica, calcei, arma. Cum autem quatuor categoriarum rationes & definitiones Aristoteles exposuisset, earumque propria declarasset, aliarum sex neque definitionē, neque diuisionem in partes tribuit: quasi nos ex iis quæ dicta sunt, hęc intelligere valeamus. quod cum ita sit, danda nobis opera est, vt cuiusque definitionem, & diuisionem in species afferamus. Facere ergo est in aliquid agere. huius categoriæ sunt duę species. nam quod facit, vel in se facit, vt anima quæ sibi ipsa uitam tribuit, seque cognoscit: vel in aliud, vt ignis in nos, cum nos calfacit: & vt sensus agit in sensile. Vel alio etiam modo dici potest. facere duobus modis dicitur, vel ex voluntate, vt canis latrat:

vel secundum naturam, vt in ardore ignis cernitur. Pati est ab aliquo alterari: eiusque sunt duæ species: patitur enim aliquid cum ad interitum ducitur, vt lignum dum ab igni cōburitur, vel ad perfectionem redigitur, vt cum aspectum a re aspectabili dicimus pati: quippe cum a rebus, quę sub aspectum cadunt, aspectus ipse perficitur, cum propriam actionem consequatur. discipulus quoque a doctore patitur, nec tamen ad interitum, sed ad perfectionem adducitur. Pati duobus modis dicitur: nam vel vim habet corrumpendi, ut secari, aduri: vel perficiendi, vt discere, legere. Situm esse autem est situm quendam habere. eius sunt tres species, iacere, sedere, stare. nam, vt sæpe dictum est, vel vniuersum corpus inclinatum est, & iacere dicitur: vel partim inclinatum, partim rectum est, & sedere vocatur: vel totū rectum est, & stare nominatur. Quando, significat tempus, hoc est quo in tempore quidpiam fit. eius tres species sunt, præsens, præteritum, futurum. Vbi, locum significat, vel qđ in loco est. huius sunt species sex, supra, infra, dextrum, sinistrum, ante, & retro. merito quidem sex sunt loci differentiæ. est enim locus, ut dictum est nobis, terminus continentis, quatenus continet id ipsum, quod continetur. quod uero continetur, corpus est. corpus autem tres habet dimensiones, & unaquæque dimensio per rectam lineam definite consideratur, nec per ullam præterea. nam si quis forte scire aueat, quanta sit parietis longitudo, eam is ad perpendiculum dimetietur. perpēdiculum uero recta linea est. simili quoque modo si quis latitudinem aut altitudinem scire uelit, is funiculo extento metietur: quo etiam modo recta linea conficietur. omnis porro recta linea duos fines habet. ergo si omne corpus tres demensiones habet, & unaquæque dimensio rectam lineam facit, omnisque recta linea duos habet terminos, merito fit, ut corpus etiam sex terminos habeat. quocirca si corpus sex habet terminos, etiam locus, quo corpus continetur, sex terminos habebit necessario: siquidem per omnem dimensionem corpus a loco cōprehenditur. ac dimensionis, quæ per longitudinem extenditur, termini in rebus animatis sunt infra & supra: latitudinis, dextrū & sinistrum: altitudinis, ante, & retro. Habere est substantiæ ad substantiam adiectio: id enim vel totū complectitur, vt uestis totum corpus. vel totum in parte, vt annulus in digito. [Atque etiam inquit, agere, patique repugnantiam recipiunt.] Existit hoc loco quæstio, cur philosophus facere & pati non referat ad ea, quæ cum aliquo conferuntur, sed ea velit alias esse categorias: præsertim cum is qui facit, in patientem agat, & qui patitur ab agente aliquo patiatur, ut hac ratione ad aliquid ipsa quoque referantur. respondemus, uerba infinita significare solum naturam actionum, aut passionum: siquidem uel actionem solū, uel passionem declarant. at cætera uerba, ut participia substantiarum relationem, qua ad actionem, uel ad passionem affectę sunt, indicant: quocirca facere & pati, quæ infinita uerba sunt, actionem aut passionem notant, & non ea, quę cum aliquo conferuntur. nemo enim ita loquitur, facere est agere in pati: vel pati est pati ab agere. patiens quidem & faciens ad aliquid referuntur: quia faciens in patientem facit, & patiens a faciente patitur. apte sane Aristoteles in physica auscultatione quęrit, si motus ex agere & pati existit, vtrum in agente, an in patiente consideretur: eumque in patiente spectari declarat. motus enim est progressio ab eo quod est potentia, ad id quod actu fit. actus uero est ipsius habitus adiectio. mouentur ergo quæ indiga sunt, & ex imperfecto ad perfectum transmutantur. ita quod multorum indigens est, id multis cietur motibus, quæ uero paucorum, paucis. itaque Deus cum nullius rei indigeat, est omni prorsus motu uacans. si igitur faciens ex eo, quod facit, perfectum habeat habitum, non mouebitur conuenienter ei, quod faciat. patiens vero, cum egeat faciente, vt potentiam, quæ in ipso est, ad actionem perducat, merito dicitur ex eo quod potentis est, moueri, vt id actu consequatur, quod ut obtineat, est ei natura comparatum. quocirca vnus motus in patiente solum spectatur. duplex tamen esse potest motus ratio. quippe qui & in agente & in patiente possit considerari: nam cum motum spectamus, qui ab agente incipit, & in patiens desinit, actionem eam nominamus: cum uero a patiente incipit, & in faciens finitur, passionem uocamus: ut etiam doctrinam & disciplinam uocare consueuimus. ita fit, ut subiecto unus sit motus, sed differat ratione. at quæ cum aliquo conferuntur, non solum ratione, sed subiecto etiam differunt. quare facere & pati, quę in uno subiecto uersantur, hoc est in motu, non erunt in iis quæ cum aliquo conferuntur: siquidem ea non solum relationem differentem habere volunt, sed etiam subiecta. quid ergo in causa fuit, cur non ita categorias has inscripserit, de factione & passione? dicimus duplicem esse factionem. nam & via ipsa dicitur factio, vt actio ædificatoris, & finis actionis factio vocatur, vt domus. ne igitur ex homonymia error vllus crearetur, nosque ipsum de fine disserere existimaremus, ideo ita indicem scripsit, de facere & pati, hoc est de ipsa actione, & via ad ipsam perducente. [Atque etiam inquit, agere, patique repugnanciam recipiunt, & magis & minus.] ac merito, quia in solis qualitatibus spectatur repugnantia, agere uero & pati ex coniunctione substantiæ cum qualitate existunt. ea denique recipere magis, minusque diximus quam sæpissime, quæ repugnantiam capiunt. cumque non omnes qualitates repugnantiā capiant, neque etiam magis & minus, vt figuræ, merito quoque non conueniet toti categorię, quæ est agendi & faciendi, ut repugnantiam, magisque ac minus recipiat: sed id solum conueniet ei, quę ex eo genere qualitatis, cui hoc insit, deducatur. ei vero, quæ trahitur e qualitate, quæ non etiam capiat repugnantiam, id etiam non conueniet. [ac de generibus quidem, quæ nobis proposuimus, satis multa dicta sunt.] Ex hoc uersiculo nonnulli interpretes in eam sententiam adducti sunt, vt existimarent propositum esse Aristoteli in categoriis de solis conceptionibus agere. philosophus enim, inquiunt, ea sola genera nouit, que posterius genita sunt, & quæ animi conceptionibus comprehenduntur: uniuersale enim, ut ait in libris de anima, uel nihil est, uel posterius. quę uero ante multa dicuntur, ea ipse omnino esse negauit, sed prolusiones & superuacaneas esse nugas affirmauit.

DE CONTRARIIS.

Nunc uero de contrariis, quot modis opponi soleant, disseramus. Contrariorum autem genera sunt quatuor. Vnum eorum quæ cum aliquo conferuntur: alterum eorum quæ aduersa dicuntur: tertium eorum quæ priuantia: quartum eorum quorum alterum ait quid, alterum negat. Hæc autem omnia, ut simpliciter rem proponam, contraria sunt, in iis quæ cum aliquo conferūtur, ut duplum, simplum: in iis quæ aduersa dixi, ut bonum, malum: priuantia, ut cæcitas & aspectus: aientia & negantia, ut sedet, non sedet. Ac ea quidem contraria quæ cum aliquo conferuntur, quicquid ipsa sunt, ad contraria referuntur, aut quoquo modo aliter ad ea affecta sunt. Vt duplum simpli, quicquid ipsum est, alterius esse dicitur. Est enim alicuius duplum. Scientia etiam & res quæ sub scientiam cadit. ut ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se contrario uomine opponuntur: quippe cum & scientia tota in re quæ ei est subiecta, uersetur: & res quæ subiecta est sciētiæ, ad scientiam tota referatur. Res enim quæ scientia cōprehenditur, alicui scientiæ subiecta est.

Disputatio, quæ de categoriis erat instituta, ad finem perducta est: nunc uero ad eam partem aggreditur, quæ categorias deinceps sequitur. in huius enim libri initio diximus, ipsum diuidi in partes treis: quarum vnam continet ea, quæ ante categorias sunt, altera categorias ipsas complectitur, tertia uero in iis explanandis versatur, quę categorias sequuntur. docuimus etiam in prima parte agi de uocibus, quibus vti eum in categoriis explicandis oportebat: in tertia uero, quę nobis modo proposita est, de uocibus quibusdā, quas exponendis categoriis adhibuerat, quarum notitiam quidem, sed tamen non exquisitam atque distinctam habemus. ac partem quidem hanc nō esse

ab instituto huius operis alienam & seiunctam, ut quidá putauerunt, ex ijs, quæ diximus planum est, cum uero etiam ex continuata dicendi ratione satis constat. cum enim in extrema superiore parte coniunctionem, autem, adhibuisset, in huius initio addidit, uero. supra autem habet hæc uerba, [De generibus autem, quæ nobis proposuimus, satis multa dicta sunt:] hic uero in principio huius partis ait, [Nunc uero de contrarijs.] quá ob rem ex hac etiá phrasi plana est series huius partis continuata. In primis autem de contrarijs loquitur, quia in quantitate declaranda eorum mentionem fecit, cum magnum paruo opponi dixit non ut aduersa, sed ut ea, quæ cum aliquo conferuntur. Hoc igitur loco docere uult, quot modis opposita dicantur: eaque quatuor dici modis ait, uel ut ea, quæ cum aliquo conferuntur, uel ut ea quæ aduersa dicuntur: uel ut habitus ac priuationes: uel ut aientia & negantia. Quærendum autem est, cur quatuor tantum sint genera contrariorum, neque plura, neque item pauciora: & afferenda ordinis eorum causa. quam ob rem ut noscamus, quare quatuor solum genera sint, ita dicemus. Contraria uel ut orationes, uel ut res opponuntur. quæ ut res opponuntur, uel in relatione quadam spectantur, ut quæ cum aliquo conferuntur; uel sunt expertia relationis: si uacant relatione, uel inter se cómutantur, sicut aduersa, ut alba & nigra: uel non mutantur, ut habitus ac priuationes, ut cæcitas & aspectus: ut orationes uero affirmationes & negationes opponuntur, ut Socrates ambulat, Socrates non ambulat: ut res uero quæ relationem habeant, quæ cum aliquo cóferuntur, ut pater & filius: dextrú & sinistrum: scientia & quod sub scientiam cadit: ut res uero carentes relatione, & uicissim commutantes, aduersa opponuntur, ut alba nigris, calida frigidis; ut res sine relatione & quæ mutuo non cómutentur, ut priuantia opponuntur, ut cæcitas aspectui contrario nomine opponitur. habitus enim in priuationem ille quidem cómutatur, sed non tamen priuatio uicissim in habitum: ut cæcitas in aspectum. hoc autem loco priuationē pro toto speciei & ipsius functionis interitu intelligit: at in physicis priuationē accipit, non pro toto interitu functionis, siquidem uult eam in illis in habitum cómutari, sed solú pro absentia solius actionis. cur ergo quatuor solum contrariorum sint genera, diuisio nobis aperuit. quid autem causæ sit, cur ea primo loco statuerit, quæ cum aliquo conferuntur, secundo aduersa, tertio priuantia, ultimo aientia & negantia, nunc persequar. Itaq; dicimus initium sumptum esse ab ijs, quorum est oppositio mollior, atque infirmior: nam quæ cum aliquo conferuntur, in eo quod opponuntur, tantú abest, ut se se corrumpant, ut etiá se se uicissim constituant. uno enim posito, ut patre, alterum quoque ut filius, intelligitur: & uno sublato, alterum similiter simul aufertur: siquidem alterum alterius beneficio mutuo consistit. Secundum locum sibi aduersa uendicarunt, ut alba & nigra: quorú aliquanto firmior oppositio est: propterea quod non modo se se mutuo inferunt, sed etiá corrumpunt, nam si unó adsit, alterum non cohærebit: & tamen hæc quoque inter se cómutantur: ut alba & nigra, & calida ac frigida. Tertius locus datus est habitui ac priuationi, quorum uehementior, quam aduersorum, repugnantia est: illa enim mutuo cómutantur, at priuatio nunquam in habitum cómutatur. nemo enim cæcus unquam aspiciet, si naturæ, atq; artis habeas rationem: nisi id diuina fortasse potestate contingat. ultimú locum tenuerunt aientia & negantia, quæ in uehementissima omnium repugnantia uersantur: quia in omnibus quæ sint, siue non sint, uerum, falsumq; hac oppositione distinguitur. Socrates enim dicitur esse, uel non esse dexter: hæcq; diuisio uera est, siue solus Socrates sit, siue cum multis, siue ne omnino quidem sit. nam si solus sit, uera erit diuisio, qua dicitur, nó esse dexter: si uero cum pluribus, eodem modo: quia cum sit cum multis, uel dexter est, uel dexter non est. sed uel medius est, uel a sinistris: quorum utrunq; non esse a dextris significat. uerum si prorsus non sit Socrates, uere dicitur, non esse eum ad dexteram. sed quomodo uere dicetur, si prorsus non sit? & uox clara dicitur esse, uel non clara, & lapis habere aspectum, uel non habere. deniq; in rebus omnibus hanc repugnantiam ueram inuenies, ac non solum in rerum singularum, sed etiam uniuersarú oppositionibus. nam quæ sunt, uel a dexteris sunt, uel nó sunt. uel clara sunt, uel non, uel aspectum habent, uel non habent. hæcq; oppositio non solum in corporibus spectatur, sed etiam in ijs, quæ uacant corpore: siquidem illa quoq; situm a dextris non habent: propterea quod nec corpora sunt, nec alba sunt, nec aspectum nostrum habent. quod uero non est, id neq; a dextris est, nec clarum, nec aspectu præditum. Ergo aientia & negantia, ut dictú est nobis, omnia quæ sunt, quæq; non sunt, distinguunt: cæteræ uero oppositiones, nó item. præterea oppositio eorum, quæ cum aliquo conferuntur, non dicitur in omnibus. si enim quispiá solus sit, is neq; a dexteris, neq; a sinistris esse dicetur. neque uero etiam dicentur non corpora, ut animus: qui neque ad dexteram, neque ad sinistram esse dicitur. uerum neq; etiam aduersorum oppositio in omnibus dici potest: uox enim non dicitur alba esse, uel nigra: est enim uox, quæ etiam rauca nominatur. sed neq; colores omnes sunt uel albi, uel nigri: cum etiá medij sint, ut fuluus, pallidus, & alij consimiles. Iam uero habitus quoq; & priuationes non in omnibus intelliguntur: lapis enim non dicitur cæcus, uel aspectu præditus esse: quibus quidem sit rebus, ut merito primas tribuerit ijs quæ cum aliquo cóferuntur, secundas aduersis, tertias priuantibus, quartas denique aientibus ac negantibus, cum ab ijs, quorum infirmior erat oppositio, sit exorsus, & in ijs terminarit, quorum ea erat uehementior. [Hæc autem inquit, omnia, ut simpliciter rem proponam, contraria sunt, in ijs, quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum, simplum.] his uerbis quandam nobis cótrariorum notitiá per exempla suppeditat: deinde singula genera a cæteris distinguit, ne quis eorum oppositionem eandem putet. fuerunt enim, qui eandem esse repugnantiá eorum, quæ cum aliquo conferuntur, & aduersorum existimarint. aiunt enim aduersum aduerso aduersum est. quam ad rem dicimus, res, quæ repugnantiam admittunt, qualitates esse, ut albæ & nigræ, calidæ & frigidæ: at nemo est, qui dicat alba esse nigris alba: neque nigra albis nigra: & tamen hæc est eorum, quæ cum aliquo conferuntur, oppositio: ac nihil incómodi est, ut eorum quæ cum aliquo conferuntur, repugnantia in alijs rebus spectetur: siquidem ea dicimus propriam consistentiam non habere, sed ad alias categorias niti. [In ijs inquit, quæ aduersa sunt, ut bonú, malum:] bonum dicit, non quod naturam humanam excedit, cum illi nó sit contrarium malum, sed quod in ortu & interitu uersatur: cui malum aduersatur. duplex namq; bonú est: quod per se, quod per substantiam, & sua ui inest in Deo, cui nihil est contrarium; cum substantiæ nihil contrariú sit: & quod ex accidenti, cui malum opponitur: id inquam, quod in nobis est, quemadmodum etiam lucem esse duplicem diximus, alterá in Sole, cui tenebræ non sunt aduersæ, quia lux illa Solis naturam complet, eiq; per substantiam inest: alteram in aëre, ex accidenti in eo factam, cui tenebræ opponuntur, quippe quæ lucis recessu ipsæ quoque aëri contingant. cognitio, quoque ut scriptum reliquit Plato, duplex est: altera intelligibilis, quę sola uera nouit, eiq; falsitas non opponitur: alteræ uero opiniones cogitationis participes, quibus cótraria falsitas est: præsertim cum cogitare, & opinari falso aliquid possimus: at falso intelligere, nó item. sic enim mens demens esset. mens enim, ut ait Aristoteles, uel intelligibile attigit, uel non attigit: quocirca errore uacat. huic ergo bono, quod in ortu & interitu uersatur, nunc aduersari malum dicit.

Quæ igitur vt ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se contrario nomine opponuntur, quicquid ipsa sunt, contrarijs tribuunt, aut quoquo pacto inter se affecta sunt. At vero quæ vt aduersa, contraria sunt, neutiquam inter se ita affecta sunt, vt vim naturamq; suam inter se referant, sed tamen inter se sunt contraria. Non enim bonum, mali bonum appellatur, sed contrarium. Differunt igitur hæc inter se contraria.

Probare nunc vult, repugnantiam eorum, quę cum aliquo conferuntur, non esse eandem cum ea, quę est aduersorum. id quod facit vsu syllogismi, qui in secunda forma cóficitur hoc modo, quæ opponuntur vt ea, quæ cum aliquo

conferuntur, quicquid ipsa sunt, aliorum esse dicuntur; vt dexterum dicitur sinistri dextrum esse: quæ vero, vt aduersa opponuntur, quicquid ipsa sunt, non dicuntur esse aliorum, cum album non dicatur nigri album, ergo efficitur, vt quę cum aliquo conferuntur, contraria, diuersa ab aduersis sint.

Quæ autem aduersa sunt eiusmodi, vt necesse sit alterũ inesse in iis in quibus apta sunt esse, aut de quibus dicuntur, inter ea nulla media interiecta sunt. Quorum uero non est necesse inesse alterum, in medio eorum aliquid est collocatum. Vt morbus & bona valetudo, quoniam in corpore nasci solent, certe alterum necesse est, uel morbum, uel bonam ualetudinem animãtis corpori conuenire. Impar etiã & par in numero dicitur, alterutrumq; necesse est in numero reperiri: nec inter ægrotationem et ualetudinem, par & impar, quicquam medium interiectum est. Quorum non est necesse alterutrum inesse, in medio eorum aliquid collocatum est. veluti candor & atror in corpore natura nascũtur, & tamen non necessario alterutrum inest in corpore, cum præsertim non omne corpus album sit aut nigrum. Item malum & bonum & in homine & in aliis plerisque illa quidem dicuntur, sed tamen alterutrum non est necesse in iis inueniri, de quibus dicuntur. Non enim uel mala sunt, vel proba omnia. Itaque his interiectum est aliquid, ut inter album colorem & nigrum, fuscus & pallidus, & cæteri colores: & inter malum & bonum, quod neque malum est, neque bonum. Ac nonnullis quidem mediis rebus imposita sunt nomina, vt fuscus & pallidus inter album et nigrum medij sunt colores, & cæteri eiusdem generis: In aliis non est facile id quod medium est, nomine ullo appellare & exprimere: definitur autem vtriusque extremi negatione, uelut quod nec bonum est, nec malum, quod nec iustum est, nec iniustum.

Cum oppositionem eorum, quæ cum aliquo conferũtur, ab aduersorum repugnantia distinxerit, eandem nunc a cęteris vult secernere: ac primum quidem docet, quomodo ab habitus priuationisque repugnantia diuidatur. quoniam vero hoc ad agendum ei adiumento est enumeratio specierum diuersarum, quæ ea habitu & priuatione opponuntur, ideo illarum differentias prius nobis exponit. & antequam hoc facit, diuersas species aduersorum explicat: quas sane statim ab iis discernit, quæ per habitum & priuationem opposita sunt. post diuersarum uero specierum quæ vt habitus & priuationes contrariæ sunt, enumerationem, differẽtias eorum, quæ ut affirmationes, negationesque opponuntur, explanat: ad extremum vero eas quoque distinguit a cæteris. si enim cuiusque oppositionis differentia, consequentiaque nouerimus, profecto mutuas oppositionum differentias facile cognoscemus. diuisionem igitur, ut dixi, primum affert aduersorum, cuius uis ferme talis est: aduersorum quædam medio uacant, ut par & impar: quædam medium habent, ut album & nigrum: medium eorum flauum, & cęteri colores. eorum inter quæ medium est, alia sunt eiusmodi, ut utrunque abesse possit a subiecto, quippe cum non sit necesse, ut corpus omne sit album simul & nigrum: cum possit etiam flauum esse: alia eiusmodi, ut alterutrum definite, & non quodlibet, in subiecto insit, ut in igne calor, & nunquam frigus: & in niue frigus, ac nunquam calor: quia ita sit utrique natura comparatum, hæc autem & diuisio, & subdiuisio est. alio quoque modo aduersa inter quæ mediũ est, diuiduntur. aduersa igitur, quæ medium habent, alia habent nomine exposita, alia orationibus, & utriusque extremi negatione. quæ enim inter album & nigrum collocata sunt, nomina habent, ut fuluum, flauum, pallidum, & similia. at quod inter bonum & malum est, uacat nomine; significatur autem utriusque extremi negatione, quod nec bonum, nec malum est. aduersorum igitur quædam mediũ habent, ut album & nigrum, quædam medio uacant, ut par & impar: quædam sunt huiusmodi, ut ambo a subiecto abesse queant, ut ab homine album & nigrum: quædam uero, ut eorum alterum necessario insit subiecto, ut igni calor. præterea eorum, inter quæ nullum interiectum medium est, quædam partes habent nomine expressas, ut album & nigrum, inter quæ flaua, rubraque sunt, quædam uero nomen non habẽt, sed utriusque extremi negatione exprimuntur: ut inter bonum & malum quod nec bonum est, nec malum. [Quæ autem inquit, aduersa sunt huiusmodi, ut necesse sit alterum inesse in iis, in quibus apta sunt esse, aut de quibus dicuntur, &c.] Aduersa insunt subiecto uel ea accidẽti, uel per se. ac cum dixit, apta sunt esse, significauit, quæ ea accidenti subiecto insunt: cum uero dixit, aut de quibus dicũtur, declarauit quæ per se conueniant. Per se uero duobus modis aliquid dicitur, vt ipse in posterioribus analyticis docuit: primum cum sit pars definitionis eius rei, quæ proposita est, vt animal, vt particeps rationis, quæ per se homini conueniunt: & ad ipsum definiendum adhibentur: deinde id, in cuius definitione subiectum sumitur, vt par & impar, simitas & aduncitas. par namque & impar definientes mentionem subiecti, hoc est numeri, facimus: cum parem numerum dicimus esse, qui bipartito æque diuidatur: & imparem numerum, qui in duas diuidi æquas partes non queat. verum si numeri vim definitione explicemus, non iam necesse erit paris facere mentionem: numerus enim & multitudo & collectio unitatum est: & tamen numerus omnis, vel par uel impar est maxime. simitatem quoque & aduncitatem si definias, nasi quoque mentio tibi erit necessario facienda; cum simitatem esse nasi cauitatem dicas: aduncitatem vero nasi gibbum. [Inter ea inquit, nulla media interiecta sunt.] horum uerborum hic est sensus. quæcunque aduersa sunt huiusmodi, vt necesse sit alterum eorum inesse, aut ex accidenti, aut per se, inter ea nullum est medium: quæ uero sunt huiusmodi, ut utrunque possit abesse a subiecto, in quo vel per se, vel per accidens insint, hæc non vacant medio, sed aliquid inter ea collocatum est. exemplum superioris, hoc est aduersorum, quæ per se insunt, par est, & impar, inter quæ nullum medium est: quæ ex accidenti, morbus & valetudo: siquidem inter hæc nihil est interiectum, sed alterum eorum in corpore animantis necessario inest: vt pro morbo quemcunque egressum e naturali statu intelligamus: posterioris uero exemplum, aduersorum inquam, quæ per se insunt, vt in igne calor, in aqua frigus, cum medium quiddam horum sit, ut tepidum: ea uero, quæ ex accidenti, vt alba & nigra in nobis: quorum medium est fuluum. ac de numero par & impar dicuntur: cum numerus omnis par sit vel impar, nec numerus, qui talis non sit, inueniatur. [Item inquit, malum & bonum in homine & in aliis plerisque dicuntur.] nõ solum in hominibus bonum, malumque dicimus, sed etiam in aliis, ut in equo. [Ac nonnullis inquit, mediis rebus imposita sunt nomina.] His uerbis, vt iã dixi, alio modo aduersa, inter quæ medium est, subdiuidit: cum ea iam diuisisset in ea, quæ ambo a subiecto abesse possunt, & ea, quorum alterutrum ex necessitate subiecto inesse, sibi sit natura comparatum.

Priuantia autẽ in eodem aliquo reperiuntur, vt in oculo cæcitas & aspectus. Atque vt rem in pauca conferam, in quo natura solet esse adeptio, eodem vtrunque dicitur existere. Priuari uero tum denique dicitur aliquid eorum, quæ apta sunt ad percipiendam rem, cum in quo debet inesse, aut quando debet haberi, nequaquam inest. Edentulum enim appellamus quempiam, non quod dentibus careat, & cæcum, non quod careat oculis, sed quod non habeant ea tũ cum natura apta sunt. Sunt enim quædam quæ a primo ortu oculis careant & dentibus, quæ tamen nec cæca, nec edentula dicuntur. Priuari autem re, & habere rem, non idem est quod priuatio & adeptio: quoniam rei perceptio est aspectus, & priuatio cæcitas: nec habere oculos est ipse aspectus, nec cæcum esse ipsa cæcitas. Nã & priuatio quædam cæcitas est, & cæcum esse, est priuatum esse, non priuatio. Deinde si idem esset cæcitas, quod cæcum esse, profecto de eodem utrunque diceretur. nunc cæcus homo dicitur, cæcitas homo non dicitur. Videnturque inter se opponi, priua-

priuari re, & habere rem, more eorum quæ priuantia dicimus. Eadem est enim ratio repugnantiæ. Vt enim cæcitas aspectui repugnant, sic cæcum esse etiam & aspectum habere inter se repugnãt. Ne id quidem quod sub affirmationem & negationem cadit, idem quod affirmatio & negatio declarat. Nam & affirmans est oratio, affirmatio: & quod sub affirmationem & negationem cadit, res est, non oratio. Hæc autem inter se opponi ut assertio & negatio dicuntur, quoniam in iis eadem ratio repugnantiæ ualet. Nam ut assertio & negatio inter se contrariæ sunt, veluti sedet & non sedet: sic res quæ utroque eorum continentur, vt sedere aliquem, & non sedere, contrario opponuntur nomine.

Cum oppositionis aduersorum uarias significationes attulerit, nunc ad habitum & priuationem aggreditur. est enim a nobis iam dictum horum explicationem eo pertinere, ut ab iis, quę cũ aliquo conferuntur secernantur: immo uero neque solum ab iis, sed etiam et a cæteris omnibus cõtrariis distinguãtur. [Atq;, ut rẽ in pauca conferam, in quo natura solet esse habitus, in eodẽ inquit, utrunq; dicitur existere.] ut rem significet, ait, in quo natura solet esse, ut quod ad res singulas pertinet, declaret: dixit autem, in quo natura esse solet, pro habet: ut tẽpus indicaret. Illud sciendum est, priuationem esse uel substantiæ, uel potentię, uel habitus, uel actionis, uel rectitudinis, uel prefectionis. sed in quibusdã nomen, & res priuans est, ut in insensibili: in quibusdam nomen solũ, ut in immortali, & incorporeo, quod corpori opponitur: in quibusdam res sola, & non nomen, ut in surdo, & cæco. ergo in habitu & priuatione tria obseruanda sunt, quod aptum est suscipere, quando aptum est ad suscipiendum, hoc est, quo tempore aptum sit: & in qua parte aptum sit. & in qua re dicitur habitus, in eadem quoque priuatio spectatur. neque enim dicimus lapidem priuatum esse aspectu, quia ei nunquam fuit natura comparatum, ut aspectum haberet: neque dicimus hominem in pedibus priuatum esse aspectu, cum in ea parte non sit aptus, ut uideat: sed neque catulum priuatũ aspectu dicimus, quia eo tempore non est aptus, ut aspiciat. dicimus quidem hominem in facie aspectu orbatum, quia & aptus ad aspectum, & in ea parte, homo est. temporis est eadem ratio: nõ enim edentulum dicimus absolute quicquid dentes non habeat, quia eum, qui nuper in lucem editus sit, non dicimus, quod eo tempore non sit aptus, ut habeat: ut neque etiam catulũ cæcum uocamus, sed edentulum appellamus eum, qui uel senectute, si ita usus ueniat, uel aliquo morbo dentes amiserit. [Priuari autem inquit, re, & habere rem, non idem est, quod priuatio & habitus.] philosophus uult his uerbis ostendere, non idem esse priuari, & priuationem, neque habere, & habitum. nam habitus ipse & priuatio qualitates sunt, quæ uero prædita sunt habitu & priuatione, qualia nominantur, & ab eis nomen trahunt: vt sunt candor & candidus; candor enim qualitas est, candidus uero qualis, sic a cãdore nominatus. cæterum id philosophus docet, hoc est nõ idem esse habitum, & habitu præditum esse, non generibus, hoc est habitu & eo, quod habitu præditum sit, neque priuatione, & eo, quod priuationem habeat, sed speciebus, id est, aspectu, cæcitate, & eo quod aspectum habeat, quodque cæcitatem. apertior enim specierum, quam generum cognitio est. hinc enim plane patet, aliud esse cęcitatem, aliud habere cæcitatem. & aspectus aliud est, & habere aspectum aliud. illa enim qualitates sunt quædam: hæc vero substantiæ qualitatum participes. quæ si differunt, certe eorum etiam sunt differentia genera. vt enim cæcitas & aspectus ad eum qui aspectu præditus sit, eumque qui eo careat, affecta sunt, ita etiam habitus & priuatio affecta sunt ad eũ, in quo habitus, priuatioque insit: quia etiam quam rationẽ habet aspectus & cæcitas ad habitum & priuationem, eandem habebit qui aspectum habet, & cæcitatem, ad eum in quo habitus & priuatio comperiatur: siquidem eorum sunt species. quã ob rẽ si hæc differentia sunt, hoc est, aspectus & habens aspectum, cæcitas & habens cæcitatem, etiam eorum genera erunt differentia; id est, habitus, & habitum habens, & priuatio & habens priuationem. [Deinde inquit, si idem esset cæcitas, quod cæcum esse, profecto de eodem utrunque diceretur.] quia si idem esset cęcitas, quod cæcum esse, vtrunque de eadem re diceretur. præterea ait, si idem esset aspectus, quod aspectum habens, utrunque de eodem subiecto diceretur, ut uir, homo, mortalis, qui idẽ est, de uno subiecto dicitur: ita etiam si hæc eadem essent, de vno & eodem subiecto dicerentur: nunc uero cæcitatem, aut aspectum habere homo dicitur, sed homo non dicitur cæcitas, aut aspectus absolute: ex quo planum est, ea esse differentia. quanquam uero hæc diuersa sunt, eadem tamen est ratio repugnantię: quemadmodum enim aspectus opponitur cæcitati, ut habitus & priuatio, ita etiam habere aspectum, opponitur per habitum & priuationem ei, qui cæcitatem habet. [Ne id quidem, inquit, quod sub affirmationem & negationem cadit, idem quod affirmatio, & negatio declarat.] quod affirmatione & negatione continetur, non est affirmatio & negatio. non esse autem idem affirmationem & negationem, quod ea, quæ ab eis declarãtur, probat eo, quod affirmatio et negatio sint orationes: quæ uero ab eis significentur, res. hæc enim, Socrates sedet, oratio est: ipse uero sedens Socrates, res est. est enim substantia cum actione quadam, hoc est cum sedendo: hæcque inter se contrario nomine opponuntur, eodem genere repugnantiæ. ut enim oratio, qua dicitur, Socrates sedet, opponitur ei, qua dicitur, Socrates non sedet, sic etiam sedens Socrates non sedenti opponitur. ambæ enim repugnantiæ, ut affirmatio & negatio, contrario nomine opponuntur.

Priuantia uero non opponi inter se more eorum quæ cũ aliquo conferuntur, hinc intelligi potest, quòd uis eorum non ex mutua coniunctione intelligitur & pendet. Non enim aspectus, cæcitatis aspectus dicitur: neque ullo alio modo ad eam affectus est. Similiter ne cæcitas quidem aspectus cæcitas appellatur. verum aspectus priuatio cæcitas dicitur, aspectus cæcitas non dicitur. Itaque si in iis cæcitas esset quæ cum aliquo conferuntur, certe illud etiam reciprocaretur quo cum iungeretur. At ei uicissim non respondet. Neque enim aspectus cæcitatis aspectus nominatur.

Cum nos singulas oppositiones separatim docuerit, nũc quomodo distinguantur, explanat, eaque quæ cum aliquo conferuntur, ab iis separat, quę ut priuantia opponuntur, cum ea iam ab aduersis distinxerit. quod ut declaret, in speciebus, utpote quę manifestæ magis sunt, uersatur, ut in aspectu & cæcitate, ut earum utatur exemplo. Primum uero docet syllogismo, qui in secunda forma fit ad hunc modum: quæ cum aliquo conferuntur, quicquid ipsa sunt, contrarij esse dicuntur: siquidem pater filij pater dicitur, & dextrum sinistri dextrum: quæ uero ex habitu & priuatione opponuntur, quicquid ipsa sunt, non dicuntur esse contrariorum, cum aspectus non dicatur cæcitatis aspectus esse: ergo ea quæ contraria ad aliquid referuntur, diuersa sunt a contrariis ex habitu & priuatione. atque ita quidem primũ a notiore, & de quo inter omnes constat, comprobauit: ex eo inquam, quod aspectus cæcitatis aspectus non dicatur: deinde uero ex ambiguo idem probat, ex eo uidelicet, quod nec cæcitas dicatur cęcitas ipsius aspectus. hoc enim dici uidetur. [Neq; inquit, ullo alio modo ad eam affectus est.] hoc est, licet ad arbitrium tuum nomina confingas, nullo tamen pacto ad oppositum erit affectus, ita quod ait, ullo alio modo, significat, neque si casus commutaris, fore ut fiat relatio, ut si dicas aspectus cæcitate aspectus. similiter nec cęcitas quidem aspectus cęcitatis appellatur: quia aspectus non sit cæcitas, licet oculus cæcus fiat. ergo non dicitur cæcitas aspectus cęcitas, sed cæcitas aspectus priuatio: cum nec tenebræ lucis tenebræ nominentur, sed lucis priuationes: propterea quod lux non sit tenebræ: sed aër sit tenebricosus: licet id ex lucis inumbratione consequatur. scire autem conuenit, aspectum non solũ significare actionem, sed etiam oculum subiectum. Nunc uero cum id ostẽderit in re clara, hoc est in aspectu, non dici aspectum cum

contrario

contrario, deinceps in ambiguo declarabit. [cæcitas enim inquit, aspectus dicitur priuatio, at cæcitas aspectus nõ dicitur.] An uero nõ recte dici affirmamus, cæcitatẽ nõ esse aspectus cæcitatẽ? si enim, ut ipse ait, dicimus aspectus priuationem, ac si de quo genus dicit, necesse omnino est, ut aliqua eius species de aliquo dicatur, cũ non possit quidpiã esse animal, nisi sit aut homo, aut equus, aut aliud aliquod animal omnino: simili quoq; modo priuatio esse nõ potest, nisi prorsus sit aliquid, cuius esse priuatio dicatur. quare necesse omnino est, ut eã, quæ habitui illi speciei ratione opponatur, priuationem esse illius dicamus: nam priuatio aspectus, nõ est absolute & uniuerse & omnino priuatio, sed quædam nimirum priuatio, hoc est cæcitas: si igitur aspectus priuatio, quædam priuatio est, hæcq; quædam priuatio nihil est aliud, quam cæcitas, profecto cæcitas erit cæcitas aspectus. nam quo fieri pacto potest, vt cum alicuius esse genus dicatur, species quoq; non esse alicuius affirmetur, siquidem consistere sine aliqua specie genera non possunt? An uero ne genus quidem, hoc est, priuatio non dicitur esse aspectus priuatio. an si genus, omnino etiam species quædam. Verum ad hæc dicat fortasse aliquis, ut dicimus cognitionis priuationem, & necesse est, quatenus ex hac percipitur oratione, esse aliquam huiusce priuationis speciem, quæ de cognitione dicatur, aut ad eam referatur: nunc uero cum genus de scientia enuncietur, nullam tamen speciem, quæ de ipsa enuncietur, inuenimus: cui ita possemus respondere, nobis non suppetere nomen, quo oppositam cognitioni priuationem appellemus; ut aspectui opposita priuatio, nomine cæcitatis uocatur: sique esset, eam cum cognitione conferri, sicut cæcitas aspectus esse cæcitas dicitur. Vbi enim priuationes ex habituum priuatione nominamus, ut ignorationem, inscitiam, insipientiam, & similia, iam nõ dicuntur esse contrarij, sed eius quod eas suscipit. neq; enim ignoratio cognitionis ignoratio dicitur, sed animi ignoratio, atq; inscitia. & idem fit in cæteris: nam habent in se ipsis contrarium, de quo priuationem enunciant. Verum etiam si priuatio quicquid est, contrarij esse dicatur, ac nõ modo genus ipsum, sed etiam si aliqua species earum, quæ sub illo sunt, nomen habeat; non tamen habitus, quicquid sit, priuationis esse dicetur: sunt enim opposita ex genere eorum, quę cum aliquo conferuntur, quæ quicquid sunt, esse contrariorum dicuntur, ut ipse Aristoteles deinceps docet: ita fit, ut priuantia hoc modo differant a cõtrarijs, quæ cum aliquo cõferuntur. Præterea dicere posset quispiam, non eadem ratione, qua ea quæ cum aliquo conferuntur, quicquid sunt, contrarij dicuntur esse, ita & priuationem esse habitus priuationẽ dici. propterea quod ex ijs quæ cum aliquo cõferuntur, ut quæ causæ sibi mutuo sunt, ita utrunq; contrarium alterius esse dicitur: at priuatio habitus esse dicitur, ceu illi causam præbeat, ut fit, sed potius contra, ut non fit. An uero etiam Aristoteli dicenti, priuationem dici aspectus priuationem, aspectus uero cæcitatem nõ dici, opitulari possumus? nam & lucis priuationem dicimus, tenebras uero lucis, non item: & tamen nihil aliud sunt tenebræ, quam lucis priuatio, ut cæcitas est aspectus priuatio, ut alibi est a nobis pluribus uerbis declaratũ: sed ut crurıs mutilationem dicimus, non tamen id nomen in paritate, rectitudine, & integritate, aut quouis modo quispiam crurum naturalem positum uocarit, nõ usurpamus, ita etiam tenebras aeris dicimus, lucis uero tenebras nõ item: ergo ne aspectus quidem cæcitatem, sed oculorum, ut etiam oculorum mutilationem appellamus. oculus enim partem significat, quæ sit aspectus particeps: aspectus uero facultatem ipsam indicat. sed ut sæpenumero in alijs qualitatibus cõmuni nomine appellamus ea, quæ qualitates capiunt, ut corpus album, & dealbatum, cum ipsam quoque albedinem dicimus, & calidum, & frigidum, & graue, & leue, & cætera simili modo, ita etiam aspectum non solum dicimus potentiam uidendi, sed pro ipsis etiam instrumentis, hoc est oculis intelligimus, ut oculos aspectum appellemus, cæcitatemq; oculorum esse proprie confirmemus. oculi autem, ut diximus, proprie aspectus dicuntur, quare etiam cæcitatẽ aspectus dicimus, nõ de facultate, sed de instrumentis, hoc est de oculis intelligentes. Aristoteles uero ait cæcitatem nõ dici facultatem oppositam, id quod sane uerum est. restat ergo, ut illud dissoluamus, quomodo cum genus ipsius cæcitatis, hoc est priuatio, ipsius habitus esse dicatur, non tamen unaquæq; species priuationis, alicuius esse habitus dicatur. si modo uerum est, in quibus genus dicitur, omnino etiam aliquam speciem earum, quę sub genere sunt, dici. dico igitur, habitus res quasdam esse, quæ formam adeptæ sunt, & subsistunt: ideo merito fieri, ut cum habitus sit genus, species quoque sibi subiectas habeat: & unaquæq; earum formam quandã naturalem obtineat. priuatio autem nihil aliud est, quam habitus ipsius absentia. quocirca ipsa sui ratione est nõ ens. quonã uero pacto possumus species ullas nõ entis, tanquam existat, inuestigare? quam ob rem etiam si aliqua priuatio magis specialis est cuidam habitui contraria, non tanquã ens, sed tanquã non ens per habitus ipsius negationẽ opponitur, ut sapienti insipiẽs, & habenti dentes edentulus, quod nomen ex e, & dentibus coniungitur. hæ igitur singulæ priuationes simili ratione, qua genus, per priuationem ipsius habitus dicuntur. sicut autem priuationi nomen esse impositum comperiatur, ut absentia aspectus dicitur cæcitas, uel absentia luminis, tenebræ, tale nomen non dicetur de habitus absentia, sed de affectione, quæ in subiecto gignitur, aut de aliquo alio, quod absentiæ habitus ipsius superueniat: ut σκότος, hoc est tenebræ a σκιάζειν, hoc est inumbrare dicitur, umbra enim est luminis impedimentum, quæ sane uel in aere, uel absolute in pellucido accidit, uel, ut Herodianus auctor est, παρὰ τὸ σχέθειν, id est detinere, cohibet enim nostram intelligentiam, aut progressiones, actionesq; complures remoratur: & τύφλωσις hoc est cæcitas, a τύφειν hoc est adurere, & τυφλός, id est cæcus, quasi τυφός, id est qui lucem oculorum combustam habeat: nam ut ait poëta, Oculi exuruntur inanes: & πηρὸς id est oblæsus, a πάθω id est patior: & ὀκνηρὸς ab ὄκνω, id est piger a pigresco: hæc enim instrumentorum, & non habituum esse dicuntur: siquidem affectiones sunt non ipsorum habituum, sed earum partium, quæ habitibus subiectæ sunt. [Itaque si in ijs cæcitas esset, quæ cum aliquo conferuntur, &c.] altero quoque syllogismo probat, ea contraria quæ cum aliquo conferuntur, diuersa esse a priuantibus. ita enim fere ait, quæ cum aliquo conferuntur, uicissim reciprocantur: ut enim pater filij pater dicitur, ita filius patris filius: priuantia uero non reciprocantur, quia aspectus non dicitur cæcitatis aspectus: ergo quæ cũ aliquo conferuntur, diuersa a priuantibus sunt.

Atq; etiam ne more quidem eorum contrariorum quæ aduersa dixi, inter se contraria esse priuantia, hinc perspicitur. Nam contrariorum eorum, inter quæ non est mediũ, alterutrum necesse est semper inesse ijs quibus apta sunt natura, aut de quibus dicuntur. Inter ea enim nihil medium interiectum esse posuimus, quorum alterutrum in eo reperiretur necessario quod vim ad id accipiendum haberet. veluti inter morbum & bonam valetudinem, inter parem numerũ & imparem. Inter quæ autem mediũ est, nunquã necesse est alterutrum in vlla re inueniri. Neque enim necessario album est aut nigrum, neque calidum aut frigidum id omne quod vim habet ad hæc recipienda. quippe cum nihil prohibeat aliquid eorum, quæ inter hæc ipsa media sunt interiecta, conuenire. Iam vero inter ea etiam mediũ aliquid est, quorum alterutrum in eo non reperitur necessario, quod id recipere potest, nisi quibus natura alterum tributum sit. vt ignis natura calidus est, & nix alba. In his enim necessario alterũ reperitur, nõ alterutrum, vtrumuis occurrat. Neque enim fieri potest vt ignis frigidus sit, aut nix atra. Ergo non necesse est alterum eorum in omni re inesse quæ vim habeat ad recipiendum, sed in ea sola cui alterum innatum est & insitum: atque ei alterũ definite conuenit, non alterutrum. At vero priuantium neutrum vere dicitur, præsertim cum non semper necesse sit in eo quod recipere illa potest, inesse alterum. Cui enim nondum natura aptus est aspectus, is neque cæcus esse, neque despicere dicitur. Ita nunquam hæc in ijs esse possunt aduersis & contrarijs,

trarijs, inter quæ nō est medium. Nec in ijs quidem quibus medium interiectum est. Necesse est enim in omni re quæ vim habeat ad ea recipienda, inesse alterum. quoniā quod tempus à natura constitutum est ad despiciendum, in eo animans uel cæcus est uel despicit. atque eorum non præfinite alterum dicitur, sed alterutrum. At uero eorum contrariorum inter quæ medium est, nunquam alterum in omnibus quæ recipere possunt, sed quibusdam solum, idque non præfinite alterum, verum alterutrum inest necessario. Quare perspicuum est, neutro modo priuantia inter se contraria esse, quo contraria sunt inter se ea quæ aduersa nominauimus. Postremo contrariorum si sit res apta ad accipiendū, fieri potest inter ipsa commutatio, nisi si cui alterum natura sit tributum. Nam & valentes in morbum incidere possunt, & alba nigra fieri, & frigere quæ calescunt. Ex bono etiam improbus, & uicissim ex malo probus effici potest. Prauus enim, si ad meliorem usum rationemque ex mala deducatur, iam habeat ad uirtutem progressionis aliquantum. Cum autem semel, vel parum in virtute processerit, profecto aut perfectam sapientiam mutatione morum consequetur, aut certe magnam in uirtute faciet progressionem. Semper enim aptiores animos habet ad virtutem, quamuis parum initio in ea processerit, vt uerisimile sit eū maiorem progressum esse facturum. Quod si sit sempiternum, tandem certe aliquando, nisi tempus impediat, perfectam sapientiam consequetur. At priuantibus nulla inter se fieri mutatio potest. Etsi enim ex re in priuationem fit progressus & commutatio, tamen regressus ex priuatione in rem, quæ amissa est, fieri nullo modo potest. Neque enim qui oculis semel captus est, nunquam postea iterum despexit, nec caluus comam recepit, nec edentulus dentes.

Distinxit oppositionem eorum, quæ cum aliquo conferūtur, ab aduersorum oppositione, & item ab ea, quæ est habitus, ac priuationis. nunc uero separat ab aduersis priuantia quanquam debebat, vt rerum series postulabat, ea quæ cum aliquo conferuntur, ab aientibus & negantibus distinguere. uerum quia una ratione quadam aientia & negantia a cæteris contrariis est secreturus, ideo ei causa est, quare modo hanc aientium, negantiumque distinctionem trāseat, ne eadem iterare cogeretur. Species autem contrariorum iterum enumerat, propterea quod vult priuantia omnibus aduersis esse contraria. [Nam contrariorum inquit, eorum, inter quæ non est medium, alterutrum necesse est inesse iis, quibus apta sunt natura.] est enim omnino necesse, numerum aut parem esse, aut imparem, & animal aut ualere, aut ægrotare. in iis uero, inter quæ medium est, non necesse est alterutrum in omni esse, cum non necesse sit, ut corpus omne aut album sit, aut nigrum: est enim etiam fuluum: aut etiam calidum aut frigidum, cum esse tepidum queat. [Iam uero inquit, inter ea etiam medium aliquid est, quorum alterutrum in eo non reperitur necessario, quod id recipere potest, nisi quibus natura alterum tributum sit.] Hæc fuit tertia species aduersorum, quæ medium aliquid habet: sed alterum contrariorum necessario inest in eo, quod id recipere potest: quia ei natura tributum est: ut igni calor, niui cādor. in quo genere nunquam accidit, ut utrunque contrariū a subiecto absit: quippe cum non posit ignis non calidus esse; aut nix non frigida, aut terra non grauis, aut ignis non leuis. [At vero inquit, priuantium neutrum uere dicitur.] Ad memoriam nobis reuocauit, multos modos oppositionis aduersorum, nunc uero docet nullum ex iis modis habitus priuationisque oppositioni conuenire: ac primum eam ab aduersis medio uacantibus distinguit, hoc modo: [Præsertim inquit, cum non semper necesse sit in eo quod recipere illa potest, inesse alterum.] nam in contrariis, inter quę nihil interiectum est, alterum subiecto inest necessario, in priuantibus uero alterum non necessario inest, sed contingit vtrunque abesse. catulus enim neque cæcus est, neque uidet: & infans modo natus neque edentulus est, neque dentes habet. at numerus omnino uel par est, uel impar, atque animal necessario vel bene valet, vel ægrotat. quare oppositio eorum, quæ aduersa sunt, ac medio vacant, non eadem est cum ea priuantium. [Nec in iis quidem inquit, quibus medium interiectum est: necesse est enim in omni re, quæ uim habeat ad ea recipienda, inesse alterum.] modo distinguit aduersa inter quæ medium aliquid est, a priuantibus: ac primum ab iis, quorum vtrunque a subiecto abesse posit. in priuantibus enim cum subiectum ad ea recipienda uim habeat, necessario ei inest alterum. Socrates enim, cum iam sit aptus, vel cæcus, vel videns erit necessario. at in aduersis, non ita est. cum minime necesse sit album esse, aut nigrum: siquidem posit etiā neutrum horum esse: & potest aptum esse, ad utrunque cōtrarium accipiendum. [Idque inquit, non præfinite alterum, verum alterutrum inest necessario.] His etiam uerbis priuantia ab aduersis medium habentibus distinguit: in quibus definite alterum contrarium rei, quæ ad suscipiendū apta sit, adesse natura sit tributum: in habitu uero & priuatione, vt ipse ait, non definite alterum in subiecto inest, cū ad illa accipienda aptum sit, sed alterutrum. neque enim definite Socrates cæcus est, aut uidet, sed alterutrum. in aduersis uero medium habentibus, in quibus alterum innatum est, ut subiecto insit, in eis alterum inesse necesse est, & contrarium nullo modo: vt igni præfinite inest calor: niui candor, & frigus: contrarium uero nunquam. id quod ex subiecti natura existit: causa est, quia & calor & frigus medium quid habent. ex quo fit, ut neutro modo eorum, quibus aduersa dicuntur, inter quæ medium est, eorum oppositio eadem sit cum ea priuantium. [Postremo inquit, contrariorum si sit res apta ad accipiendum, fieri potest inter ipsa cōmutatio, nisi si cui alterum natura sit tributum.]. cum diuiserit aduersa, & ostenderit in neutro genere priuantia eadem esse, quod aduersa, nunc ratione quadam uniuersali ea inter se disiungit, aitque, aduersa inter se commutantur, nā calida mutantur in frigida, & frigida in calida, & alba in nigra, & nigra item in alba: at priuantia inter se non commutantur. etsi enim aspectus in cæcitatem mutatur, non tamen uicissim cæcitas in aspectum. non ergo idem sunt aduersa, quod priuantia. recte uero dixit, si et res apta ad accipiendum: quia ob hanc causam fit aduersorum inter se commutatio: quippe cum qualitates per se non commutentur: sed cum in subiecto sunt, tum mutationem subeunt. recte etiam addidit, fieri potest, quia non semper inter se aduersa commutantur. nam quæ suapte natura alicui subiecto insunt præfinite, ea nunquam in contraria mutantur. neque enim unquam ignis calor in frigus, neque niuis frigus & candor in calorem, atroremque commutabitur. [Ex bono etiam malus inquit, & ex malo bonus effici potest.] Fieri autem ex probo improbum posse, nō ostendit. at ex improbo probum, confirmat. Bonum autem hic uocat, non perfectum hominem, & qui honestatis vim ex scientia cognouerit, siquidem ille sibi comparauit, qui mutari non potest, quippe qui non modo honestam esse uirtutem, sed etiam quare honesta sit, nouit, non eum inquam, ait commutari, sed qui recta opinione sit imbutus. is enim in deteriorem potest cōmutari, deceptus & in fraudem a sceleratis hominibus impulsus; si quidem quare virtus honesta sit, non didicit. [Quod si sit sempiternum, inquit, certe aliquando, nisi tempus impediat, perfectam sapientiam consequetur.] Verisimile enim est, vel morbo interrumpi continuatum cursum, vel negotiorum curis, vel deteriorum hominum consuetudine deprauari. itemque si quis in extrema senectute philosophię studiis dare operam ceperit, deinde morte interceptus mutetur prius, quam perfectum habitum virtutis consequatur. [Neque enim inquit, qui semel oculis captus est, vnquā postea iterum aspexit.] medica uidelicet ratione, & naturali nemo vnquam cæcus, iterum aspexit: nisi id sit diuino aliquo beneficio consecutus.

Aientia autem & negantia non esse inter se contraria ullo generum quæ commemorauimus, ex hoc intelligi potest, quod in his solis necesse est uerum unum esse, falsum alterum. Nam nec aduersorum necesse est semper alterum

uerum

uerum esse, alterum falsum, nec eorum quæ cum aliquo conferuntur, nec priuantium. Vt bona ualetudo & ægrotatio aduersa sunt: neutrumque nec uerum est, neque falsum. Itemque duplum & simplum quæ cum aliquo conferuntur, contraria sunt inter sese. nec alterum uerum est aut falsum. Ne priuantia quidem, ut aspectus & cæcitas. Omninoque nihil quod in coniunctione non dicitur, uerum esse aut falsum ullo modo potest. At quæ enumerata sunt, simplicia, non coniuncta sunt omnia. Et tamen in iis aduersis quæ coniuncta sunt, id maxime uidetur contingere. Nã cũ valere Socratẽ, & Socratẽ ægrotare aduersa sint, tamen non necesse est semper horũ alterũ uerũ esse, falsũ alterum. Etenim si in uita maneat Socrates, alterum uerum, alterum erit falsum: sin ex uita excesserit, utrunque falsum. Si enim Socrates nullus sit omnino, nec ægrotare eum uerum est, nec ualere. In priuantibus si omnino nullus sit, neutrum uerum est: sin in uita sit, non semper alterum uerum, alterum falsum est. Cum enim despicere Socratem, & cæcum esse Socratem priuantia sint, tamen non necesse est alterũ uerũ esse uel falsum. Nam quo tempore nondum ei natura aptus est aspectus, ambo falsa sunt: quo autem tempore in uita non manet Socrates, utrunque etiam falsum est, & despicere eum, & cæcum esse. At aientium & negantium siue Socrates in uita sit, siue nullus sit omnino, semper alterum falsum, alterum uerũ est futurum. Nam ægrotare Socratem, & non ægrotare, si is in uita maneat, perspicuum est alterum uerum eße, alterum falsum. Itemque si discesserit è uita. Nam ægrum esse eum, cum nullus sit omnino, falsum est: non ægrum esse, uerum. Quare aientium & negantium proprium illud est, eorum alterum uerum esse semper, falsumque alterum.

Distinxit ea, quę cum aliquo conferuntur, a priuantibus, & ab aduersis, & hæc item a priuantibus. quam ob rẽ tres coniugationes efficiuntur: restant autem tres adhuc coniugationes, si uera est ea ratio & doctrina quam in Porphyrij institutione tradidimus, erat autem huiusmodi, multiplicandam esse multitudinem per uno minorem numerũ, & dimidium confecti numeri sumendum, ac tot esse coniugationes pronunciandum: ut si res propositæ quatuor sint, eas per numerum, qui vno sit minor, hoc est per tria multiplicabimus, & tria quater ducta duodecim facient, horum dimidium, sex, quare tot sunt coniugationes: quarum cum tres, ut dixi, nobis sint expositæ, reliquæ tres adhuc sunt, quas nunc communi ratione quadam tradit: quippe cum aientia & negantia a cæteris tribus nunc communi ratione disiungat. [In iis solis inquit necesse est, uerum unum esse, falsum alterum.] Si dixero Socrates sedet, Socrates non sedet, uerum erit unum, falsum alterum: cæterorum trium nullum est, quod uerum, aut falsum significet. licet enim millies dicam aut pater, aut candor, aut ator, aut aspectus, aut cæcitas, nihil tamen aut ueri, aut falsi dixero. etenim nomina ipsa per se sine uerbis elata nec uerum, nec falsum significant. uerbis adiuncta uerum & falsum declarant, quinetiam uerba ipsa per se pronunciata nec uerum nec falsum notant, at iuncta pronominibus & uerum & falsum indicant: ut ego deambulo. quanquam uerbum deambulo in se potestate pronomen complectitur: siquidem personam significat. ex quo fit, ut infinita quia personam nullã significant, nec uerum, nec falsum declarent: ut si dicas, deambulare, aut currere. est enim infinitum uerbum nudũ per se, nec pronomen potestate continet, ut facit deambulo. Ergo si aientia & negantia uerum & falsum significant, aliaque tria non significant, concludenda ratio est, aliorum trium oppositionem non esse eandem cum oppositione aientium ac negantium. [Nam nec aduersorum necesse est semper alterum uerum esse, alterum falsum, nec eorum quæ cum aliquo conferuntur, nec priuantium.] dixit semper, quia hęc quandoque iuncta subiectis ueri aut falsi fiunt capacia, ut Socrates bene ualet, Socrates non bene ualet. [Omninoque inquit, nihil quod in coniunctione non dicitur, uerum esse, aut falsum ullo modo potest.] Quæ non dicuntur coniuncta, ea nec uerum, nec falsum enunciant: quæ uero cum aliquo conferuntur, aduersaque, & priuantia ea sine coniunctione dicuntur: hæc igitur nec uerum, nec falsum significant. quocirca non sunt eadem cum aientibus & negantibus. [Et tamen inquit, in iis aduersis, quę coniuncta sunt, id maxime uidetur contingere.] Quam afferre dubitationem quispiam potuisset, ipse prior excitat, dubitatque, atque etiam explicat. ait enim aduersa, quæ cũ coniunctione de subiecto dicuntur, uerum, falsumque distinguere. nam valet Socrates, aut ægrotat, tum uerum est, tum falsum. itemque aspectum habet, aut cęcus est, aut pater est, uel non est, hæc inquam omnia uerum aut falsum declarant. ad hæc ait, licet aduersa, quæ coniuncta sunt, uerum a falso distinguere uideantur, tamen ab affirmatione & negatione multum differunt: propterea quod affirmatio & negatio in omnibus iis, quę sunt, quæque non sunt, uerum falsumque significant, sed cæcum esse Socratem, aut non esse cæcum, aut album esse, uel non esse, aut patrem esse, uel non esse, si sit, necessario alterum uerum, falsum alterum: si non sit, semper alterum uerum. nam qui ne omnino quidem est, is neque pater, neque cęcus, neque albus est. quique ait animam albam esse, aut non esse albam, uel aspectum habere, aut non habere, & dextram esse, uel non esse, tum uerum, tum falsum dicet. at aduersa non sunt huius generis: sed cum Socrates sit, necesse est uerum esse alterũ, falsum alterum, necessario enim aut ualet, aut ægrotat: si non sit, utrunque falsum. nam qui non est in rerum natura, quomodo bene ualere, aut ęgrotare potest? in habitu autẽ, & priuatione, etiam si Socrates sit, non semper alterum uerum est, sed quandoque etiam ambo sunt falsa: sique non sit semper ambo falsa. nam edentulum esse Socratem, aut dentes habere, etiam si sit, non semper unum est uerum, sed quandoque euenit, ut falsum sit utrunque. qui enim in rerum natura prorsus non est, quomodo uel dentatus, uel edẽtulus erit? in catulo quoque utrunque & habitus & priuatio, siue catulus sit, siue non sit, falsum est, ipsum habere aspectum, aut, cęcum esse. idem fit in iis, quæ cum aliquo conferuntur. nam a dextris esse, aut sinistris, etiam si res sit, non semper alterum uerum est, sed quandoque utrunq; falsum, nisi quis solus existat: sique rursus non sit, utrunque sit falsum, & patrem esse, & filium. simili quoque modo si non sit, falsum utrunque: si sit, euenit interdum, ut utrũq; sit falsum. nam si patrem quis non habeat, neque filium, cuius poterit is aut pater esse, aut filius? nisi forte quis id propter memoriam obtineat: re uera autem nullius esse dicitur. quocirca fit, ut quæ aientia & negantia sunt, multum a cæteris differant, si enim ea semper & in iis quæ sunt, & iis quæ non sunt, uerum, falsumque distinguũt, cætera uero in iis quæ sunt, non semper: in iis quæ non sunt, nunquam uerum a falso diuidunt, efficitur, ut affirmatio atq; negatio non idem sint, quod cætera. Præterea uero, uerum & falsum a cæteris quandoque contineri, non aliunde euenit, quam quod affirmationes fiunt: quippe cum per se nihil horum comprehendant, nã Socrates ualet, aut cęcus est, uel pater, aut aliud huius generis, affirmatio est. quare fit, ut affirmationis beneficio consecuti sint, ut omnino uerum a falso quandoque distinguant. Illud quoque sciendum est medium locum nacta esse priuantia, & quæ cum aliquo cõferuntur inter aduersa, & inter aientia ac negantia. etenim affirmatio in omnibus quæ sunt, quæque non sunt, uerum falsumque perpetuo distinguunt,

Bono autem malum contrarium est necessario, idque ex inductione rerum singularum intelligi potest, vt bonæ ualetudini morbus repugnat, iustitiæ iniustitia, fortitudini ignauia, & cætera eiusdem generis. Malo uero alias bonum, alias malum contrarium est. Nam paruum & nimium quæ sunt in malis, inter se sunt contraria. similiterque mediocritas, quæ utrique contrario nomine opponitur, in bonis est. Atque id quidem in paucis perspici licet, in compluribus semper bona malis sunt contraria.

Cum

Cum tractationem contrariorum absoluerit, nunc theoremata quædam ad ea contraria quæ aduersa dicuntur, pertinentia nobis tradit. primum est, bono esse omnino contrarium malum: malo uero non perpetuo contrarium est bonum, sed quandoque etiam malum: ut iustitiæ, quæ bona est, contrario nomine opponitur iniustitia, quæ est malum: & temperantiæ intemperantia. at nimiarum opum potentiæ, quæ est mala, non omnino iustitia opponitur, sed exiguarum opum potentia, ut redundantiæ defectio. quid igitur ita iniqua natura est, ut duo uni contraria constituerit? & tamen vnum uni ubique contrarium esse constitutum uidemus, ut ignem aquæ, grauibus læuia, siccis humida. respondemus malo opponi bonum, ut moderatio immoderationi: at malum bono non iam ut moderationi immoderatio, quia utraque immoderationes sunt: sed uelut defectio redundantiæ. cum enim uirtus sit mediocritas, inter duas uitiositates spectatur; quarum altera in defectione, altera in redundantia cernitur: ut iustitiæ in mediocritate considerata redundantia est nimiarum opum potentia, defectio uero, minorum opum potentia: quæ ambo immoderationes sunt. ita, vt immoderationi moderatio opponatur. præterea in temperantia excessio est proteruitas, defectio, stoliditas: fortitudinis uero timiditas, & audacia: prudentiæ calliditas, & amentia. ex quo fit, ut utraque declinatio a uirtute, uirtuti quidem opponatur, ut malum bono, & immoderatio moderationi: inter se uero non ita, sed ut defectio redundantiæ. quam ob rem unum uni, & non duo uni contraria sunt.

Deinde contrariorum, si alterum sit in rerum natura, non est necesse esse alterum. quandoquidem si omnes ualentes sint, bona ualetudo erit, morbus non erit. Itemq; si albi omnes sint, candor erit, atror non item.

Hoc est secundum theorema aduersorum. ait enim cum alterum aduersorum sit in rerum natura, non necesse esse, ut alterum quoque sit. si enim omnes homines bene ualere statuamus, bona quoque ualetudo erit necessario, morbus uero non item. eadem morbi est ratio, itemque candoris, atroris, & cæterorum generis eiusdem. Atque hæc quidem ipse ait, qui res ipsas per se, prout repugnantiam capiunt, non in eo, quod contraria sint, considerat. nam ut album, ut res, potest etiam sine nigro esse: tamen ut nigro contrarium, non iam per se considerari potest, propterea quod cōtraria sunt ex iis, quæ cum aliquo conferuntur: & in alterius relatione essentiam habent: nam contrarium est contrario contrarium.

Iam si Socratem valere, & Socratem ægrum esse contraria sunt. non possunt autem simul ambo eidem inesse, certe si alterum sit, stare alterum nullo modo potest. Nam si Socratem valere uerum sit, non erit uerum ægrotare Socratem.

Est autem sciendum, hoc dictum esse uel ad ea, quæ ante dicta sunt, confirmanda: vel quod in aduersis alia simplicia esse, alia uero in subiectorum considerari coniunctione diximus. cumque supra docuerit, in simplicibus fieri posse, si alterum contrarium sit, vt alterum non sit, nunc idem in iis, quæ etiam coniuncta dicuntur, intelligi. Si enim ægrotans Socrates aduersus est Socrati bene ualenti, non possunt autem aduersa in eodem uersari: necesse omnino est, ut si unum ex aduersis sit, alterum non esse: cum enim bene ualeat Socrates, ægrotare eodem tempore non potest.

Atque etiam illud perspicuum est, in iis quæ sunt eiusdē speciei & generis existere solere contraria ea quæ aduersa diximus. Vt bona ualetudo, & morbus in corpore animantium, candor & atror omnino in corpore, iustitia & iniustitia in animo hominis sitæ sunt.

Hoc tertium theorema ad aduersa pertinet, in quo ait, aduersa apta esse natura, ut in uno & eodem genere, uel in una & eadem specie uersentur: ut candor & atror in uno eodemque genere uersantur, ut in lapide, & equo, & homine, & absolute, in corpore animato, & inanimato, quæ sunt eiusdem generis, cum simplex corpus sit eorum genus: valetudo autem & morbus in una & eadem specie: ut in homine, & equo, & absolute in omnibus animantibus: quæ sane speciei eiusdem sunt. animalis enim corpus species est corporis, quod simpliciter dicatur. simili quoque modo iustitia atque iniustitia in humana anima uersatur: quæ [illegible] species est animæ simpliciter dictæ, hoc est, eius quæ corpore vacat. Nūc uero quid causæ est, cur cum dixerit, in iis quæ sunt eiusdem speciei & generis, non addiderit etiam eiusdem numeri? nam idem, ut supra docuimus, uel genere, vel specie, vel numero dicitur: quot etiam modis alterum dici solet: ac genere quidem ut homo & equus: specie, ut Socrates & Plato, numero, ut ensis, gladius, mucro, spatha, & alia consimilia. dicimus ergo id præteritum esse, vel quia clarum & perspicuum sit, quod nos id subaudire valeamus: vel quia licet aduersa in iis, quæ sunt eiusdem numeri uersentur, tamen non in eadem parte intelliguntur: cum Socrates in una parte albus, in alia niger sit, ut in capillis, in alia calidus, in alia frigidus: præsertim cum in eadem parte simul consistere contraria nullo modo possint.

Postremo omnia contraria quæ diximus aduersa, vel in eodem genere, uel in contrariis generibus sita sunt, vel ipsa genera sunt necessario. Nam et candor ac atror in eodem genere, quia eorum genus color est, sita sunt: & iustitia & iniustitia in generibus contrariis: illius enim uirtus genus est, huius uitium: & bonum & malum non sunt ullius generis, sed ipsa sunt genera aliquorum.

Est hoc quartum aduersorum præceptum, in quo ait, aduersa uel in uno & eodem genere sita sunt, ut atror & candor in colore, uel in contrariis generibus, ut iniustitia, & iustitia, quarum hæc sub uirtute, illa sub uitio est. uirtusq; est uitio contraria: uel ipsa esse genera. ut bonum & malum: quæ ad nullum aliud genus pertinent, sed solum sunt genera. si ita est, duæ categoriæ addendæ erunt cæteris, ut non iam decem, sed duodecim summa genera sint. at dicimus, hæc appellata ab eo genera esse, non ea significatione qua cæteras categorias genera nominauit: hoc est, quod per se constent, ut categoriæ faciunt: sed sicut etiam Plato genera uocauit eorum, quæ sunt, quinque quædam, ut ens, ut idem, ut alterum, ut motum, ut statum: propterea quod in omnibus rebus spectentur: non autem quod ipsa per se se constent: ita etiam hic Aristoteles bonum & malum genera dixit esse, non ut ipsa per se, sed ut in omnibus categoriis conspiciuntur. nam in substantia bonum est, & malum, & in qualitate, & quantitate, ac cæteris categoriis in substātia bonum est eius perfectio, & absolutam habere naturæ rationem, & in ratione neque excessum, neque imminutionem esse: in quantitate conueniens cuique rei quātitas: in qualitate, modus in quoque colore: similis est ratio cæterarum. si rem accuratius expendamus bonum & malum non erunt aduersa, sed priuantia. aduersa enim habere formam debent, & utrunque finita esse natura: ut album & nigrum: at malum non habet definitam subsistētiam: cum sit excessus quidam: excessus uero quomodo definitam habeat naturā? inde etiam fit, ut malitia sub definitionem non cadat: sed ut priuatio accedit abeunte habitu, cum tamen ipsa definitam ullam naturam non habeat, ita malitia uirtutis absentia aut per redundantiam, aut per defectionem accedit. cū enim uirtus sit mediocritas, efficitur, ut mediocritatis declinatio tum excedendo, tum deficiendo malitiā gignat. Illud quoq; est intelligendum, dictum esse, aduersa sub aduersis sita esse: non ut de genere eorum generalissimo, sed de propinquo, & medio id accipiamus: præsertim cum necesse sit, omnia aduersa uno genere contineri. & si enim iustitia & iniustitia ad uitium & ad uirtutem referuntur, tamen hæc ad unū commune genus, hoc est ad habitum & priuationem: hæ denique ad qualitatem, quæ genus generalissimum est omniū aduersorum pertinent. ac merito sub uno genere sita sunt aduersa: quandoquidem mutuum eorum bellum natura animaduertens, eadem superne atque inferne connectenda

existimauit: ac superne quidem, communi generè, inferne nero, communi subiecto copulanit.

DE MODIS PRIORIS.

PRius aliud alio quadrifariam dicitur. Primum genus est & aptissimum, tempore, ex quo aliud alio antiquius appellatur. Antiquius enim quid dicitur ex eo, quod stet diutius. Alterum quod non uicissim consequens est, cum rei status exquiritur, quo in genere unum duobus prius est. Nam si duo sint, continuo sequitur unum esse. Vnum autem si sit, non necesse est duo esse. Ita non uicissim retro commeat, consequens esse si unum sit, ut duo sint. Prius igitur huius generis dicitur, à quo non commeat retro vicißim status consequentia. Tertio, quodam ordine prius appellatur, id quod in artibus & orationibus uidere licet. Nam in artibus iis, quæ demonstrationes adhibent, & conficiunt aliquid, prius ordine & posterius continetur. initia enim & elementa priora sunt ordine iis quæ describuntur, & in grammatica elementa priora sunt syllabis. Eadem est ratio orationum. Principium enim prius est ordine narratione. Extra ea etiam quæ enumerata sunt genera, quod melius est, & in maiore pretio, id prius naturæ ordine uidetur. Solēt enim plerique eos qui apud ipsos sunt in nomine et gloria, quosque pluris faciunt, principes & antiquiores sibi dicere: quod genus iam fere alienissimum omnium habetur. Atque hi sunt fere Prioris modi, qui feruntur. Est etiam præterea aliud eius genus. Eorum enim quæ uicißim retro commeant in argumētatione de statu rei tractanda, quod causa est quomodocunque, cur sit alterum, id rectè prius naturæ ordine dicitur. Esse autem eius generis quædam, hinc intelligi potest, quod esse hominem & uera de eo oratio, sic reciprocantur, ut si homo sit, uera sit oratio, esse hominem: & si eße hominem uera sit oratio, sit homo. Vera autem oratio minime causa est, cur res sit: resque potius causa est quodammodo, cur uera sit oratio. Nam quia res sit, aut non sit: idcirco uel uera, uel falsa oratio dicitur. Quinq; ergo modis alterum altero prius habetur.

Cum de iis ageret, quæ cum aliquo conferuntur, fecit prioris mentionem, cum id quod sub scientiam cadit, scientia: & sensibile sensu prius esse dixit: quam ob rem hoc loco uarias eius significationes enumerat: easque esse numero quatuor ait: prima est, temporis ratione, secunda natura, tertia ordine, quarta dignitate. [Primum geous inquit, & aptissimum est, tempore, ex quo aliud alio antiquius & uetustius appellatur.] antiquius enim quid dicitur, quod stet diutius. Ait prius præcipue & aptisme dici quod tempore antiquius est, & uetustius. dicimus enim Socratem priorem esse tempore Atistotele. uocat autem hanc prioris significationem primam & aptissimam, quod usus frequens id quod tempore antiquius est, dicere prius maxime consueuit. Sciendum autem est, uetustius tam in iis, quæ animam habent, quam in iis, quæ non habent, dici consuesse: antiquius uero de solis animatis enunciari. [Alterum inquit, quod non uicissim consequens est, cum rei status exquiritur. quo in genere unum duobus prius est.] Secundam prioris significationem esse ait, cum non uicissim consequitur in statu rei exquirendo, id est, quod non uicissim reciprocatur in essentia, hoc est, quod illatum non infert: ut cum duo sint, unum quoque sit necessario, quia unum, infertur a duobus: at si unum sit, non oecesse est duo esse: quia duo ab uno non inferuntur. quo fit, ut unum sit duobus prius. itemque si homo sit, necessario erit animal: quia animal ab homine introducitur: at si sit animal, non iam omnino erit homo. quia homo ab ipso non introducitur: quippe cum multa animalia sint, quę non sunt homines. ergo animal est prius homine natura, sed nō tempore. [Tertio quodam ordioe prius appellatur, quod in scientiis & orationibus uidere licet.] Hæc tertia prioris significatio est, qua prius ordine dicitur, ut inquit, in scientiis conspicitur. nam in demonstratiua scientia antecedunt propositiones, & cōclusiones subsequuntur. et in geometria inquit, elementa præcedunt formas. uocant autem elementa geometræ ut punctum, ut lineam, ut superficiem, & similia, quæ ante summi ad theorematum probationes consueuere. appellant nero τὰ διαγράμματα, hoc est formas. ipsa theoremata. in literis quoque dictionibus priores sunt syllabæ, syllabis elementa. quod idem in orationibus dicendum est: præcedūt enim exordia, tum præconstitutio, tum constitutio, tum narratiooes, tum certamina: quæ sane omnia solo ordine, & nō natura, nec tempore, priora sunt: cum fieri posit, ut imperitus artis orator primum certamina, deinde procemium, tū narrationem adhibeat: & geometra primum theoremata, deinde elementa exponat. ex quo fit, ut prius quid & posterius in his solo ordine dicatur. in cæteris uero concedat fortasse quispiam solo ordine dici prius & posterius, at literæ, non solo ordine priores syllabis, aut nominibus, aut orationibus esse uidebuntur: causa est, quia ordo non potest reciprocari, ut prius nomina, tum syllabas, tum elementa perdiscamus: cum fieri non posit, ut elementis ignoratis cætera cognoscantur. itemque sublatis elementis, alia tolluntur: aliis nero sublatis elementa ipsa manere queunt. ita fit, ut non solum ordine, sed etiam natura literæ priores sint iis, quæ ex eis componuotur. ergo non rectè in grammatica dixit elementa priora esse ordine solum, nisi fortasse id intuebatur, quod qui literarum sunt ignari, & orationes connectere, & nomina possunt, & elementorum vim ignorare. ve rum licet ex usu loquantur, & uocum significationes ooscant, ipsam tamēn orationis uim, quæ ex uocibus existit, nesciunt, cum ea quoque, ex quibus iungitur, minime teneāt. [Extra ea etiam, inquit, quæ enumerata sunt genera, quod melius est, & in maiore pretio, id prius naturæ ordine uidetur.] Hic quartus est prioris modus, hoc est, quod in maiore est pretio: quod sane consuctudo prius uocat. omnino tamen id a prioris significationibus alienum est. itaque id ipse itidem reprobat: & eius loco quintum quendam modū affert, vt quatuor prioris significationes compleat. quocirca cum varias quoque significationes eius quod simul dicitur, enumeraret, & singulas singulis prioris modis quasi ex altera parte respondere comprobaret, huic ipsi modo nullam opposuit, utpote qui hunc modum a prioris significationibus prorsus excluderet. [Est etiam præterea inquit, aliud eius genus.] Addit hunc quintum modum: propterea quod quartus, ut diximus, alienius a prioris significationibus est: quippe qui nostro instituto, & consilio, non ex rerum natura existat. est autem hic quintus modus secundo cootrarius. cum enim ille in status consequentia oon reciprocaretur, nec alterum alterius causa esset, in hoc & reciprocatio fit, & alterum alterius causa est, ut pater & filius: hi nanque in status consequentia reciprocantur, quia quicunque statuatur, alter omoino consequetur: & alter est alterius causa, ut pater filij. eadem ratio est rei, & de ea ueræ orationis: cum enim hæ quoque uicissim retro dicantur in status consequentia, fit etiam ut alterius altera causa sit: ut Socrates est philosophus: estque de eo oratio, qua dicitur, philosophum ipsum esse. ergo utrum ponatur, alterum necessario consequetur. nam si uera oratio est, quæ dicit, philosophum ipsum esse, profecto philosophum esse Socratem necesse est: sique Socrates philosophus est, necessario quoque uera erit, quæ ipsum esse philosophum dicat oratio. quanquam uero hæc inter se reciprocantur, tamen res causa est, cur oratio uera sit. nisi enim res sit, non iam uera erit, quæ habetur oratio. ita fit, ut alterum altero prius esse quinque modis dicatur. Cumque de priore locutus sit, non iam de posteriore uerba facit: propterea quod ex prioris cognitione posterioris quoque habetur cognitio: si quidem simul sunt, & genere contioentur eorum, quæ cum aliquo conferuntur. quare uno cognito, alterum itidem intelligitur. prius enim posteriore prius, ac posterius priore posterius dicitur. quam ob rem quot modis prius quid effertur, totidem posterius enunciabitur. nam quæ cum altero conferuntur, ut affectum alterum est, ita quoque alterum sit oportet.

DE MODIS SIMVL.

Simul autem sunt ea omnino & proprie, quorum ortus in eodem tempore est. Neutrum enim horũ nec prius, nec posterius esse potest. Hæc autem simul in tempore dicuntur. Natura vero simul sunt ea, quæ reciprocantur illa quidem in argumentatione, quæ ex statu rei ducitur, sed neutiquam alterum causa est ortus alteri, quod in duplo & simplo cernere licet, quæ sic reciprocantur, vt si duplum sit, simplum sit: & si simplum sit, sit duplum, & neutrum causam alteri ortus afferat. Atque etiam ea quæ ex eodẽ genere quasi ex altera parte diuidendo respondent, simul natura esse dicuntur. Ea autem ex altera parte cum diuiduntur, inter se respondent, quæ ex eadem sunt diuisione. vt pennigerum ex altera parte in diuisione respondet terreno & aquatili. Atque horum nullum altero prius aut posterius est, sed simul natura sunt. Hæc enim cum ad idẽ genus pertineant, inter se mutuo respondent in diuisione: quandoquidem animal in pennigerum, terrenum, & aquatile distribuitur. Quæ eadem in species secari possunt, vt dicamus pennigerum aliud gradiens, aliud aquatile. Sunt igitur illa etiam simul à natura, quæ cum sint ex eodem genere, eadem diuisione continentur. Genera autem formis antiquiora sunt semper. Neque enim vicissim retro commeant in tractanda status argumentatione. vt si sit aquatile, sit animans: at si sit animans, non sit necessario aquatile. Sunt igitur simul natura, & quæ reciprocantur, cum neutrum causa sit ortus & status alteri: & quæ inter se ex eodem genere diuiduntur. Sed ea omnino simul sunt, quorum ortus eodem est tempore.

Cum ageret de ijs, quæ cum altero referuntur, fecit uerbi, simul, mentionem, cum diceret uideri ea, quæ cũ aliquo conferuntur, simul esse natura: quam ob rem merito nunc de eo loquitur. quoniam uero simul opponitur priori, ideo triplicem ipsius simul differentiã proponit: primumq; modum primo prioris modo opponit: secundum secundo & quinto, tertium tertio. quarto uero prioris modo nullũ oppositum statuit: quandoquidem illum a prioris significationibus esse alienissimũ ante dixit. primus ergo modus, quẽ etiam maxime proprium uocat, est a tempore: vt si duorũ, aut plurium ortus eodem tempore sit. iure enim hunc maxime proprium appellat, præsertim cum homines ea demũ simul esse, quæ eodem tempore sunt, dicere consueuerint. hic autem modus, vt diximus, primo prioris modo opponitur: qui sane præcipue, & maxime proprie prior dictus est: qui itidem erat tẽporis ratione, vt Socrates & Alcibiades, cum Socrates tempore prior esset. Si igitur quod tempore prius est, id potius & maxime proprie prius dicitur, prius autem opponitur uerbo simul, profecto etiam quod tempore simul est, magis proprie simul dicetur: siquidẽ simul sunt, quæ nec priora, nec posteriora sunt. [Natura uero inquit, simul sunt ea, quæ reciprocantur illa quidem in argumentatione, quæ ex statu rei ducitur.] Hic est alter modus simul, qui secundæ & quintæ prioris significationi opponitur: ac secundæ quidem, quia ibi diximus id prius esse, quod in status consequentia non reciprocatur, vt vnum & duo. neque enim vt si duo sunt, vnum etiam est, ita etiã duo ex vno consequuntur: hic vero simul natura reciprocatur in status rei consequentia, vt duplum & simplum. vt enim sequitur simplum esse, cum duplum sit, ita etiam esse duplum cõsequitur necessario, cum simplum existat. opponitur autem quinto, quia illic dictum est aliquid prius esse, quod in status consequentia vicissim retro dicebatur, sed alterũ erit ortus causa alteri, vt in patre & filio dictum est, qui licet in status consequentia reciprocentur, & quouis posito alter consequatur, tamen pater est filij causa, itaq; prior dicitur: hic vero simul quidem dicuntur, quæ reciprocantur, attamen alterum non est alterius causa, vt sunt duplum & simplum: quæ reciprocantur, sique alterum statuitur, alterum quoque sequitur necessario, neutrum tamẽ est alteri causa vt sit. Cum vero ait, [sed neutiquam alterũ causa est ortus alteri,] addendum est hoc, solum: quia pater & filius, duplum & simplum dubitationem afferunt: siquidem duplum est causa simpli, licet nõ solum. nam & ipsum duplum est effectum, quod causam a dimidio obtinet. simili quoq; modo pater relatione quadam est filij causa, & filium causam habet. ergo addendum est solum, cum ea proprie causa sit, quæ solum sit causa, & nõ item effectum eius, cuius est etiam causa. [Atque etiam inquit, ea quę ex eodem genere, quasi ex altera parte diuidendo respondent, simul natura esse dicuntur.] Hic est tertius modus simul, qui tertio prioris aduersatur: quod ordine prius erat: in quo genere literę erant syllabis priores, & dictionibus syllabæ, & exordia in orationibus. hic vero simul sunt, quæ eundem ordinem a priore sunt consecuta: vt sunt genera, quæ ex eadem diuisione manarunt, vt corpus & incorporeum: hæc enim eodem modo a substantia, & speciebus specialissimis distant, vt ab homine, equo, angelo, animo. animatum quoq; & inanimatũ simul dicuntur: siquidem a corpore simpliciter sumpto, & ab animali pari interuallo distant: itemq; terrestre, volucre, & aquatile, & cætera generis eiusdem simul dicuntur: cum nullum eorum prius dicatur: siquidem a summo genere pari spatio absunt omnia: & item ab infima specie. nam si aërium quis forte diuidat in aues, & locustas, iam auis & volucre simul erunt, sed prius erit volucre, quia ex animalis diuisione sumptum est: auis autẽ ex diuisione volucris existit. genera vero semper priora sunt formis. causa est, quia non vicissim retro commeant in tractanda status argumentatione. specie enim posita, genus sequitur necessario, at generibus statutis non etiam necessario species consequuntur.

DE MOTVS GENERIBVS.

Motus autem sex sunt genera, vt ortus, vt interitus, vt accessio, decessio, commutatio, & loci commutatio.

Motus quidem in categorijs cernitur, non tamen sub eis est: nam in substantia ortus & interitus spectatur, substantia tamen nõ est ortus atq; interitus: neq; accessio & decessio, quantitas: neque alteratio, qualitas: neq; loci mutatio, est ubi. immo uero neque etiam ad aliud refertur, cum motus essentiam non habeat in eo, quod ad aliud quodã modo affectus sit. Non est ignorandum, tractationem de motu philosopho conuenire, qui naturæ arcana perscrutetur: siquidem res naturales omnes essentiam in motu nanciscuntur: quippe cum natura sit, vt ipse definitione explicauit, motus, quietisq; principium. itaq; de motu in physicis prolixa oratione & accuratius disseruit. quæstio autem existit, cur hoc loco eius fecerit mentionem. quidam aiunt, quia cum facere & pati categoriæ motus sint, deque eis nihil sit locutus, ideo ipsum hic de motu verba facere. quodã enim modo inquit, motus genus est, species vero tum aliæ complures, tum facere & pati. hunc igitur in modum quidam definiendam quæstionem putauerunt: verum hæc ratio non admittenda est. neque enim propositum est Aristoteli plura dicere de facere & pati, quam quæ initio dixerit. præterea vero mouere ad categoriã faciendi, moueri vero ad eam patiendi ut prius dixi, pertinet: at ipse motus, non item. motus enim non est facere, nosq; motus non esse categorias, sed vias ad categorias affirmauimus. quid igitur dicemus? an vt de cęteris vocibus disseruit, quia in tradendis categorijs earum meminerat, ita etiam facit de motu? eius nanq; mentio facta est in substantia: cuius eum proprium exponeret, diceretq; eam vnàm & eandẽ numero vicissim capere contraria, cum quęstionem attulisset, non esse id proprium substantiæ, quod ei soli non conueniret, sed & orationi, & opinioni, quæ vnæ & eædem numero permanentes contraria hoc est veritatem, falsitatemq; accipiant, adhibuit quæstionis explicationem, docuitq; non eodem modo, quo substantia, illas admittere contraria, cum substantia ipsa mota capiat contraria, illæ vero non motæ, sed alijs motis veras fieri, & falsas. quam ob rem cum motus fecerit illic mentionẽ, nos de eo docere necessarium existimauit. etenim, vt ante dixi, oratio de motu instituta physico est accommodata, ipseq; ex octo physicorũ libris quatuor posteriores in motus tractatione consumpsit.


hic vero eatenus de motu agit, quatenus logico satis est; ut quærat, in quot species motus diuidatur, quæq; eius species sint, & quas quæq; consequatur, aut secus. [Motus inquit, sex sunt genera, ortus interitus: accesio, decesio: cōmutatio, & loci mutatio.] cur sex modis motus dicitur? quia motus quædam alienatio est, ac demutatio. alienatur enim aliquid vel a substantia sui, facitq; ortum & interitum: uel ab aliquo eorum, quæ io ipsa sunt substantia in quantitate, & facit accretionem, vel diminutionem: vel in qualitate, & gignit alterationem: uel ab aliquo eorum, quę circa se sunt, & loci commutatio oritur. Scire conuenit, in oratione quæ de motu est, tria hæc perquiri, quot sint motus species, & quomodo inter se discernantur: tertium præterea est, quæ motus species cuiq; speciei opponatur. quot ergo sint species, ipse easdem enumerans, sex esse docuit. sed ut hoc etiã scientia comprehendamus, quare sex species sint, nec plures, nec pauciores, ita diuisione adhibita progrediemur. Tria igitur in nostra natura sunt, quæ cōsiderantur, ipsa substantia, quæ in substantia sunt, quæ circa eandem sunt: quæ in ipsa sunt, ut in magnas partes diuidamus, sunt quantitas, & qualitas: in magnas inquam partes, quia aliæ quoq; categoriæ in substantia sunt, sed ex his oriuntur, vt ante diximus. circa substaotiam est locus & tempus. cum autem hæc tria sint, substantiæ motuş est ortus & interitus: qualitatis alteratio: quantitatis accretio, & decretio: ubi, loci mutatio, quæ latio nominatur. latio autem quędam recta est, quę sursum aut deorsum tendit, quædam in orbem, quæ circumagitur, ut cæli recta latio & in orbem. hic igitur sex motus species ait esse, lationem io rectam & orbiculatã distinguens: in physicis vero ait mutationem genus esse, eiusq; tres species tradit, motum, ortum, interitũ. illic enim ex altera parte diuidendo motũ ortui & interitui opponit: negat enim ibi ortum esse mutationẽ quibusdã manentibus, formamq; obtinentibus: sed in aliquo eorũ quæ circa ipsum accidunt. quocirca inquit, quę mouentur, aut in quãtitate, aut in qualitate, aut in loco mouentur, suamq; formam, quam ab essentia initio traxerunt, conseruant. in ortu vero & interitu nõ manet prior forma in eo quod mutatur: propterea quod ortus est uia quædam ab eo, quod quodam modo non est, ad id quod quodam modo fit: hoc est, ab eo, quod potentia est, ad id quod actu fit. interitus uero uia rursus est ab eo, quod est, ad id quod non est. atque hoc quidem loco, quoniam liber potius hic ad introducendum est accommodatus, & logicus, quam ut naturales res contineat, nõ agit his de rebus accurate, sed ortum atque interitum esse motus affirmat, neque enim hic ut naturalis philosophus disputat, sed ut logicus, quippe qui hic quærat ex quibus quęq; consequantur, aut non consequantur.

Ac cæteras quidẽ motiones inter se differre hinc perspici potest, quod ortus non est interitus, nec incrementum imminutio, nec loci cõmutatio. Eadem est ratio cæterarum. In commutatione autem hoc dubium est, sit ne necesse id quod cõmutatur ex aliqua superiori motione mutari. Quod non ita est. Accidere enim potest vt omnibus perturbationibus, aut certe permultis quasi furijs agitemur, cum interim nulla cæterarum motionum in huius ueniat societatem. Neque enim aut crescere, aut imminui necesse est id quod ex perturbatione mutatur. Similis est ratio cæterarum. Ita necesse est diuersam esse à cæteris motionibus commutationem. Etenim si eadem esset, profecto quod cõmutatur omne vel augeri oporteret, vel diminui, vel aliquem alium motum consequi. At non est necesse. Similiterq; id quod crescit, aut alio impulsu agitatum est, cõmutaretur necessario. Atqui sunt quædam quæ cum crescant, eadem tamen nulla consequitur cõmutatio. Velut quadratum circumiecto gnomone, crescit illud quidem, sed tamen nihil commutatur. Quod idem in cæteris fit eiusdẽ generis. Quare differunt inter se motiones. Motui autem omnino quies contraria est, singulisq; singulæ. Nam & ortui contrarius est interitus, & accessioni abscessio, & loci commutationi in loco quies. Sed in loci mutatione maxima repugnantia dicitur, vt loci infimi mutationi, summi cõmutatio, & summi mutationi infimi loci mutatio maxime aduersatur. At vero reliquæ motionis non est facile explicare, quodnam sit contrarium. Nec contrariũ illius vllum est, nisi quis etiam in hac a qualitate vacuitatem & quietem mutationi in contrariam qualitatem contrario nomine opponat: sicut in loci mutatione, quietem in loco, aut in contrarium locum mutationem. Est enim commutatio nihil aliud, nisi qualitatis mutatio. Ita cõtraria est qualitatis mutationi quies & vacuitas a qualitate, vel certe in contrariam qualitatem mutatio. vt album fieri & nigrum fieri, aduersa sunt: quippe cum commutatio sequatur, quoties in contrarias qualitates fit mutatio.

Cum species motus numerauerit, nunc easdem inter se distinguit: & quomodo nõ eædem sint, declarat. neq; enim inquit, ortus est interitus: nec incrementũ, diminutio: quomodo enim sint eadem, si contraria sint? at neque etiam incrementũ est ortus. augetur nanq; quod est, at oritur quod non est. uerum neq; imminutio est interitus. in quibus est eadem ratio. nam diminutio est quantitatis eius quod est, detractio: interitus uero omnino id quod est, tollit. uerum ne loci quidem mutatio ulli ex cęteris euenit: quia quod de loco ad locum mutatur, id neque oritur, neque interit; neq; augetur, neque minuitur. nam si Athenis forte Corinthum cõmigret Socrates, nullam ex prædictis rebus patietur: sed idem io omnibus permanens solum locum cõmutabit. [In alteratione inquit, hoc dubium est, sit ne necesse, id quod cõmutatur, ex aliqua superiore motione mutari.] alias inquit mutationes non esse easdem inter se, nemo in quæstionẽ reuocabit: at in alteratione quæstio est, ne quod alteratur, aut ortu, aut interitu, aut incremento, aut diminutione, aut aliqua alia motione commutetur: quod tamen non uerum est. nam io plerisq; inquit, affectionibus, ut calfactione, ut perfrictione, & cæteris consimilibus, accidit, ut alteremur omnino, nullam tamen ex alijs motionibus existere. neq; enim necesse est augeri omnino eum, qui calefiat, aut refrigeretur, uel diminui, aut oriri, aut interire: aut aliam ullam motionem subire. ita fit, ut alteratio ab alijs motionibus distincta sit. [Etenim inquit, si eadem esset, profecto quod alteratur omne uel augeri oporteret, uel diminui, uel aliquem alium motum consequi.] si inquit, alteratio eadẽ esset, cum aliquo alio motu, certe oporteret, ut quod alteratur, alium etiam aliquem motum ex cæteris obtineret; nunc uero id nõ fit. alterantur sane corpora cum in Sole morantur, quia calefiunt, quia nigra redduntur: non tamen ob eam causam aut crescunt, aut decrescunt, aut alium quempiam motũ consequuntur. eadem de ijs, qui a frigore alterantur aut ab aliqua alia causa, dici possunt. [Similiterq; inquit, id quod crescit, aut alio impulsu agitatum est, alterari.] ex contrario id ipsum probat. si enim eadem cum cæteris esset alteratio, nõ solum oporteret id quod alteratur, statim uno ex alijs motibus alterari, sed etiam contra uicissim, si quid per incrementum, aut decessionem, aut alium quempiam moueretur, statim id alterari deberet: siquidem præcipue alteratio cæteros motus antecedit, aut subsequitur. etenim quod augetur, id omnino alterari necesse est. nam in ijs qui augentur, prius debet alimentum in sanguinem, tum sanguis in carnẽ alterari. neq; fieri ullo alio modo incrementum posset, nisi alteratione antecedente. sed eadem quoq; præcedit ea quę fiunt, & oriuntur. semen enim in sanguinem, sanguis in carnem alteratur, ac quouis alio modo naturæ leges postularint. atq; in omnibus alijs motibus uel antecedere, uel subsequi alteratio cõspicitur. ea autem quæ in loco mouentur, præsertim si plus & uehementius agitata sint, alteratio sequitur, cũ ea quæ mouentur, calefiant. licet igitur ut dixi, alias motiones alteratio consequatur, tamen non esse eam eandẽ cum cæteris motibus dicimus: quandoquidem etiã loci motus alios consequitur: siquidem quod fit, loco mouetur omnino, quodq; corrumpitur, eodem modo: itemq; quod augetur, & minuitur. quos motus omnes antecedere loci mutationem necesse est: sique hæc non fit, nullus præterea motus

tus

tus esse ullo pacto potest. si enim generatim rem perpendas, accedente & recedente Sole uniuersalis ortus, atque interitus efficitur? priuatim uero, semen cadere in terram, aut in uterum debet, aut mas fœminæ se miscere. id uero loci motus est. & in interitu nimirum elementa, quæ coierint, inter se disiungi debent. in accessione autem & decessione loci mutatio plane patet. quippe cum id quod augetur, ex minore loco maiorem occupet: & quod minuitur, ex maiore minorem. sed & quod alteratur, est etiam loci mutationis particeps. nam ab intimis partibus ad extremas qualitas peruadit, ut in iis, qui erubescunt, aut pallescunt, perspicimus. præterea quod alterat debet ei quod alteratur, appropinquare. quocirca si loci mutatio omnem motum consequitur, certe planum est, eam esse ab aliis diuersam. nam & omne corpus quod in luce uersatur, umbra sequitur, nec tamen idem est umbra, quod corpus, quod in luce consistit. eadem est ratio alterationis. licet enim alios omnes motus consequatur, non tamen idem est, quod cæteri. immo ne omnes quidem motus sequitur alteratio. quæ enim addendo augentur, dicuntur illa quidem augeri, cum ex minoribus maiora redduntur, ut si aqua cisternæ addatur, non tamen magis alteratur: nam quæ in ipsa erat aqua, aliam præterea aquam accipiens, aucta est, non alterata: & linea recta producta augetur, & non alteratur. sed neque etiam quicquid alteratur, idem augetur: siquidem qui discit, qui irascitur, qui timet, alteratur ipse quidem, sed non augetur, id quod ipse declarans subiungit hæc uerba, [Velut quadratum circumiecto gnomone crescit illud quidem, sed tamen nihil commutatur.] licet enim augeatur, tamen quadratum manet. quare altera ratio non est etiam diminutio: qua ablato gnomone a quadrato, id quod restat, est itidem quadratum. cumque varietatem alterationis ab aliis motionibus ostendere uelit Aristoteles, quadratique & gnomonis meminerit, danda nobis opera est, ut horum sententiam explicemus. Gnomonem igitur uocant geometræ unum ex quadratis diametrum ambientibus, ubi sit cum duobus simul complementis. quod ut intelligatur, formam describendo differemus. Quadratum ergo dicitur spatium esse, quod quatuor æqualibus inter se lateribus, & angulis rectis continetur. esto autem quadratum spatium a b c d quod æquales habeat quatuor angulos, & quatuor itidem latera: ducaturque per ipsum dimetiens linea b c. in latere autem a b, capiatur



uerbi causa punctum e, & ab ipso puncto e, ab utrouis a b c d latere describatur parallela linea e f, a latere uero a c auferatur æqualis linea a g lineæ e b. & a pũcto g ducatur parallela g h, ab utrolibet latere a b c d. ergo quadrati a b c d quatuor spatia iterna sunt, quorũ duo diametrũ ambiẽtia, ut e b h x, & x g, c f, sunt quadrata: reliqua duo complementa nominantur. unum igitur ex quadratis, utrumuis, uerbi gratia g c f x, cum ambobus complementis a e x g, & x h d f, gnomon appellatur. quomodo autem quadratum, quod ex e b x h constat, simile sit quadrato quod est ex a b c d, perspicua probatio est. uide igitur ut gnomon quadratum c b x h maius fecit, quadrato a b c d, & tamen illud non est alteratum. quadratum enim minus cum factum sit maius, tamen nihilo secius quadratum remansit. quin etiam si a toto quadrato a b c d auferas gnomona a e g h c d, tamen quadratum e b x h relinquetur. & totum quadratum, quod initio erat constitutum, diminutum est, & minus factum, & tamen non alteratum: sed eadem quadrati species remansit. Si autem neque incrementum, neque diminutio, quæ motiones in quantitate sunt, speciei quadrati proprietatem non dimouerunt, sane perspicuum est, motum qualitatis ab incremento & diminutione diuersum esse: sique hi diuersi sunt, multo etiam magis ortus atque interitus erunt uarij. [Motui autem, inquit, omnino quies contraria est.] nunc tertium eorum inquirit in tractatione de motu, quæ nos proposuimus: hoc est cui motui quisque motus opponatur: omnino ait ait omni motui quietem esse contrariam. si enim motus est transgressio quædam & uia uel ex iis quæ sunt, in ea quæ non sunt, aut contra: uel ex potentia ad actionem, uel a loco ad locum, uel ab inferiore ad maius, aut uicissim, ut cum tale quid sit, tale quippiam fiat, ut ex albo nigrum euadat; quies uero est status, merito sit, ut omni motui contraria quies sit. [ac singulis inquit singulæ quæ ex eadem diuisione sibi opponuntur, nam & ortui contrarius est interitus, & accessioni abscessio, & loci commutationi in loco quies præcipue.] id quod merito fit: propterea quod hæc motio est cæteris notior: & de ea consueuere homines motus nomen enunciare. sed possumus etiam magis speciatim hanc ipsam motionem sibi ipsi opponere, cum eam pro differentibus loci distantiis distinguere ualeamus: ut latio in sublime ei opponatur, quæ deorsum fertur: quæque antorsum, ei quæ retrorsum: quæ denique ad dextram ei, quæ ad sinistram uergat. [At uero, inquit, reliquæ motionis non est facile explicare quodnam sit contrarium.] In motionibus quoque distinguendis hæc, id est alteratio, erat, de qua erat quæstio: cui sane ait opponendam esse qualitatis quietem, ut etiam loci mutationi qualitatum in contrarium mutationem opponimus, qualem candoris in nigrore commutationem statuimus.

DE HABENDI GENERIBUS.

Habendi etiam genera sunt plurima. Aut enim habere ut habitum & affectionem dicitur, aut aliam aliquam qualitatem. Scientiam enim & uirtutes habere dicimur. Vel ut quantitatem, ut qui certa est magnitudine, dicitur magnitudinem habere trium quatuorue cubitorum. Vel ut ea quæ corpus uestiunt, qualis uestis est, & tunica. Vel in parte, ut in digito annulum. Vel tanquam partem, ut manum uel pedem. Et tanquam in uase, ut modius habet & continet triticum, uel uinum amphora. Nam & amphora uinum, & modius triticum continet, Hæc enim omnia quasi uase continente dicuntur. Habere etiam aliquid ut possessionem dicimus, ueluti domum & agrum. Atque etiam uir mulierem habere, & uirum mulier dicitur. Quæ significatio uerbi habendi una ex omnibus alienissima est. Neque enim aliud habere mulierem indicamus, nisi una in domo habitare. Sunt alij quoque fortasse habendi modi. nos quidem omnes fere exposuimus, qui crebris usurpantur sermonibus.

Habere uox homonyma est, nec solum unam ex decem categoriis declarat, sed alia quoque quamplurima. dicimur enim habere scientiam, uirtutes, & cætera quæcunque numerantur. proprie uero habendi categoria substantiæ ad substantiam adiectionem significat: ut cum uestimentum circumpositum, aut annulum, aut calceum dicimus. at mulierem habere, aut agrum, aut huius generis quidpiam, aliud est. ne ergo ex homonymia deciperemur, nobis hoc loco, quot modis habere dicatur, explanauit. an uero, quo-

niam supra cum de substantia, quantitate, qualitate, iis quæ sub eandem cadunt rationem, agere, & pati locutus est, nihil de cæteris categoriis, tanquam claræ essent & perspicuæ, disseruit, definiuit autem habendi categoriam, cum eam esse substantiæ circa substantiam adiectionem dixit, sed aliis etiam modis habere dicitur, ideo, nunc eandem tractationem repetit, ac docet, consuesse nos uerbum habēdi multis modis usorpare. dicitur enim, inquit, habere, in qualitate, ut habitum aut affectionem, aut scieotiam: aut in quantitate, ut si quis dicat, lignum tres habere cubitos. atque hæc quidem io corpore. circa corpus uero habere dicimur, ut uestimentum, aut locum, aut tantum temporis. Iam particulam quoque dicimur habere, ut manum, aut pedem: & ut possessionem, ut domum, aut agrum: & ut in uase, ut urceus habere uinum dicitur, & item quotquot aliis modis habere dici potest. cum autem dicimus, habere mulierem, ea inquit significatio alienissima est ex omnibus: quippe cum nihil aliud sit habere mulierem, quam corpus cum ea miscere. sed alienissima significatio est, quia noo magis uir mulierem, quam uirum mulier habere dicitur. uerum ad hoc dici potest, idem in possessionibus euenire, cum non solum nos habere agrum, aut seruum, sed & ager habere dominum, & seruus herum, & uestimentum dicatur. itemque in partibus & toto, nó solum habet totú partes, sed partes quoque totum habent. [Sunt alij quoque fortasse inquit, habendi modi, nos quidem omnes fere exposuimus, qui crebris usurpantur sermonibus.] Si fortasse eius uerbis acquiescere nolimus, modeste nobiscum agit, atque fortasse alios modos habendi extare, omnes tamen eos, quibus uti homines consueuerint, se nunc exposuisse.

FINIS CATEGORIARVM, ET AMMONII

IN EASDEM COMMENTARII.



BERNARDO GEORGIO,

PATRITIO VENETO,

AC SENATORI PRVDENTISSIMO

Io. Baptista Rasarius

S. P. D.



ANTA semper fuit in hominibus cognitionis, scientiæq; cupiditas Bernarde clarissime, tantus indagandæ veritatis ardor, tantum denique artium ad summam amplitudinem euehendarum desiderium, vt ex omni æternitate quamplurimi fuerint, qui in disciplinas ardenti quodam studio incumberent: quiq; certatim id agerent, vt in altissimo dignitatis gradu omnes artes, omnesq; scientias collocarent. ac fuit quidem priscorum hominum tanta prudentia, tantaq; felicitas, vt vel diuino instinctu, vel suo ingenio inuentis, auctisq; disciplinis, sic ad vsum eas traduxerint, vt ipsi singularem sibi gloriam compararint, nos vero sibi hoc beneficio prope immortali summopere deuinxerint. quod profecto cum omnes, qui posteritatem præclaris suis inuentis adiuuare conati sunt, videntur esse consecuti, tum illi præcipue, qui eas artes, quibus vita hominis continetur, quæq; animi ornatum attingunt, excolendas, & scriptis illustrandas esse putauerunt: quorum omnium longe principem fuisse Aristotelem, nemo est, qui ignorare vel possit, vel debeat. is enim cum videret, eorum omnium, quæ inueniuntur, quædam ab alijs percepta, & singillatim elaborata, quædam a prima origine parum quidem progressa esse, sed propter uim, quæ in principio totius rei maxima est, non mediocrem vtilitatem attulisse: quid inchoatum, quidq; perfectum esset, animo diligenter voluendum existimauit. itaque animaduertit eos, qui suis temporibus in honore habebantur, cum a multis, quasi hereditario iure artes accepissent, sic auxisse: eam vero artem, quæ in veritatis est posita contemplatione, quæq; & differendi, & iudicandi est, non esse ab alijs pertractatam. qui enim disputationes eas, quæ certandi studio instituebantur, proponebant, alij orationes ad dicendum, alij quæ ad quærendum, & interrogandum valerent, ediscendas dabant: quorum institutum, vt reprehendendum erat, ita Aristoteles adeo refutauit, vt ipse quæ ad differendum, ac iudicandum, quæq; ad veritatis inuentionem, & defensionem pertinent, ab initio præclare constituisse, & ad summam amplitudinem extulisse iudicetur. Sed cum veteres, singulari homines sapientia, magnopere vererentur, ne hæc ipsa rerum cognitio pateret omnibus, atque ita etiam ab impuris hominibus tractata, & contaminata sordesceret; eam varijs rationibus velandam, atque obscurandam esse censuerunt. itaque sæpe adhibendæ sunt voces interpretum, vt abditæ illorum sententiæ eruantur, & in clarissima veritatis luce collocentur. inde factum est, vt multi, quos humana vtilitas impellebat, in hanc rem studio incubuerint, vt quæ a veteribus obscure nobis essent tradita, ipsi plane patefacerent, atque aperirent: in quibus vt Ammonium statuere possumus, ita etiam si consecuti essemus, vt integer ad nos peruenisset, non tantopere laboraremus: is enim cum obscuriora quæq; declarasse, tum vero in omnes Aristotelis libros scripsisse commentarios existimatur. ex omnibus tamen eius scriptionibus eæ solæ superfuerunt, quas in Porphyrij institutionem, Aristotelis categorias, & librum, qui est de interpretatione, ediderat. atque eæ quidem tot menda continent, vt quandoq; ne Ammonij quidem esse agnoscantur. has ego superioribus diebus cum vetustis codicibus, quorum mihi copia potuit suppetere, diligenter conferendas iudicaui, vt si quas delere maculas possem, hanc a studiosis gratiam inirem, & rem literariam, quantum fieri a me posset, adiuuarem. quod cum fecissem, alium quoque laborem mihi suscipiendum esse existimaui, vt eosdem libros de græcis latinos facerem: quod & eram antea facturus mea sponte, & post multorum amicorum suasu ac precibus admonitus, aggressus sum. quam ad rem eo etiam libentius animum appuli, quod putabam mihi oblatam hac ratione occasionem, qua tibi aliquam singularis meæ in te obseruantiæ significationem darem. quanquam autem tu in maximis reip. negotijs ita es occupatus, vt hisce rebus non satis dare operam posse videaris, tamen quantum tibi per eandem remp. licet, ita in bibliothecam te abdis, vt etiam multum in studio literarum & operæ ponas & temporis. audiui enim persæpe de ijs, qui tecum in præfecturis, & præturis, quas summa tua cum laude gessisti, familiariter vixerunt, te, ne transuersum quidem vnguem, a disciplinis abduci: vt sæpenumero mirarentur, cum totos dies in gubernatione ciuitatis, iudicijsq; exercendis posuisses, tamen ad libros euoluendos, quasi diurnam sitim explere cupiens, multum etiam noctis assumeres. hanc ad voluptatem alia præterea accedebat, quam ex suauissimis carminibus pangendis capiebas: vt cum ea animi remissio sit omnium locorum & temporum, & humanissima, liberalissimaq; iudicetur, tibi gloriam immortalem parauisse videatur. intelligebas enim,

poetas

poetas esse diuino quodam instinctu, afflatuq; concitatos, vt non iucunditate solum & ipsi perfundantur, & cæteros afficiant, sed etiam quæ sequenda, quæq; fugienda ab hominibus sint, doceant: & ad honestas vitæ rationes suauitate carminis cunctos alliciant. irrepunt enim sensibus, atque animis infixi inhærent iucundi versus, vt quasi nutrices, illecebris quibusdam a vitijs deterreant, ad virtutemq; informent, & ad optima quæq; adhortentur. ac quod cæteri & reges & principes viri priscis temporibus poetas, a quibus res eorum gestæ celebrarentur, & immortalitati mandarentur, summopere diligebant, tu tibi cumulatissime suppeditasti. quare cum a puero optimis artibus, præclarissimisq; disciplinis semper deditus fueris, atque omni ingenua sis disciplina perpolitus, haud mirabile est, si in omni negotio gerendo semper excelluisti. itaque in Patauina prætura talem te præstitisti, vt quæ a sapientissimis viris acceperas, & tu iam alios tuo exemplo docueras, cuncta explicaueris. quantus præterea sis in rerum cognitione, declarauit senatus: qui te Patauini gymnasij III Virum esse voluit, quod munus ad eos potissimum senatores deferri solet, quos senatus eruditione & rerum vsu, atque peritia præstare cæteris cognouerit. quam ob rem cum Ammonij commentarium in librum περὶ ἑρμηνείας conuerterim, neminem aptiorem, quam te, in cuius nomine appareret, inuenisse posse videor. nam tu, quę tua humanitas est, tuum mihi iandiu amorem ostendisti, & ita in omnibus scientijs excellis, vt si quid recte, aut secus a me in hoc libro latine reddendo factum sit, latere te non possit. atque ita, si a te laudatus erit, cæterorum vereri iudicia non debeam. quare te mirum in modum rogo, vt hoc meum munusculum libenter accipias, idq; non ex volumine, aut tua dignitate, sed potius ex mea voluntate, atq; obseruantia erga te, perpendas. Vale. K. Nouemb.

CIↃ IↃ LVIII.

Venetijs.



AMMONII

IN LIBRUM DE INTERPRETATIONE ARISTOTELIS EXPLANATIO,

Ioanne Baptiſta Raſario interprete.



RSSTOTSLIS liber, qui de interpretatione inſcribitur, tum preceptorum quę io co traduntur, magnitudine, tum dictionis difficultate, & celebris apud philoſophos, & nũquam ignobilis fuit: quæ res multos etiam interpretes excitauit, nt in eo explicando multum operæ poſuerint & temporis. ac nos quoque ſi ad ipſius libri perſpicnitatem alicui eſſe adiumento poſſemus, ea in medium afferẽdo, quæ a Proclo Platonico ſucceſſore, diuino præceptore noſtro accepimus, qui neterum philoſophorũ ſententias ita declarauit, & naturæ arcana ita reſerauit, ut ad ſummam humanæ naturæ cognitionem perueniſſe, & ſingularis in ſcientiis iudicio a nobis habeatur, magnam profecto præſidi orationis Deo gratiam haberemus. Initium ergo explicandi a oobis inde ſumatur, ut quinque capita, quæ antecedere uerborum auctoris explanationem conſueuerunt, proponamus. hæc autem ſuot, ut quid Ariſtoteli hoc libro propoſitum ſit: quemq; hic ordinem inter cæteros ad artem diſſerendi pertinentes obtineat: & quare hunc indicem, de interpretatione, habuerit: atque etiam eſſe uerum librum Ariſtotelis, denique in quot capita diuidatur, intelligamus. quærere autem, quam utilitaté ei, qui philoſophiæ dare operam uelit, hic liber afferat, cum a oobis declaratum crit, quid ſit huic libro propoſitum, erit ſuper uacaneum. Quid igitur ei propoſitum eſt? id enim eſt ante omnia declarandum, ut cætera huc omnia referantur, & connectantur. quod ut plane, ac recte intelligamus, memoria repetenda ſunt ea, quæ libro categoriarum præpoſuimus: hoc eſt, logicæ tractationis finem eſſe demonſtrationis inuentionem. præcedere tamen huic cognitionem ſyllogiſmi, qui ſimpliciter & abſolute capiatur: huic etiam notitiam ſimplicium orationum, ex quibus ſyllogiſmus conficitur: huic denique eam cognitionem, quæ in omnibus ſimplicibus uocibus per genera uerſatur, cx quibus ſimplex conſtat oratio. cum igitur Ariſtoteles in categoriis ſimplices nobis uoces expoſuiſſet, eſt ei in hoc propoſitum uelle ſimplices orationes docere: quæ ex uocum ſimplicium coniunctione conficiuntur: & ab iis propoountur, qui in collocutionibus ſyllogiſmo aliquid efficere ſtudent, quas ueteres philoſophi propoſitiones appellarunt. ſed cum orationis ſint quioque ſpecies, uocans, ut Atride o felix: imperans, ut Iri cita uade: interrogans, ut, qui genus? unde domo? optans, ut atque utinam pater ipſe deûm: præterea uero enuncians, qua de quacunque re aliquid enunciamus, ut Dij omnia norunt: &, anima omnis immortalis eſt: hoc loco non de omni oratione abſolute uult agere philoſophus, ſed ſolum de enunciante: atque id merito: ſiquidem id ſolum orationis genus uerum, falſumque declarat: & ad id diriguntur demonſtrationes, quarum cauſa, tota ratio diſſerendi a philoſopho inſtituta eſt. Cæterum Stoici enunciantem orationem effatum uocant: optantem uero, deprecantem nominant: uocantem, appellantem: quibus alias præterea orationis ſpecies adiungunt: quæ ad aliquam ſpeciem earũ, quas numerauimus, perſpicue referuntur. aiunt enim unam eſſe iurandi, ut hoc nunc terra ſcito: aliam exponendi; ut eſto hæc recta lioea: alia ſupponendi, ut ponatur, terram eſſe centrum globi Solis: aliam effato ſimilem, ut, quam ſibi placet in rebus humanis fortuna: quæ omnes orationes cum uerum falſumque poſsiot accipere, ad enunciantem referantur: quippe cum iurans enunciantem Dei teſtimonio citato ſuperet, quæ uero ſimilis eſt effato, præſtet eidem propter intentiuum aduerbium, quod additum eſt. quintum denique genus addunt, quod dubitandi eſt, ut Dauus uenit, quidnam igitur ounciat. quæ ſane oratio nihil differt ab interrogante: niſi quod interrogationi antepoſita propoſitio eſt. Præterea cum enunciantis orationis duo ſint genera, quorum alterum categoricum, alterum hypotheticum oominatur: ac categoricum quid cuique inſit, uel non inſit ſignificet, nt cum dicimus, Socrates deambulat, Socrates non deambulat: facimus cnim, ut uerbum ambulandi de Socrate dicatur tum affirmando, tum negando: hypotheticum uero declaret, cum aliquid eſt, eſſe aliquid, uel non eſſe: uel cum oon eſt aliquid, non eſſe quidpiam, uel eſſe: ut cum dicimus, ſi homo eſt, animal eſt: ſi homo eſt, lapis non eſt: ſi non eſt dies, eſt nox: ſi oon eſt dies, Sol ſupra terram non eſt: Ariſtoteles ſolum geous categoricum enunciantis orationis nobis tradit: utpote quod per ſe abſolutum ſit, & ad demonſtrationes accommodatum: hypotheticum uero, ut mancum, & indigens plane eius perfectionis, quam a categorico debet conſequi, nullibi putat bonore præcipue dignum. ſyllogiſmi enim hypothetici quam tranſumptionẽ, ſiue aſſumptionem uocant, ſine demonſtratione ſumunt: quandoque uero connexum, ſiue diſiunctum, quod probationis indigeat, capiunt, & ex ſuppoſitione fidem faciunt, ſi quis primas eorum propoſitiones admittat. ad eiuſmodi autem ſuppoſitiones probandas, ſi quiſpiam alio hypothetico ſyllogiſmo utatur, ei iterum opus erit alia probatione ad ſuppoſitiones illius ſyllogiſmi confirmandas: & item alia donec exitum nullum res ſit inuentura, ſi ſuppoſitionibus confirmandæ ſuppoſitiones ſint. ſi uero futura ſit integra & perfecta probatio, quæ nihil præterea requirat, certe opus eſt categorico ſyllogiſmo, qui ſine ulla ſuppoſitione pronunciatus rem propoſitam demonſtret. inde fit, ut categoricos ſyllogiſmos abſolute ſyllogiſmos nominemus: hypotheticos uero, hoc totum, ſyllogiſmos ex ſuppoſitione: abſolute uero, oon item: cum etiam hypotheticæ enunciationes a categoriis ortum trahant. nam alterus ex altera categorica propoſitione conſequentiam, uel diſiunctionem ſignificant: quas connectunt inter ſe coniunctione copulatiua, aut diſiunctiua, ut uocant, ut oratio, quæ ex eis conflata eſt, una eſſe uideatur. quam ob rem ſolam categoricã enunciantis orationis ſpeciem tractat hoc loco Ariſtoteles. Eſt ergo ei propoſitum, ut paucis complectar, differere de prima ſimplicium uocum coniunctione, quæ in categorica enunciantis orationis ſpecie efficiatur. dico autem de prima, quia etiam ſyllogiſmi coniunctio ex ſimplicibus uocibus conſtat: ea tamen non eſt prima, ſed fit ex compoſitione earum orationum, quæ cx prima coniunctione efficiuntur. quocirca haſce orationes ſimplices per ſe ſe in hac tractatione contemplans, ſolum in eo quod enunciationes ſint, non autem, ut propoſitiones, conſiderabit: in analyticis uero, ut partes ſyllogiſmorum accipiens, eas etiam ut propoſitiones ſimul conſiderandas eſſe iudicabit: præſertim cum propoſitiones ita a ueteribus nominatæ ſint, quod ab ijs, qui ſyllogiſmo aliquid probare vellent iis, quibus cũ differebant, proponerentur. Atque hinc etiam ex iis, quæ dicta ſunt, quo ordine ſtatuendus liber ſit, plane patet. Si enim ſimplices orationes medium ordinem nactæ ſunt inter voces ſimplices, & ſyllogiſmos: ſimplices autem uoces oobis categorię tradunt; ſimplices uero orationes hic liber, ſyllogiſmos denique analytica, certe planum eſt, hunc librum medium inter categorias, & analytica cenſeri, ut categorias conſequatur, analytica ue-

ro,

ro, & cæteros libros, qui ad artem differendi pertinent, antecedat. Hunc vero librum esse ad disserendi rationem accommodatum, hancque ipsam rationem ad philosophiã uniuersam, ex iis, quæ dicta sunt, perspicuum est. Nunc autem inscriptionis causa consideretur: ut quid intelligat Aristoteles nomine interpretationis, ut librum inscripserit, de interpretatione videamus. neque enim ipse, ut Demetrius qui librum de forma orationis conscribendæ, quem περὶ ἑρμηνείας, hoc est de elocutione inscripsit, ita hunc Aristoteles nominat περὶ ἑρμηνείας, hoc est de forma orationis conscribendæ, tanquam hac de re in hoc libro differat. Dicendum igitur est, cum anima nostra duplicem potestatem habeat, cognitionis, & uitæ, quæ etiam appetitionis ac cupiditatis appellatur; quæ uero cognitionis est, uis est, qua res singulas cognoscimus, ut mens, cogitatio, opinio, phantasia, sensus: appetitus uero facultas est, qua bona, vel quæ sunt, uel quæ uidentur, concupiscimus, ut sunt uoluntas, consilium, ira, cupiditas: quatuor orationis species, præter enunciantem, a partibus animi proficiscuntur, quæ concupiscunt: non cum animus ipse per se agit, sed cum ad alium se conuertit, qui ei ad consequendum id, quod cupit, conducere posse videatur. atque etiam vel rationem ab eo exquirit, ut in oratione, quam percunctantem, aut interrogantem uocant: uel rem: sique rem, vel eum ipsum consequi cupit, qui cum loquitur, ut in optante oratione, uel aliquam eius actionem: atque in hac uel ut a præstantiore, ut in deprecatione, uel ut ab inferiore, ut in eo, qui proprie iussus nominatur. sola autem enuncians a cognoscendi facultate proficiscitur: hæcque nunciat rerum cognitionem, quæ in nobis est, aut ueram, aut simulatam. itaque hæc sola uerũ, falsumq; capit: præterea uero nulla. atque hoc enunciantis orationis genus censet interpretationem appellari philosophus oportere, quasi animi cognitionem interpretetur, & explanet. quoniam igitur, ut ipse in exordio huius libri declarat alia quoque præter enunciantem orationem, sunt genera orationis, cum deprecatio sit etiam oratio, atque enunciatio sit huius instituti & temporis, ideo librum inscripsit de interpretatione, ac si nulla esset differentia, quam, si de enunciante oratione, inscripsisset. Verum autem esse Aristotelis hunc librum, nemo in Aristotelicis scriptis uersatus, dubitãdum unquam existimauit, in quã sñiam trahimur cũ ex probabili, artificiosa, & seuera dicẽdi rõne, ac præceptorũ quæ in eo traduntur, dispositione, Aristoteli familiari ac consueta: tum uero ex huius operis cum aliis consensu. Andronicus tamen Rhódius, qui undecimus ab Aristotele fuit, de hac re dubitauit. is enim cum Aristotelem in exordio libri dicentem notitias esse animi affectus conspiceret, atque etiam addentẽ, de iis in libris de anima dictum esse: nec uideret quo in loco in libris de anima notitias animi affectus appellauisset, alterutrum horum librorum uel de interpretatione, vel de anima spurium esse, huncque potius, quam librũ de anima, reiiciendum iudicauit. Sed scire conuenit, multis in locis in libris de anima uocari ab Aristotele intellectũ patientem phantasiam: atque intellectum quidem, ut quæ in se ipsa habeat rem, quæ cognoscenda est, eoque differat a sensu, quia sensus cognoscit externa, quorum præsentia, si quid in ea agat, omnino indiget: quorum formas phantasia per sensus consecuta, in se ipsa habet, & rerum externarum minime indigens possit in ea incumbere. quocirca in somno quamuis sensus ferientur, tamen per phantasiam agimus. Vocat autem patientem, quod partitione quadam ac separatione singula cognoscit: quippe cum substantiam actionemque suam a corpore non separatam habeat: sitque sensuum quidam fons, atque principium. Cum igitur Aristoteles in libris de anima dixisset, animam nostrã nihil earum rerum, quæ hic sunt, sine hoc intellectu patiente cognoscere, ut cum ait, Non recordamur, hunc quidem impatibilem esse: intellectum uero patientem esse caducum, & sine eo nihil intelligere. &c. deinde, Intelligens pars formas intelligit in phantasmatibus. tum, Primæ autem notitiæ quid intererit, quo minus phantasmata sint: an neque aliæ sunt phantasmata, sed non sine phantasmatibus. certe patet notitias in omnibus his locis animi affectus appellari. immo uero hoc nomen affectus in omnibus animæ functionibus, uidetur communius ab eodem usurpari: Existit, inquit illic, quæstio, utrum animi affectus sint omnes communes, & ad totum pertineant, an uero quispiam sit ipsius animi proprius. tum explicans quæstionem subiungit: quanquam autem ex plurimis animus inquit, neque pati, neque facere quicquam sine corpore uidetur, ut irasci, confidere, concupiscere, & omnino sentire: intelligere autem proprium uidetur esse uel maxime: sique id phantasia quædam est, uel certe sine phantasia non contingit, profecto ne hoc quidem sine corpore constabit. sed ante hæc in procemio illius operis ait, Nobis autem hoc loco propositum est, primum naturam eius, & essentiam cognoscere, deinde ea omnia, quæ ei accidunt, quorum quædam sunt proprij animæ affectus, quædam uero per eam aliis etiam animantibus conueniunt. ex quibus uerbis constat, eum non uereri, animæ nostræ, in qua ratio est, intellectionem appellare affectum, etiam si sine phantasia efficeretur: non in eam sentẽtiam, quæ supra dicta est, sed quod in ipsa uis ad ipsam deducens singulas actiones tempore ãtecedat: quod idem est, ac si imperfectum præire perfecto dicas, quo scilicet differat ab actione eius intellectus, qui liber & absolutus nominatur. habetque actionem substantiæ comitẽ. huncque intellectum uostrum ut impatibilem, ut non concretum, ut ab omni corpore separabilem dicit: ut eum ab intellectu qui patiens proprie uocatur, quique a phantasia, ut diximus, nihil differt, distinguat. quocirca cum inuestiget causam, quare nos non meminerimus, eam animi partem, ex qua essentiam nacti sumus, impatibilem, intellectũ uero patientem esse caducum dicit: nostramque intelligentiam huic, qui caducus est, coniunctam, obliuionis causam afferre. quibus quidem fit rebus, ut non iure ac merito Andronicus hunc librum, ut non uerum Aristotelis, esse abiiciendum censuerit. consequens autem est, ut nos ordine, quem præposuimus, seruato, in quot capita hic liber diuidatur, aperiamus. Cum igitur in quatuor sit plane partes distributus, prima orationis enunciantis principia continet. principia autem enunciantis orationis uoco, quæ ad eius doctrinam conducunt: ut etiam geometriæ principia uocamus definitiones, postulata, & quas communes notiones appellant, quæ ab Aristotele in categoriis elementa formarum nominantur. cum ergo in propositionibus explicandis utetur nomine, uerbo, affirmatione, negatione, enunciatione, & repugnantia, merito antequam de propositionibus aliquid dicat, quid hæc singula significent, nobis declarat. erat quippe consentaneum, ut cum ea prius incipientibus huic studio dare operam explicasset, ad ea, quę sibi proposuerat, tradenda pergeret. hoc igitur est primũ libri caput, in quo de his principiis enunciantis orationis differitur. in cæteris tribus consequentibus propositiones ipsas docet. Cum vero ex propositionibus alię sint ex duabus solis simplicibus uocibus conflatæ, quarum una subiecta, alia prædicata sit, ut cum dico, Socrates ambulat (hic enim Socrates subiectus terminus uocatur, & ambulat, prædicatus: quia in omni categorica oratione aliud est, de quo est oratio, & aliud quod de illo dicitur: & de quo est oratio, ut est hoc loco Socrates, subiectum nominatur, quia capit dicẽdi rationes de se: quod uero de illo dicitur, ut est hic ambulat, prædicatũ uocatur, tanquã de illo enuncietur, & dicatur) cum inquam, ut diximus, alię propositiones ex subiecto solo & prædicato fiant, alię sint, quæ habent etiam tertium, quod adprædicatum dicitur, ut cum dico, Socrates iustus est: hic enim subiectum est Socrates, prædicatum, iustus; adprædicatum uero, est: aliæ uero habent, præter hæc, modum adiunctum. qui quo modo prædicatũ subiecto conueniat, declaret: ut sunt necessarium, impossibile, contingens, pulchre, sapienter, iuste: ut cum dico, Socrati musicum esse contingit: uel Socrates sapienter edisserit. plures uero his terminos ad propositiones conficiendas inter se coniungi, ne cogitari quidem potest. ergo secundum libri caput, simplicissimas nobis propositiones tradet: eritque de propositione, id est, de enunciatione quę ex subiecto & prædicato conficitur. tertium uero caput his magis

magis compositas, propter tertij uerbi adiectionem, explanabit: eritque de propositione, hoc est enunciatione ex subiecto, prædicato, & tertio apprędicato: quartum propositiones cum modo continebit. Ita Aristoteles omnia genera propositionum persecutus est, ac dicere etiam non est ueritus, plures hisce repugnantias non inueniri: finemque huic tractationi breui imposuit. sub finem autem libri alia etiam quæstio tractabitur, quæ est ad hoc institutum accōmodata. Quæ cum sint a nobis dicta, tempus iam est, ut ad dictionis explicationem aggrediamur: quæ quia contorta est, & argumentorum plena, & uberibus referta sententiis, & exigua mutatione totum quandoque sensum euariet, atq; hoc mali in plerisque iam exemplaribus passa sit, totam deinceps apponere proposuimus, ut quęnam esse emendatior editio uideatur, probe dignoscatur.

PRimum ponendum est, quid sit nomen, quid uerbum, tum quid enunciatio & oratio, postremo quid negatio & affirmatio.

Est Aristoteli propositū, ut diximus, hoc loco, de enunciante oratione agere. cumque enunciatio omnis ex nominibus, uerbisque oriatur, ut cum dico, Socrates ambulat, & simpliciora cognosci ubique prius debeant, quam ea quæ ex ipsis constant, ideo accommodatissimum docendi initium sumit, cum nominis, uerbique uim & naturam inquirit. quod enim ait, ponere, nunc pro definire dictum est; cum tamen in alias etiam significationes trahatur: uerum hoc loco definitionem significat. ac ponere quidem multis modis dici, est sane perspicuum. Sæpe enim suppositiones appellamus positiones: ut si dicamus, statutum sit, theatrum tantam multitudinem capere. statutum sit decem cubitorū magnitudinem habere, aut regnare: quid tum faciet? positiones præterea uocamus admirabiles alicuius in philosophia spectati & nobilis opiniones, ut moueri omnia, neque ullo modo unquam stare, ut placuit Heraclito: uel unum esse id quod est, ut Parmenides affirmabat: positiones quoque dicimus consensus, uel propositiones, quale est id, quod ἀλληλογίαν uocāt, cum alternis dicunt: unde etiam reponere significat consensum retractare. sed aduerbia quoque, quæ positiua nominantur, a nonnullis positiones appellantur, ut γαμητέον, πιστευτέον, hoc est nubendum & credendū. Iam uero positiones uocant etiam definitiones, quasi illæ ante subiiciantur demonstrationibus. si enim demōstrationes ab iis, quę rebus ex ui & natura insunt, perficiuntur, uim autem & naturam cuiusque significant definitiones, merito fit, vt ante demonstrationes subiiciantur definitiones. Sed ut latius hoc nomen pateat, uocat positiones Aristoteles absolute omnia principia demonstrationum, quę medio uacent, quæ quasi ex altera parte effatis diuidendo respondent: quales sunt definitiones, ut dixi, & petiones, & suppositiones. quæ cum demonstrationis iam indigeant, sine illa sumptæ sunt, ut in primo posteriorum analyticorum est plane ostensum. tot ergo, uel etiam pluribus modis uerbū ponere, dici solet. nunc uero significat constituere ac definire, quod uel ex eo planum est, quod subiungit, quid sit nomen, quid verbum: quibus uerbis definitionem nobis apertissime indicat. Existit autem hic quæstio, quare in toto categoriarum uolumine, de uocibus simplicibus egerit, ac nunc iterum de nomine ac uerbo, quorum utrunque uox simplex est, dicendum proposuerit. dicendum est, uocem simplicem, nomen, verbum, dictionem, terminum idem esse inter se ratione subiecti, sed sola relatione quadam differre: ut semen & fructus, & ascensus ac descensus. cum enim uoces simplices, ut rerum significantes, quibus rebus sunt impositæ, consideramus: tum eas hoc solum, simplices uoces appellamus, nec distinguimus hoc pacto nomina a uerbis: cum uero coniunctionem quandam in eis spectamus, aliasque articulis uinctas, alias secus, alias tempus aliquod adsignificantes, alias non item, inuenimus: tum eas inter se distinguimus, & quæ constructæ articulis sunt, quæ nullum tempus adsignificant, nomina uocanda esse censemus: quæ uero articulis non iungantur, & in tempore aliquo dicuntur, uerba. præterea cum utranque harum uocū per se non sumimus, sed ut partem affirmationis, aut negationis, tunc eam dictionem appellari oportere iudicamus: ut deinceps nos Aristoteles perspicue docebit. cum vero ut in syllogismo adhibentur, considerabimus, terminos uocabimus: ut in exordio analyticorum exponetur. Atque Plato in nono de legibus simplices uoces terminos nominauit: itaque inquit, misceri inter se terminos, quorū expers medij est oppositio, ut calida non calida: interuallum uero obtinere eos, quorum aliquid medium est, ut calida & frigida: uel uoluntarium & inuitum, de quibus eo in loco instituta disputatio est, quorum medium est damnum, quod per iracundiam allatum est: quod neque sponte pure & uere facit aliquis, neque inuitus. Cum uero idem sit subiecto si dicas nomen, aut si dicas uerbum, aut simplicem uocem, uerum prædicta relatione differant, in libro uero categoriarum nos solum uoces simplices docuerit, neque ullam nominum cum uerbis differentiam explicarit, cuius in oratione enunciante pertractanda usus est maximus, cum eius beneficio subiectos terminos a pręedicatis in enunciationibus distinguimus: ideo nunc & nominis & uerbi cognitionem tribuit, utpote quæ sit instituto operi coniunctissima. Sed dicat aliquis, cū multæ sint orationis partes apud grammaticos, cur solum de nomine agit & uerbo? causa est, quia hæc duo sine alijs omnibus enūciantem orationem possunt efficere: ut cum dicimus, homo ualet. de iis ergo solis agit Aristoteles, quæ in omni enūciante oratione capiuntur, quæque ad enunciationem efficiendum satis sunt. scire etiā cōuenit, ex uulgatis octo partibus orationis alias esse, quæ naturas quasdam significent, aut simpliciter personas, aut actiones, aut affectiones, aut aliquam horum coniunctionem, vt nomina, pronomina, verba, & participia, quæ quidem sola satis esse ad enunciantem orationē efficiendam possunt; vt cum dicimus, Socrates ambulat, aut ego ualeo, aut currēs deambulat, aut Socrates currens est, quorum vnum pro subiecto, alterum pro prædicato sumptum est: alias vero nihil quidem eorum, quæ dicta sunt, significare: sed relationem quandam prædicati cum subiecto indicare, vt plurima aduerbia faciunt. indicant enim vel quo modo prędicatū subiecto insit, vel qn̄, vel quoties, vel finite, uel infinite: vel quo ordine ad aliud collatū, vt hic deinceps post hunc currit, vel procul ab hoc habitat: vel cui similiter, vel quo magis, aut minus: vel inesse cum intentione: vel vt nos inesse, vel non inesse existimemus, siue vt coniectura ducti, siue ut firmiter credentes, uel quonam modo ad rem affecti simus, de qua enunciamus aliquid, an ut dolentes, an ut admirantes, uel ut enunciationem allato præstantioris uiri testimonio confirmantes, uel nostra interesse ostendentes prædicatum eligere, ut in aduerbiis, quę positiua nominantur; uel clamore celebrantes animi affectionem supremo ipso bono insignitam, ut in aduerbiis, quę recte affectos esse numine afflatos indicant: uel etiam dictam ab aliis enunciationem per consensum amplectentes, aut per inficiationem reiicientes. Significare autem qūo insit, dico ea aduerbia, quæ medietatem, aut qualitatem indicant, ut Socrates recte disserit: & Melanthius Vlyssem λὰξ, hoc est calcibus percussit: apes racematim uolant: uel quæ docent prędicatum simul omnibus inesse, uel non inesse de quibus habetur oratio. ut simul hostes grassati sunt, aut disiuncte. sunt enim hæ quoque qualitates quædam. siquidem concretio & disiunctio ad qualitatem pertinent. de cæteris uero, quę enumerauimus, nihil est præterea dicendum. sunt enim uel iis, qui parum possunt percipere quid singula significent plana ac perspicua. hæc igitur, ut dictum nobis est, cum relationem quandam prędicati ad subiectum indicent, ad enunciationes conficiendas conferre aliquid uidentur. cætera aduerbia, significant illa quidem, sed tamen nihil ad enunciationem faciunt, sed ad alias orationis species accommodantur: ut quæ optandi sunt, ad optantem orationē: q̄ hortandi, ad imperantē: q̄ interrogādi, ad interrogantē. aliæ uero orationis partes præter eas, quæ dictæ sunt, ipsæ per se significatione prorsus uacant, ut articulus, propositio, & coniunctio. ergo quæ naturas, & personas, aut actiones, uel affectiones, uel coniunctionem personæ ad actionem, uel affectionem significant, hæc omnia Aristoteles in nomina & uerba distribuit: & quæ in tempore dicuntur,

dicuntur, aut prædicantur in propositionibus, uerba nominat: quæ sine tempore dicuntur, aut usum præbent subiectorum, nomina. quæ neutrum horum faciunt, quamuis alioqui adiaceant propositionibus, significentq; aut inesse, aut non inesse subiecto prædicatum, aut quando, aut quomodo, aut quoties insit, aut aliam quampiam mutuam affectionem declarent, ne partes quidem orationis uere esse uocanda putat. ut enim asseres sunt propriæ partes nauis, claui autem, stupa, & pix nauium coniungendarum causa, & ut tota materia in unum conducatur, adhibentur, ita in oratione coniunctiones, articuli, & præpositiones & ipsa itidem aduerbia, usum quendam præstant clauorum, uere tamen partes non dicentur: quippe cum ipsa plura coniuncta per se efficere orationem non queant. ergo orationis partes non sunt, sed dictionis, cuius etiam oratio ipsa pars est, ut in libro de arte poëtica dictum est; utilesque sunt ad quandam partium orationis inter se compositionem & constructionem, ut etiam uinculum ad coniunctionem adscititiam eorum quę deligantur, & gluten ad iungenda ea, quæ per ipsum agglutinantur: cum tamen illa non sint uinctorú partes, aut agglutinatorum. ita neque coniunctiones, neque articuli, neque præpositiones, neque aduerbia partes orationis sunt. Oratio autem a dictione differt, quod oratio est absoluta congeries uocum res primo significantium: dictio uero omnium absolute, quæ ad differendi facultatem assumuntur. Apud Platonem quoque orationis & dictionis differentiam inuenies: quam tertio politię libro tradit his verbis. Ac de oratione quidem hactenus: deinceps uero de dictione dicendum: ac quæ nobis loquenda, & quo pacto loquendum, erit nobis omnino perpensum. ex quo intelligimus orationem appellari sententiam; dictionem uero, pronunciationem: siue ea per partes maxime necessarias, ut nomen & uerbum, fiat, in qua sermo qui profertur, & qui proprie sermo dicitur, consideratur: siue alias etiam partes assumat eius orationis, quæ ita communius appellatur. quod perinde est, ac si dicas, interpretationis, quæ iam ad uenustatem & certum ordinem respiciat. Aphrodisiensi autem interpreti placet aduerbia quoque censeri nomina, ut etiam pronomina, & quam appellationem grammatici uocant: id tamen nulla esse nixum ratione uidetur. causa est, quia quędam aduerbia sunt, quæ nomina esse, ne posset quidem ullus suspicari: ut sunt affirmandi, ut negandi, ut prohibendi, ut iurandi, & alia complura: alia uero, quod a nominibus quibusdam ortum ducerent, existimauit ille habere eandé uim, quam nomina, ut recte, & aperte, a recto & aperto, ut iuste a iustitia. si ita est, etiam nubendum, nauigandum, quæ Græcis aduerbia sunt, uerba, non nomina appellabuntur, propterea quod a uerbis nubere & nauigare ducútur. at consentaneum non est, uel ut hæc uerba, uel ut illa nomina uocemus, cum neque subiici, neque prædicari in propositione possint, quorum alterutrum nomini & uerbo conueniat necesse est. apertum uero nomen inuenies prædicari in oratione, quæ dicat, hic locus de interpretatione apertus est: at aperte, non item. sed nec compositum aliquod ex ipso & eo, de quo aduerbium aperte dicitur, fieri prædicatum dicemus, ut aperte declarat, sicút fit in hoc mortalis homo, & adulterina moneta, oportebat enim huiusmodi affirmationum fieri eodem modo negationes, quo earum, quæ simplex aliquod prędicatum habent: ut in prędicatis re uera compositis contingit. ut enim huius affirmationis, mortuus homo est, negatio est, mortuus homo non est: & huius, mortuus uita functus est, hæc, mortuus uita functus non est: sic etiam illius, mortuus uita functus homo est, hęc, mortuus uita functus homo non est, erit negatio. at in propositionibus, quibus adiunctus modus est, non ut in iis, a quibus modus abest, sed longe aliter fieri negationes necesse est: nam huius affirmationis, Socrates uadit, hæc, Socrates non uadit, negatio est: huius uero, Socratem ambulare possibile est, non hæc, Socratem non ambulare possibile est: sed hæc, Socraté ambulare nó possibile est: quemadmodum in ultima huius operis parte nos planissime Aristoteles docebit. quocirca ait ubique, enunciantem orationem ex nomine, uerboque componi, atque in eadem resolui: quasi hæc solum orationis uere partes esse censeat: cum esse uel non esse aliâs de quibusdam partibus sine medio prædicentur, cum tunc fiant partes propositionum, ut in his, Socrates est, Socrates non est, neque a subiectis euariant: aliâs uero sumantur in propositionibus quę uel tertium apprædicatum uel modum habent, ut propositionis partibus addi, uel ab eis diuidi, aut tale aliquid subire dicantur, ut in exordio priorum analyticorum perdiscemus. ita fit, ut pars enunciationis uel nomen, uel uerbum sit omnino. sed uerbum non est etiam omnino propositionis pars, ut cum non sua ui, ac per se de subiecto prædicatur; quasi debeat actionem, aut affectionem, aut absolute essentiam, aut priuationem subiecti significare, sed tum, cum ea causa sumitur, ut prædicatum cum subiecto coniungatur. Atq; hæc quidem a nobis recte dici, perspicuum est ex cæterarum orationis partium appellationibus, quæ circa nomen & uerbum sunt. nam pronomen, tanquam nomen sit, non quarundam naturarum, sed personarum absolute, sic nominant: participium uero, quasi partem utriusque capiat, nominis & uerbi, nisi potius ad uerbi naturam deflectit, cum tempora quædam indicet: articulum uero, uelut nominibus appensum, & ad illa relatum. de præpositione uero, aduerbio, & coniunctione quid attinet dicere? cum illam ita nuncupent, quod æque nominibus & uerbis præponatur: aduerbium uero, ceu tali modo uerbis adhæreat: coniunctionem denique quasi disiunctas orationes colligantem. sed quibusdam locis apud Aristotelem leges, ubi hæc omnia communius partes orationis esse concedere uideatur. quã ob rem deinceps dicet, quasdam orationis partes esse significantes, quasi aliæ etiam non significantes sint: nisi forte aliqua alia uerborum illorum accommodatior expositio se offerat: quę nihil habeat, quod iis, quæ modo diximus, repugnet. [Tum inquit, quid negatio, & affirmatio, & enúciatio & oratio.] Tres proprie diuisionis modos esse, ut generis in species, ut totius in partes, ut homonymę uocis in uarias significationes, est perspicuum. Illud etiam planum est, enunciationem in affirmationem & negationem diuidi, cum enunciationis alteram aientem, negantem alteram appellemus. Quęsitum est autem ab Aristotelis interpretibus, quomodo enunciatio in affirmationem, negationemque distribuatur. alij uero, quorum longe princeps fuit Alexander Aphrodisiésis, ut uocem homonymiam in diuersas significationes; alij, ut genus in species, ut philosophus Porphyrius, dicere maluerunt. nemo uero eam ut totum in partes secari, dicere ausus est, quippe cum neque ut totum cuius partes similes inter se sint, diuidi uideatur, cũ magna inter affirmationem & negationem differentia sit; neque ut quod ex dissimilibus inter se particulis sit conflatum, quia ita utraque pars nomine totius non appellaretur. utra autem uera sit opinio, & Porphyrij sententiam potiorem esse, nos progredientes, suo loco, ostendemus, cum illarum definitiones, quas eis philosophus tribuit, interpretabimur. nunc illud in primis dicendum est, quod ait ponendum esse, id est, definiendum communiter in his intelligi: deinde est definiendum quid negatio & affirmatio, & enunciatio & oratio sit, quatuor sunt, quæ post nomen & uerbum numerat, quæ sunt definienda: quia ut diximus, ei propositum est, categoricam speciem orationis enúciantis tradere: hæc autem aut aiens est omnino, aut negans. quam ob rem de affirmatione & negatione ei dicendum erat: ut etiam de enunciatione, quæ est commune illarú genus. quoniam uero & enunciatio est una quædam orationis species, eaq; in definitione enunciationis adhibenda est, cum genera omnia suarum specierum definitiones compleant, debeantque ea omnia quæ ad aliquid declarandum sumuntur, notiora esse iis, ad quæ explicanda adhibentur, ideo orationis quoque cognitio, quasi antecedere enunciationem debeat, uisa est necessaria. Si quis quærat hoc loco, quid causæ sit, cur uox, quæ est genus orationis, ob eandem causam non sit habita digna mentione, ut ipsa quoque definiatur: dicemus, ad naturalem pertinere, de uoce differere, cum solius naturæ opus uox sit, ut etiam uidere, & audire. natura enim uocales sumus. at oratio & enunciatio, & eius species ut affirmatio & negatio sunt ipsæ quidem uoces quædam, sed tamen formam a nostra notionę nanciscuntur, & tali uel tali

li modo proferuntur: quapropter quædam eis priuatim, præter naturales, tributa tractatio est, quæ logica nominatur: ut non absolute sic uox orationis genus, ut quidam putauerunt: non enim posset genus esse natura, species uero non esse natura. sed si sit, uocis quæ in oratione est, uocem absolute genus esse dicemus. ad ipsam uero orationem dicemus, uocem loco materiæ sumi: id quod ipse Aristoteles in quinto de ortu animantium, ubi illorum differentias ex uoce contemplatur, explanat: genus tamen eius non est, ut erit etiam ex sequentibus apertius. si quis autem inuestiget, quodnam sit genus orationis, ei quantitatis diuisio in categoriis exposita, ad memoriam reuocanda est. Iā uero attendendum est, in his quatuor enumerandis Aristotelem a deterioribus initiū duxisse, ut ad perfectiora perueniret, & magis particularibus ad magis uniuersalia progrederetur. affirmatio enim est negatione perfectior: siquidē ea essentiam, negatio uero eius priuationem significat. affirmatione uero præstantior enunciatio est, cum eius, ut dixi, sit genus: denique enunciatione oratio: quoniā in quinque orationis partibus una est enuncians. estque ordo, quatenus ad nos pertinet, prædictæ enumerationis, ut a deterioribus ad præstantiora, & a magis particularibus ad magis uniuersalia transire nobis sit insitum: propterea quod nostra ab imperfecto ad perfectum cognitio feratur. in ipsarum tamen doctrina tradenda, pro naturali rerum ordine uelut contrarium iter tenebit: siquidem genera speciebus anteponet, & perfectiora imperfectioribus; ideoque ita eas adnumerauit, utpote qui enumerationis finem, præceptionis initium esse uoluerit.

Quæ autem in uoce sunt, animi affectionum sunt notæ: & scripta eorum, quæ uoce continentur. Atque ut non iisdem literis, sic ne uocibus quidem omnes iisdem utuntur. At uero & sensa animi, quorum primum hæc notæ sunt: & res, quarum sensus animi simulacra sunt, idem apud omnes ualent. Sed de his in libris de Animo diximus; non enim ad institutum sermonem pertinent.

Consequens erat, ut deinceps nominis ac uerbi definitiones afferret, quemadmodum proposuit: sed quia non omnis dictio est nomen, aut uerbum, nam quæ uacat significatione, ut blityri, & scindapsus, horum neutrum est, nomi naque & uerba a uocibus non significantibus differunt eo, quod ea res quasdam significent: ideo prius Aristoteles nos per hæc docet, quænam primo & præcipue ab eis significentur. aitq; has esse notitias: & his interuenientibus, res, neque quicquam aliud medium inter notitias & res, præter hæc, debere excogitari. quod Stoici statuentes, dictile uocandum censuerunt. hæc ergo cum tradentur per ea, quæ nunc dicta sunt, tum uel maxime quibus in rebus, quocunque modo fuerit, ueritatem, falsitatemque perquirere oporteat: de quibus in præsentia nobis est proposita tractatio, utrum in rebus, an in notitiis, an in uocibus, an in duabus harum, an etiam in omnibus inuestiganda sit: siq; in uocibus, in quibusnam ea uocibus uersetur: utrum in nominibus & uerbis: an in orationibus ex iis confectis. definietur autē, nomina ac uerba uoces esse simplices, quæ nec uerū, nec falsum significant, ut etiam in procemio categoriarum dictum est: uerum autem & falsum in oratione enunciante quæ ex illis fit, spectantur. ante autem ipsas uoces, hęc etiā in notitiis considerantur, utpote quæ causæ uocum sint: siquidem harum aliæ simplices sunt, a simplicibus uocibus significatæ, quæ notitiæ nec uerum nec falsum accipiunt: alię compositæ, quæ de rebus sunt compositis, & a uocibus coniunctis declarantur, uerumque ac falsum accipiunt. quas sane neque in rebus ipsis per se, neque etiam in compositis quis esse excogitauerit. ac merito hic Aristoteles prius, quam nomini uerboque definitiones tribuit, de his agit, cum enim de ueritate & falsitate in hoc libro sit proposita tractatio, certe in exordio ea quæ has ambas suscipiant, & quæ neutram admittant, exponere nobis debebat. cumque alterum in compositis uocibus spectari, in simplicibus alterum commonuisset, tum diuidēdę erant simplices uoces, & quæ nec uerum nec falsum capiunt, in nomen & uerbum: compositas uero ex iis, atque omnino aut uerum, aut falsum indicare. quod idem est, ac si dicas, enunciātem orationem in suas species; affirmationem ac negationem distribui. quæ cum ita sint, nos quæ philosophus dixit, explicātes, dicimus ab ipso his uerbis tradi hæc quatuor, res, notitias, præterea uero uoces & literas, ut quę ad hoc institutū utilia sint: in quibus res primas tenent; secundas, notitiæ; tertias, uoces: ultimum locum literæ sortitæ sunt. notitiæ nanque finem habent rerum comprehensionem: ac tūc re uera notitia est, cum rebus ipsis uelut accommodata sit. sunt enim notitiæ rerum imagines animo insitæ: uoces autem notitias enunciant: eamque ob causam a natura nobis datæ, ut inter nos animi nostri notitias & sensa, hoc est sententias explicemus: quo & uersari uicissim cum aliis, & ciuilia munia exercere, cum homo animal sit ad societatem natum, ualeamus. quam ob rem qui iisdem uocibus non utuntur, ij non sunt eiusdem ciuitatis consortes, utpote qui mutuas animi sui sententias non intelligant. literis uero finis propositus est, ut uocum memoriam conseruent. horum quatuor Aristoteles duo esse natura ait, ut res & notitias: duo positione, ut uoces & literas. quæ autem natura & positione sunt, huius regulæ usu discernit. quæ inquit, apud oēs eadem sunt, ea sunt natura: quæ apud omnes idem non ualent, ea nō sunt natura, sed positione. atq; id merito fit. cum enim una sit uniuersi natura, omnia nimirum ubique facit similia, quę eiusdem esse speciei dicuntur: si uero quædam apud alios, atque alios diuersa sint, non erunt ea naturæ opificia. itaque cum res & notitiæ apud omnes idem ualeant, siquidem ubique eadem est hominis species, equi, & leonis, notitia quoque apud omnes eadē est de homine, de lapide, deque aliis singulis rebus: uoces autem & litterę non eędē sunt omnibus, cum aliis uocibus Græci, aliis Phœnices, aliis Aegyptij utantur. Namque alij lingua est alia, inquit poeta: itemque aliis atque aliis literis scribunt suas uoces homines, ideo res & notitias natura esse, uoces uero & literas non natura, sed positione esse confirmat. planum etiam est, in literis clarius, quam in uocibus, uideri eas esse positione: quocirca, ut de eis mentio fieret, omnino meruerunt. quasi affinitatem quandam cum uocibus habeāt, quod non solum ad earum memoriam conducant, sed etiam quod hoc euidens in eis sit, eas esse positione: ac nos illarū ope uoces quoque esse positione apertius ostendere queamus: quod sane non ita planum est, ut literas positione constare. De uocibus autem, utrum natura, an positione essent, quærendum esse ueteres censuerunt. erat autem hic distinguendum, uter horum modorum existendi eis conueniat: usque erat ad nominis, & uerbi, & orationis quæ ex iis iungitur, definitiones adhibendus. de literis uero nulla inter eos fuit quæstio. nam literas nulli nobis ad hoc institutum usui fore, ipse deinceps declarabit, cum literis omissis, solas res, notitiasque & uoces, easque tum simplices, tum compositas considerabit. ex his igitur, notitias uocat simulacra rerum: uoces uero non putat simulacra notitiarum esse nominandas, sed notas, & signa: ac literas etiam uocū notas. differt autem simulacrum a nota eo, quod simulacrum uult rei naturam, quoad eius fieri potest, sub oculos subiicere, nec est in nostra potestate, ut ipsum transformemus: siquidem simulacrum Socratis imagine expressum nisi caluum, simum sit, oculosque prominentes, ut Socrati erant, habeat, non dicetur Socratis simulacrum: at nota, seu signum, (idem enim utroque nomine appellat philosophus) totum est in nostra potestate: quippe quod totum ex nostra cogitatione consistat: ut pugnæ ineundæ signum esse potest aut tubæ sonitus, aut facis iactus, ut est apud Euripidem,

" Emissa postquam fax, cruenti prælij
" Signum, tubę sonus uelut Tyrrhenicæ.

Potest etiam signum quispiam statuere, cum hasta efferatur, cum telum in hostes torqueatur, aliaq; sexcenta. cum igitur eadem uoces alijs atque alijs scribi literis possint, ut propriæ cuiusq; nationis formæ scribendi declarant: eademq; animi sensa alijs, atque alijs uocibus declarari, ut multitudo linguarum indicat, & in eadem lingua nominum commutatio: nam Aristoclem ueteribus placuit Platonem, & Tyrtamum, Theophrastum appellari: ut autem unam & eandē

rem alijs atque alijs notitijs intelligamus, fieri nullo pacto potest: sed notitias singulas esse imagines eius rei, cuius notitiæ sint, necesse est in animo uelut in tabula depictas; si nihil aliud est intelligere, quam rei formam suscepisse, quam noscimus, aut exprompam nobis reddidisse: idcirco notitias appellat rerum simulacra, nomina uero & uerba notitiarum: literas nominum atq; nerborum notas ac signa. ea his auté quatuor, rebus, notitijs, uocibus, ac literis, omissis literis, ut pote quæ ad proximam rerum explanationem, necessariæ non sint, uult primo ac præcipue res cōsiderare, tum notitias, quibus res cognoscimus. agit quoque de vocibus, sine quibus nec doctrina, nec disciplina ulla tradi potest. hac igitur de causa literis prçteritis sumit res, notitias, & uoces. hasq; omnes uel simplices, nel compositas considerari dicit. ut res simplea est, Socrates: res composita, Socrates currens. etenim hic substantia Socratis actionem currendi capit. simili quoq; modo composita notitia est, de Socrate currente. est etiam uoa cōposita, qua dicitur, Socrates currit: cum compositæ & notitiæ & uoces ex simplicium concursu conficiantur. veritas igitur, inquit, & falsitas in nullo simplici spectatur, sed in solis notitijs, uocibusq; compositis consistit. in rebus uero, ne compositis quidem, uerum, quale nunc inuestigamus, aut falsum uersari potest: propterea quod hoc uerum & falsum, quod hoc sermone perquirimus, in quadam relatione notitiarum, aut uocum ad res, perficitur. cum enim notitia rebus ferme conueniat, aut uoces rerum essentiæ respondeant, tum & in notitia & in uocibus uerum uersari dicimus: cum uero non ita se habeat, falsum: ut cum Socrates ambulat, si nos animo concipiamus, aut dicamus, eum ambulare, tum & animi sensus, & enunciatio uera erit: si uero ambulantem nō ambulare aut existimemus, aut dicamus, falsum proferetur necessario: res uero ipsæ per se, nec ueræ, nec falsæ dicerentur, quatenus ad eam ueritatem pertinet, quæ in cognitionibus spectatur. uere enim dicere solemus, Socratem esse hominé, falso autem, Socratis statuam. qua in re nihil aliud indicamus, quam hominis rationem uere de Socratis notione prædicari, de statua autem, non item. prçdicari autem, & subijci ad prçdicandum, rebus nullo pacto conueniunt: at notitijs, primo & sine medio. tum per has, uocibus. quare & in harum ueritatem & falsitatem eadem conueniet oratio. uerum alio modo in rebus ipsis per se, & in uoluptatibus uerum falsumq; esse dicemus. neque enim simili modo formæ omnes a materia separabiles entia sunt, ut de eis postea dicetur, cum actiones sint sine potentia: & eæ, quæ materiam ad sui essentiam requirunt: & hæc informis omnino, fæa merito uocata, rerū materies: & quæ in speculis reprçsentantur imagines: sed partim uere, partim non uere, partim falso sunt entia. nō enim pari modo uera est ea uoluptas quæ ea intelligentiæ actionibus, quæq; ex intemperantia, & falsis uisis cōsequitur. sed hæc non sunt huius instituti propria. cum de sola ueritate, quę in loquendi affectionibus spectatur, hic uerba fiant. hęc ergo habuimus, quæ de tota horum uerborū sententia scriberemus. nunc uero rem a capite arcessam, & in ea incumbens, quæ perpendenda sunt, admoneo neque a rebus, neq; a literis initium docendi ab Aristotele sumptum esse: sed a uocibus, quasi ei esset hoc loco propositū, categoricas enunciantis orationis uoces considerare: deinde non dictum ab eo esse, uoces esse earum affectionū quę in animo sunt, id est notitiarum notas, sed quæ in uoce sunt: ut continuatam nominum, uerborumq; totam doctrinā eaponeret. cum enim principio dixisset, constituendū esse, quid nomen, quid uerbum sit, oratio auté ex ijs iuncta triplea sit uel in anima, quæ in simplicibus notitijs est, & eo sermone quem intus in animo cōceptū uocant, uel in eo quod pronuncietur: uel quod scribatur, cum eorum etiam quæ scripta sunt hoc uerbum, illud nomen, aliam orationé esse affirmemus: cum inquam, ut diximus, tribus modis nomina & uerba, quæ dixit oportere definiri, dicantur, uel intelligendo, uel proferendo, uel scribendo, ideo ita dixit quæ sunt in uoce, notas esse notitiarū animi, quasi ipsius affectiones uocat ea de causa, quam prius exposuimus. addit etiam scripta esse eorum, quæ in uoce sunt, signa. Igitur uel huius rei causa dixit, quæ in uoce sunt; uel potius ut indicaret, aliud esse si dicas nomen & uerbum, aliud si uocem: & esse notam, & esse positione, nō uoci absolute conuenire, sed nomini & uerbo: cum uocem edere sit nobis non secus, quam uidere, atque audire, a natura tributum: nomina autem & uerba ortum a nostra cogitatione trahunt, ac uoce pro materia utuntur. ut enim ianua lignum esse, & nummus æs, uel aurum dicuntur, itaque appellantur, quasi ortum referant acceptum his naturalibus rebus, cum ipsa essentiam a characteribus & formis eis tributis nanciseantur: ut cum ligna hoc uel illo modo iunguntur, factam esse ianuam dicimus, aut sellam; aliter uero, nullo modo: cumq; aurum tali forma signetur, nummum factū esse perhibemus: eodem modo hic non simpliciter uoces sunt nomina & uerba, sed ita uel ita conformatæ & confictæ a phantasia loquendi: & signa reputatæ eorum, quæ animo concipiuntur. Potest auté, id quod dicimus, plane cernere quispiam in ijs, qui muti nati sunt, uoces a natura esse, nomina uero & uerba ex instituto. illi enim noces quasdam indistinctas emittere cernuntur, nec tamen nominibus, aut uerbis utuntur. hæc autem exponens quidam, merito dixit, quę in uoce sunt, hoc est nomina & uerba, quæ sunt uoces, non absolute quidem, sed cum ita uel ita se habent, & cōformantur, & in eo quod notitias indicant, positione sunt: quare signa earum affectionnm dicentur, quæ animo continentur. Sed cur deinceps nō dixit elemēta, aut literas signa esse eorum, quæ in uoce sunt, sed quæ scribuntur? dicimus, cum nomina & uerba tribus modis efferantur, intellecta, pronunciata, scripta, quæ pronunciantur signa esse eorum, quæ intelligimus, statuuntur: quæ scribuntur, eorum, quę proferre solemus. atq; ita intelligendum est, si quis ad nomina & uerba sententiam traducat: si uero ad omnem absolute dictionem pertinere eam uelit, dicendum erit nomine literarum & elementorum significari cuiusq; elementi formā scriptā, & item pronunciationem, qua singula elemēta proferimus: & utrunq; nomen in utranq; harum duarum significationū dici: sed nomen literæ præcipue significare characteré, qui per auctioné, ductumq; perficitur: elementi uero, pronunciationem, quod habeat στοῖχον id est constitutionem, atque ordinem quendam, ut ait Dionysius. sed pronunciatio non signū nominis, sed pars diceretur: character uero quia aliter atque aliter in ipsa pronunciatione intelligitur, merito signum esse dici posset. his de causis nō dixit elementa, nec literas, quia utrunq; hoc nomen etiam de pronunciatione dicitur: magis uero proprie, elementū: communius uero, litera: sed dixit, quæ scribuntur, ut apertius indicaret, se formas literarum significare. deinceps uero causam affert, quare uoces notitiarum signa dixerit, & scripta uocum: & positione esse utrunq;, & scripta & uoces. quod expressit, cum dixit hæc apud omnes non idem ualere. [Atq; ut nō ijsdem inquit, literis, sic ne uocibus quidé iisdem omnes utuntur.] simul etiam ostendit, se quoque propter usum uocum literarum fecisse mentionem: ut pote quę apertius esse positione uideantur: nobisq; sit perspicuum, quomodo uoces ea similitudine, quam cum literis habent, dicantur esse notitiarum signa, ut literæ uocum. ad notitias uero addit res, quia ambæ sunt natura eo quod apud omnes eædem sint. ait enim, quorum primo hæc signa sunt, id est quę sunt in uoce, hoc est nomina & uerba: quorum ergo hæc primo notæ sunt, hoc est, notitiarum: quia ab illis etiam res significantur, sed non primo, uerum per notitias interuenientes. at notitiæ nullo alio medio significantur, sed primo & præcipue. quorū ergo primo signa sunt ea, quæ in uoce sunt, id est significant, ut signa, hæc notitiæ sunt, quę animi sensa & affectiones sunt, & apud omnes eadem sunt: ideo ait, quorum primo hæc signa sunt, idem apud omnes ualent: uerbū illud ταυτά cum acuto in ultima scribendū est, ut significet sensa animi apud omnes esse eadem. [quarū inquit, sensa animi simulacra sunt.] rerum inquam simulacra sunt sensa animæ, quæ res eædem apud omnes sunt. quocirca hic quoque nomen ταυτά est etiam cum acuto legendū, ut indicet res esse easdem, & non cum circunflexo ταῦτα, ut hæc significet, ut Herminus existimauit: quo perfecta Aristotelis doctrina uideatur, ea eo quod literæ & uoces apud omnes non sunt eædem, eas positione esse: notitias uero & res, quia eædem sint apud omnes, ideo natura constare, Nunc uero, quoniā hęc sunt quodam

dam modo distincta, atq; explicata, est addendum in gratiã eorum, qui animum ad eorum quæ sunt, contemplationem uolunt traducere, & abstractas eorum, de quibus hic uerba fiunt, causas spectare, cum tres sint principes gradus supra naturales substantias, diuinus, intelligibilis, & præter hos, qui animi est, nostram sententiã esse, res diuinitus produci, notitias ab intelligentijs exoriri; uoces denique ab animo, in quo mens & ratio elucet, quiq; naturã suam ab omni corpore usum separabilem habet, perfici. nunc enim non de quacunq; uoce sermo nobis institutus est, sed de ea, quæ res per notitias indicat, idque quodam instituto & conuenientia, quæq; significari etiam literis possit: quod perinde est, ac si dicas, dearticulata, & humana, quam loquelam uocant: quam recte medici ab ea, quæ simpliciter uox dicitur, quibusdã instrumentis distinguunt, cum alia esse uocalia instrumenta dicant, ut pulmonem, & asperam arteriam: quorum alle materiem uocis suppeditat. hæc uero uelut ad eam aut grauem, aut acutam, aut alio simili modo effingendã cõfert: alia uero esse utilia ad elocutionem, ut linguam, ut palatum, ut labia, ut dentes. quæ cum arbitrio animi rationis participis deseruiant, uocẽ ab animantibus simpliciter aut grauem aut acutam prodeuntem, tanquam materiem quandam in literas, syllabasq; denique in elocutionem conformant: ad quam elocutionẽ refertur etiam enunciantis orationis species, quam hoc sermone inuestigamus. Vocum autem non articulatarum quales sunt brutorum, si quis causam quærat, profecto nihil ad hæc, quæ nobis proposita sunt, necessarium inuestigabit: at nos proximam earum causam esse plane dicemus eorum animas rationis expertes, quarum beneficio essentiam sunt cõsecuta. illæ enim sensus & uisa, quæ occurrunt, consequentes, bruta hac ui prædita ad mittendam uocem, pro cuiusq; natura parant, & ut motibus omnibus ad quos natura sunt facta, pro affectionibus, quæ in ipsis perpetuo insunt, impellantur. sed existimare has etiam significari literis posse, ut iam quidam grammatici putauerunt, ridiculum est. nam & comœdi ranas imitantur, cum illarum uocẽ brece ce cex, coax coax proferunt: & sues, cum dicunt coi, coi; & aues alijs atque alijs uocibus literatis pronunciandis, sed tamen has esse illorum brutorum uoces non existimandum est: alioqui maris etiam fremitum, & rotarum, & multarum aliarum rerum inanimatarũ sonos esse articulatos fatebimur: quod hos omnes comœdi imitari posse uideantur. quod si causa quoque in elementis spectanda est, quæ his proportione respondeat, quæq; sit uelut effectrix, profecto nullam aliam præter animi partem, qui ui partiendi præditus est, cuius cogitatio his ortum tribuit, afferemus. nihil autem uetat, quin naturalem effectionem horũ exemplum esse dicamus, quæ singulis rebus, quas perficit, moles atque interualla præbet: quo modo literæ quoque uoces superarunt. De his autem ait in libro de animo dictũ esse, ubi habet hæc fere uerba, Primæ autem notitiæ quid intererit, quo minus phantasmata sint. an neque a'iæ sunt phantasmata, sed non sine phantasmatibus. & item, ubi intellectum patientem, phantasiam nominari censuit.

Vt autem in animo interdum veri & falsi notitia expers est, interdum necesse est alterutrum inesse: sic in oratione. Verum enim & falsum in coniunctione & disiunctione rerum omne consistit. Quocirca perceptioni animi ei quæ a vero & falso abest, nomina & verba respondent. vt homo, vt id quod album est, cum nihil additur præterea. neque enim verum quicquam falsumne enunciatur. Idque hinc intelligi potest, quòd Tragelaphi verbum aliquid illud quidem significat, sed nondum quicquam vere aut falso dicitur, nisi aut esse aut non esse omnino adiungatur, aut ad tempus accommodetur.

Quam utilitatem ad hoc institutum afferant quæ ante dicta sunt, his uerbis philosophus explanat. ait enim uerum & falsum in notitia, atq; uoce spectari: non tamen simplici, sed coniuncta. simul etiam proportionẽ uocum ad notitias nos docet: cum ait nomina & uerba simplicibus notitijs respondere, & ab his utrisq; uerum & falsum abesse: coniunctionem uero aut disiunctionem accipientibus notitijs respondere eam orationem, quæ ex nominibus & uerbis uel coniunctis uel disiunctis conflata est. quorum utriq; inesse alterutrum aut uerum, aut falsum oportet. simplices uero animi perceptiones, aut notitias nec uerum nec falsum accipere, est inductione perspicuum. qui enim per se ipse Socratis notitiam tractat, is nec uerum, nec falsum quicquam animo percipit, nisi ei addat aut ire, aut legere, aut esse. tũc enim si rem ita esse contigerit, ut mens existimat, uera erit animi perceptio: si uero res aliter affecta sit, & contrarium mens reputet, cumq; non ambulet Socrates, nos eum ambulare cogitemus, necesse est falsum id esse. eadem uocis est ratio. qui enim millies Socratis nomen pronunciarit, nihil ueri, aut falsi dixerit: neq; etiam qui uerbum ambulare per se dicat: qui uero iungat utrunq;, dicatq;, Socrates ambulat, is uerum aut falsum dixit: quiq; uerbum ambulat a Socrate aufert, quam ablationẽ ipse disiunctionẽ uocat, tanquã a subiecto prædicatum disiungat negante particula, quæ in oratione usum cuiusdam diuidentis instrumenti præstat, & ait, Socrates non ambulat, is etiam orationem protulit, quæ uerum etiam, falsumq; capere potest. quæ causa fuit, ut Aristoteles in coniunctione & disiunctione uerũ & falsum uersari dixerit. appellauit autem affirmationem nomine coniunctionis: negationem uero disiunctionis, siue ea in animi cogitatione, siue in oratione, quæ effertur, intelligatur. ueritas ergo & falsitas omnino in cõiunctione, disiunctioneq; uersatur: non omnis tamen coniunctio, atque disiunctio uerum aut falsum capere potest. nam qui precatur, aut alio gẽnere orationis, preter quam enunciate, utitur, nomina uerbaq; coniungit, nihil tamen ueri, aut falsi enunciat. sed coniunctio & disiunctio substantiua esse debet, id est, declarare aliud alij inesse: aut non inesse, quod in solam enunciantem orationem cadit. at neque etiam in ipsa oratione enunciante quæuis nominum uerborumq; coniunctio perfectam orationem, hoc est ueram, aut falsam reddet: nam casus nominis uerbo est innexi neque uerum, neque falsum significant. sed ipsius uerbi est coniunctio cum nominibus, quæ in recto sint casu, uel in obliquis, cum ea prædicato adiuncta sunt, ad perfectam orationem faciendã sufficiunt: ut cum dicimus, Socratis liber est. ac uerum quidem & falsum in sola enunciante oratione spectari, & item in eius partibus ut in affirmatione ac negatione, de quibus est hæc instituta tractatio, planum est. quocirca uerum sensum attingit uel maxime Aphrodisiei expositio, qua dicitur, propositã tractationem de rebus, de notitia, & de uocibus huc pertinere. ac de iis quidem hactenus. Est etiam animaduertendum, non omnẽ ueritatem in cõiunctione, ac distinctione a philosopho constitui. nam quænam erit apud Platonem in rebus intelligibilibus coniunctio atque disiunctio? & apud ipsum etiam Aristotelem ueritas ea dicitur quæ in essentia simplicissimorum re uera entium consideratur: uel quæ in intelligibili ipsorum comprehensione consistit, & ab omni falsi oppositione secreta est atque libera: de qua ipse quoque in theologicis libris, qui de prima philosophia sunt, & in tertio de anima libro disseruit. Sed quæ in motibus pronunciandi subest, ea ex omnibus iis, quę pronunciantur ostensa est in sola enunciante oratione posse consistere. hoc igitur attendendum est, tum uero etiam, cum nomina ipsa hoc est per se & uerba simplicibus animi conceptionibus respondere dixerit, uelletque horum exemplum afferre, dixisse, [ut homo, & id quod album est, cum nihil additur præterea:] ut homo pro nomine, & album pro uerbo posuerit: quanquam album nihilo minus, quam homo, esse nomen uideatur: quasi non ex ea definitione, quæ de uerbis efferri consueuit, album ad uerba adnumerasse eum putes, sed quod uocem omnem, quæ in propositione prædicatum facit, uerbum appellandum censeat. qua de re clarius dicemus, cum uerbi definitionem exponemus. Si quis uero quærat, cur nullum uerbum, nullumque nomen ueritatem falsitatemq; capere dicat Aristoteles, cum planissime constet, primas personas uerborum omnium, ut grammatici uocant, ueritatem, aut falsitatem declarare, ut cum dico, deambulo: & secundas, ut deambulas: & tertias, quæ de aliquo definito dicuntur, ut pluit, tonat, fulminat: dicendum erit, uerba,

quæ uerum, aut falsum significant, non esse uerba per se, sed esse huiusmodi: uerborum cũ nominibus personarum, de quibus dicuntur, complexum: licet enim actu non dicantur, tamen subaudiuntur, ut in prima persona, ego: in secunda, tu: in tertia, si de re aliqua finita dicantur, illa definita intelligitur, de qua uerba fiunt, ut in uerbis pluit, & tonat, Iupiter. quocirca hic quoque integra est ex uerbo, & nomine, quod subauditur, oratio: quæ uerum & falsum capit, ut ego ambulo, tu ambulas, Iupiter pluit. itaque quæcunque tertia persona in nullo definito certoque dicitur, nihil ueri, aut falsi indicat, ut ambulat. cum enim non sit clarum, de quo ambulat dicatur, certe nec ueri, nec falsi quicquam significabitur. sed hæc perspicua sunt. quod uero ait, [cum nihil additur præterea,] significat, si uerum aut falsum quid esse debeat, addendum esse uel uerbum nomini, uel nomen uerbo. non quamlibet autem additionem nominibus aut uerbis factam reddere enunciantem orationem, declarauit, cum hircocerui nomen adiunxit: in quo, nomini cerui, hircus additus est, quamuis non integrum sit adiunctũ nomen: nihil tamen uerum aut falsum ex eo consequitur. hocq; argumento, a maiore ducto, ostendi potest, nullum nomen simplex aut uerum, aut falsum significare: quia in nominibus si quæ uerisimilius est, uerum & falsum continere, non continent, huiusmodiq; sunt iuncta nomina, ut hircoceruus, quæ in eo quod sint composita, consimilia sunt orationibus id sine dubio capientibus: profecto nõ est, cur uelimus simplicia nomina, quæ magis quam cõposita ab enunciante oratione distant, uerum falsumq; significare. huic ergo nomini hircocerui aliquam animi conceptionẽ soli cogitationi insitam significanti, additum uerbum nõ esse, ueram orationem conficiet: uerbum uero esse, falsam: cum prius, quam ei aliquid adderetur, neutrum horũ indicaret. Quod ait [, omnino adiungatur, aut ad tempus accommodetur,] quid sibi uult? dico igitur, cum ait omnino, significat indefinite. ut si dicas omnino, fuit hircoceruus, aut hircoceruus est, aut hircoceruus erit. ad tempus uero accõmodari significat, addi tempus oportere, quo fuit, uel erit, ut heri fuit hircoceruus, aut anno superiore, uel erit cras, aut anno futuro. omnino ergo & pro tempore hęc significãt. Est præterea attẽdendum, cum dixerit nomina ipsa & uerba similia esse ei animi conceptioni quæ sine coniunctione aut disiunctione est, nihil eum postea subiunxisse de orationibus, quæ ex nominibus & uerbis constantur, eas respondere iis conceptionibus quæ coniunctæ sint, aut disiunctæ, quod sane consequens esse uidebatur. Verum ne id quidem omnino silentio transiuit, sed indicauit, cum dixit, cum nihil additur præterea. hoc enim suapte ui indicat, cum nomina & uerba inter se iunguntur, non iam simplicibus animi conceptionibus respondere, sed cõpositis ex simplicibus, aut disiunctis. Quoniam igitur hæc ita a uobis exposita sunt, ut nihil sit omissum, iam tempus est, ut ad tractationem nominis, uerbique & aliorum, quæ se nobis in exordio explicaturum Aristoteles pollicitus est, transeamus.

DE NOMINE.

NOmen igitur uox est ex instituto significans, omnis expers temporis, cuius pars nulla quicquam declarat separatim.

Nomen esse uerbo merito antepositum in utroque exponendo, planum est: propterea quod nomina rerum essentias, uerba uero actiones aut affectiones significant. essentiæ uero & actionibus, & affectionibus antecedunt. cæterũ in definitione, quæ nomini attributa est, uox, quæ materiæ rationem habet, & in nomine, & in uerbo, & item in oratione, quæ ex eis conficitur, ut genus sumitur eius uocis, qua nomen exprimitur ad eorum differentiam, qui simpliciter soni uocantur, qui sæpenumero a corporibus inanimatis eduntur. Differt autem a uoce sonus, ut genus a specie: estque sonus, ictus aeris qui auditu sentitur: uox autem est sonus, quem animans edit, cum per thoracis cõpressionem aer attractus a pulmone elisus simul totus in arteriam, quam asperam uocant, & palatum, aut gurgulionem impingit, & ex ictu sonum quendam sensibilem pro animi quodam impetu perficit. id quod in instrumentis quę quia inflantur, ideo ἐμπνευστά a musicis dicuntur, usu uenit, ut in tibiis, ac fistulis contingit. cum lingua, dentes, labiaq; ad loquelam necessaria sint: ad uocem uero simplicem non omnino cõferant. quod uero ait, significans, & cætera quę sequuntur, pro differentia inter nomen, & alias uoces sumpta sunt. ergo verbum significans, nomen a uocibus non significantibus, aut blityri, coaxque discernit. si enim nomen est alicuius nominati nomen, certe constat, uoces nõ significantes, cum non sit res quæ nominatur, nomina non esse. Quod uero addit, ex instituto, nomen ab iis uocibus separat, quæ per naturam significant, quales sunt animalium rationis expertium uoces. cum enim peregrinus adueniat, canis latrans eius aduentum indicat. non tamen ex instituto, aut cõuenientia quadam mutua canes talem uocem mittunt. sed & in hominibus hasce uoces cernere quispiam posset: quas in uehementibus perturbationibus constituti mittunt, ut sunt gemitus, & cachinni, & ut in iis, qui muti nati sunt, uel in pueris, qui adhuc non distinctè pronunciãt ante, quam loquendi facultatem nanciscantur: quibus brutorum uoces respondent, quæ magno interdum ab eis tumultu, interdum uero placide, & cum tranquilla affectione quadam prodeunt. ab iis ergo uocibus distinguit nomen id quod additum est, ex instituto: quod idem significat, quod impositione. conuenit enim inter Græcos, ut iis nominibus res appellarent, inter Indos uero, ut aliis, & aliis inter Aegyptios. atque iidem etiam modo his, modo illis nominibus res uocant: hæc nostras animi conceptiones significant. at gemitus, & cachinni, & puerorum, brutorumque uoces, conceptiones animi non significant, sed perturbationes quasdam animi, & affectiones declarant. Cum enim simpliciter uox in duas partes diuidatur, tum in significantem, & non in significantem, tum in literatam, atque illiteratam, quarum unam articulatam, unam inarticulatam uocant: propterea quod artubus unius animalis, qui diuidi a sese queant, similes sint syllabæ, quæ elocutionem perficiunt, cum actu inter se disiunctæ sint, ut sunt etiam elementa, quorum talis quædam comprehensio syllabas constituit, ut etiam in naturalibus elementis spectatur: quorum certa quædam concretio singulos artus facit: efficitur, ut quatuor copulationes simplicium coniugationum existant: ad quarum unam referantur nomen, uerbum, & orationes, quæ ex iis constant: erit enim una, uox significans & literata, ut homo: altera significans, & illiterata, ut latratus canis; alia non significans & literata, ut blityri: quarta non significans & illiterata, ut sibilus, qui temere, & ut nihil significet, emittatur, aut imitatio uocis alicuius bruti, quæ non imitandi gratia emissa sit. id enim significat, sed temere, & sine proposito. cum igitur nomen uox significans & literata sit, differt ab iis, quæ nihil significant, siue eæ scribi possint, siue non possint, quia ipsum significans est; a significantibus uero, sed illiteratis, quales sunt, quæ natura constare dictę sunt, differt, quod nomen scribi queat: quod Aristoteles ex instituto iure nominauit: quia institutum, quod de uocibus est, solum hominum est munus. nihil enim eorum quæ supra hominem sunt, & eorum quæ infra, natura aptum est, ut instituto utatur. illa enim pacto non indigent, hæc uero nõ possunt inter se conuenire, & pacisci, institutum ergo solũ humanum munus est. cumque non omnium uocum facere mentionem possent, quilibet literas inuenerunt, quibus suas uoces perscriberẽt. quocirca quæ ex instituto sunt, rerumque proprietates declarant, de quo philosophi agunt, consequitur literatum, idque uicissim retro cõmeat. nullum enim aliud est literarum munus, quam ut sint humanarum uocum notæ: quas ex instituto esse docuimus. quam ob rem ipse deinceps brutorũ uoces sonos illiteratos nuncupat, quas ex instituto non esse comprobauimus. sed quoniam hæc omnia communia sunt nomini & uerbo, quod ipsum quoque uox est ex instituto significans, ideo addit, sine tempore, ut ipsum a uerbo distingueret. uerum quod ait, [sine tempore,] nõ id significat, quod nullo unquã modo tempus significet: sed quod non adsignificet tempus. Ac recte quidem philosophus Porphyrius adnotauit, nomina quidem esse hodiernum, hesternum, annale, quæ tempus indi-

indicant, sed ut per se tempus quoddam significent, non asit adsignificent, ut uerba. nam uerbum quodque primo actionem aut affectionem quandam significat: secundo uero loco tempus, quo agere aut pati contingit: ut deambulo, primū indicat talem quempiam corporis motum: secundo uero, tempus præsens. ideo cum de uerbis loquetur, uerba tēpus adsignificare dicet: quasi præter id, quod præcipue significant, temporis quoque significationem, 'ut consequentem habeant. hesternum uero non adsignificat tempus, sed significat, tanquam nomen huic parti temporis impositum: uel potius ei rei, quę in hac temporis parte facta sit. ipsum enim tempus, ut proxime transactum diem per aduerbium heri indicamus. cumque tempus ipsum per se declaret oratio, solemus etiam id oratione significare, cum dicimus diem proxime transactum: aduerbium autem actionum, aut affectionum, quæ eo tempore fiunt, additionem sibi lege aduerbiorum deposcat. differunt uero etiam hæc nomina à uerbis, quod nullam actionem, aut affectionem indicent, ut uerba faciunt: & quod magis quam illa, tempora, in quibus res geruntur, circunscribant. Quod uero ait, [Cuius pars nulla quicquam declarat separatim,] nomen separat ab iis uocibus, quæ ex pluribus nominibus coniunctis cōstant: ut cum dico animal particeps rationis mortale. huic enim orationi, quæ ad enunciantem orationem imperfecta est, cætera conuenient omnia. at nomina ab eiusmodi orationibus differunt, quod harum partes separatæ, & per se dictæ, ut animal, ut particeps rationis, ut mortale, significāt: at nominum partes nullo modo significant, ut ho syllaba in nomine hominis: sed aliis nominis partibus adiuncta consignificare, non autem significare, dicetur.

Nam in Callippi uerbo, ἵππος, id est equus nihil per se significat, ut in hac oratione, pulcher equus. Sed non est in simplicium iunctorumque nominum eadem ratio, propterea quod in illis pars nullo modo significat, in his pars uult illa quidem se significare, sed tamen separatim nihil declarat omnino: uelut in hoc uerbo epactrocelox, celox nihil per se significat.

Quæ usum afferāt differētiæ in definitione nominis sumptæ declarat his uerbis, sumitque initium docendi ab ea, quæ ultimo loco dicta est. primum enim explicatur, quare dictum sit, nullam nominis partem separatam significare: ait autem id esse additum, ut nomen ab iis distingueretur, quæ ex nominibus iuncta sunt. in nomine enim hoc Callippus, id est pulcher equus, equus nullo modo tale animal significat. & tamen in oratione pulcher equus, illud indicat. neque in hoc nomine epactrocelox, quæ nauis piratica est, celox id significat, neque etiam in aliis consimilibus. significant enim hæc omnia simplices animi perceptiones: quamuis in dictione quandam habere compositionem uideantur: ut etiam orationes coniunctas conceptiones indicāt, ut ex iis patet, quæ ante de eis attulimus. in nomine igitur Callippi, si simplicem animi conceptionem hominis, cui hoc impositum nomen sit, declarat, patet ἵππος, id est equi nomen, cum ut pars illius capitur, non habere eandem uim, quam habent cum per se dicūtur pulcher equus. nam equus per se dictus, tale quoddam animal significat, quando uero ut pars Callippi sumitur, si auellatur à suo toto, mortuum quiddam fit in significando, nihil omnino differens a syllabis nihil significantibus, quæ simplicium nominum sunt partes, ut in nominibus Platonis, atque Dionis apparet. nisi quod simplicium nominum partes opinionem non faciunt, quod per se significent: iunctorum uero, speciem quandam afferunt significationis: quod Aristoteles nelle appellauit: quod tamen re uera facere non possunt. hac ergo regula sępe nomina ab iis orationibus distinguemus, quæ tot syllabis, quot nomina, proferuntur, ut in his, Neapolis, & Heliopolis, ubi enim νέα, id est noua, & πόλις, id est ciuitas, uel ἡλίου, id est Solis, & πόλις ciuitas, ut significantes sumantur, erit oratio quæ uel conditam nuper ciuitatem, uel Soli sacratam significabit, cum utraque pars notionem quādam propriam declaret. cum uero neutra ipsarum per se significet, proprium erit ciuitatis nomen, in quo una sola conceptio a toto significabitur, ideoque neutra pars nihil quicquā significare possit. Atque hæc sunt, quæ addidit Aristoteles, ut ultimam nominis differentiam exponeret. Cumque cōsequens esset, ut differentiam, quam ante hanc locarat, deinceps explicaret, quare inquam temporis expers nomen dixerit, tamen id tanquam minus accommodatum hoc loco præteriit. & in uerbi tractationem transtulit: ut ea de re post ea dissérat, cum uerbum adsignificare tempus declarabit. quod autem ante hæc uerba collocarat, exponens, hoc est, ex instituto, sic progreditur.

Ex instituto autem dixi, quod nullum nomen natura constat, sed cum quasi nota quædam accesserit. Nam soni si qui nullis literis exprimuntur, quales sunt beluarum, aliquid illi quidem significant, attamen nullus eorum ad nomen pertinet.

Quærendum est hoc loco, quomodo in Cratylo contra Hermogenem qui nomina positione esse dicebat, sit disputans Socrates, probetque ea natura constare: hoc uero loco nullum nomen esse natura, his uerbis Aristoteles confirmet. explicanda quæstio est, ut dicamus, constare natura duobus modis intelligi ab iis, qui nomina esse natura uolunt: & item esse positione dupliciter dici apud eos, quibus eadem esse positione probatur. Qui ergo nomina naturā constare uoluerunt, ita naturæ nomen accipiunt, ut nomina esse naturæ opificia putent, ut Cratylus, & Heraclitus censent: cum peculiare quoddam singulis rebus nomen a natura tributum uelint: sicut etiam aliis sensilibus aliū esse assignatum sensum cernimus: nomina autē similia esse naturalibus, non artificiosis aspectabilium rerum imaginibus, ut umbris, & iis, quæ in aquis, aut speculis cerni consueuerunt: neque uera nominare eos, qui tale nomen dicant, qui uero id non faciant, eos non nominare, sed sonum solum edere: idque esse artificis atque intelligentis munus, inuenire proprium nomen, quod a natura cuique rei sit tributum: ut etiam officium est eius, in quo sit oculorum sensus acerrimus, proprias rerum singularum imagines diligēter, accurateque dignoscere. Alij uero sic ea constare natura dixerunt, quasi rerum, quæ ab eis nominantur, naturæ conueniant: ut, uerbi gratia, qui principis prudentia sit præditus, ei natura nomen sit Archidamus, aut Archisilaus, aut Agesilaus, aut Regulus, & quæ sunt huius generis. fatui uero, nō sint hæc nomina. quique felici fortuna vtatur, is Fortunatus, & Felix, & Prosper appelletur. at non ille, qui aduersa fortuna conflictetur. atque hi non dicunt naturalibus imaginibus similia esse nomina, sed iis, quæ a pictoribus exprimuntur: qui pro uarietate exemplorum uaria quoque simulacra conficiunt, formamque cuiusque exprimere summa ope nituntur. inde fit, ut sæpe nos nomina resoluentes, demus operam, ut earum rerum, quæ ab illis nominantur, naturas indagemus: quibus cognitis, nomina quoque rebus imposita cum ipsis naturis conuenire conamur ostendere. Qui uero positione nomina esse statuunt, alij sic nomen positionis accipiunt, ut cuiuis homini liceat quamcunque rem quocunque uelit nomine appellare: id quod Hermogeni placuit. aliorum hęc sententia non est, sed nomina adhiberi solum ab eo, qui nominum auctor sit, quem peritum naturæ rerum esse uolunt: qui nomen cuiusque rei naturæ proprium enunciet: aut eum qui perito ministret, quique ab illo doceatur cuiusque rei essentiam, & cui ab illo imperetur, ut decens accommodatum, & proprium nomen excogitet, & rebus imponat. hoc uero sensu nomina esse positione existimant, quia nō natura constent, sed animi pars in qua ratio est, ea sua indagatione procrearit, tum rei naturam intuens, tum ad maris, & fœminæ proportionem, qui in mortalibus potissimum animantibus natura cerni solent. Neque enim inconsiderate ueteres Græci, qui nomina rebus imposuerunt, fluuios masculino genere, & maria, lacus, & paludes in fœminino dixerunt: sed quasi illa sint fluuiorum receptacula fœminino genere uocanda censuerunt: sicut etiam fontes, qui tanquam matres fluminum habentur: fluuios autem tanquam in illa irrumpentes proprie maribus proportione respondere putauerunt. idem in cæteris rebus omnibus seruarūt, sibi uel cla-

rius, vel obscurius proportionem animaduerterunt. hoc etiam sensu νοῦν, idest mentem illi masculino genere, & animam fœminino vocari statuerunt, tanquam mens illustrare animam queat, anima vero a mente illuminari suapte natura apta sit. cumq; hoc modo progrederentur, in Dijs etiam ipsis idem seruare non grauati sunt. itaq; Solem maris nomine, Lunam uero fœminæ, ut quę lumē a Sole mutuetur, vocandam iusserunt. quāquam autem Aegyptij Lunam masculino genere pronunciant, tamen id faciunt fortasse eam cum terra comparantes, quæ non solum a Sole, sed etiam à Luna illuminatur. quam ob rem in Conuiuio Platonis loquens Aristophanes masculum Soli, fœminam terræ, Lunę vero masculofœminam dixit conuenire. perspicuum autem est, Græcos melius, quam Aegyptios sensisse, propterea quod prima ratione Luna a Sole lumen accipit, deinde per sui refractionem in terrā transmittit. sic cœlos quoq; masculino genere enunciant, terram fœminino, vt quæ uim illius effectricem suscipiat, & ita eorum quæ nascūtur, genitrix fiat. idcirco Aristoteles quoq; in libro de ortu animātium eiusmodi nominum per genera distinctionem cōmendat. simili quoque modo cum actiones eorum, quę hoc mundo sublimiora sunt, diuersas conspicerent, quibus nimirum oculis ea cerni natura concessit, eminus illi quidē, sed tamen eandē quoq; in ijs nominibus quæ illa significāt, proportionem inuenerunt. quod si eadem res & maris & fœminæ genere apud eos exposita uideatur, non tamē ob id nostrę ignorationis confusionē in priscos & sapientes hoīes conferentes, nomina cōfusa esse, & nulla rōne imposita debemus existimare: quia sic etymologiæ, quā oēs agnoscunt, exiliū afferremus, sed potius ex alia, atq; alia rei proprietate utrūque genus esse rebus attributū: ut in Luna diximus, quā masculino & fœminino genere nuncupari, & item in uariis eiusdem rei nominibus ostendimus. Ex his facile est colligere, eorum nominum, quæ neutra dicuntur, notionem ad id quod ambobus prius est, referri, ut cum primum dicimus, hoc est principem omnium causam appellamus: quod nemo etiam eorum, qui theologiam nobis fabularum integumentis obuolutam tradiderunt, uel maris uel fœminæ specie fingere ausus est; idque merito: coniugatū enim mari fœmininum est. causæ autem omnino absolute, ac simplici nihil est coniugatum. immo uero cū Deum masculino genere appellamus; ita ipsum nominamus, genus præstantius submisso atque humili præferentes. neutra ergo nomina uel in hunc sensum trahuntur, uel in iis dicuntur, quæ ex ambobus eueniunt: ut cum παιδίον hoc est puerulum neutro genere proferimus: uel in eo, quod a meliore in deterius labitur, ut semē, & ὕδωρ, id est aquam: uel in eo, quod communiter in utroque intelligitur, ut animal: aut deniq; aliis huiusmodi modis, ne in his rebus diutius immoremur. est ergo perspicuum, secundam significationem eius, quod natura est, secundæ positionis significationi conuenire. quæ enim a nominis auctore sunt imposita, tanquam accōmodata, aptaque rebus, quibus sunt tributa, natura constare dicentur: ut uero ab aliquo imposita, positione. Socrates autem, qui in in Cratylo est, uelut arbiter inter Cratylum atq; Hermogenem, qui longissimo interuallo dissident inter se, utrum natura, an positione nomina sint, ostendit, ea non ita esse positione, ut Hermogenes existimabat, propterea quod in eis esset etiam, ut essent natura, in secunda tamen eius significatione: præsertim uero id illis conuenire, quibus res uniuersales & omnino proprias significamus: utpote quæ definitam, & quæ a nobis comprehendi possit, naturam habeant: ut autem primo rebus nomina recte imponamus, idque in singulis, quæ suapte natura omnibus mutationibus sunt obnoxiæ, fortunam, quæ famæ obsecundet, esse inuocandam: neque etiam ita esse natura, ut uolebat Heraclitus, comprobauit: quippe cum positione quoque essent, & in multis etiam singulis rebus ea graui positionis significatione, quam Hermogenes inuehebat. præterea quæcunque sempiternam naturam significarent, ea quoque esse positione; in secunda tamen eius, quod positione dicitur, significatione. Aristoteles igitur cum ait, nullum nomen esse natura, nihil ab iis quę diximus, diuersum statuit, sed negat ea natura esse, ut Heraclitus existimauit: quod etiā fecit Plato: quinetiam ipse id minime recusans ita natura esse dicet, ut diuinus Plato arbitratur. id quod multis ipse suorum operum locis docet, cum nomina rebus conuenire conatur ostendere: ut uidere est in physica auditione de casu, deque inani: & in meteoris de gutta, & pluuia, & in aliis omnibus hominibus, quæ ipse construxit, ut in entelechia, pro specie, & in termino, pro simplicibus uocibus in ratiocinationibus constitutis: & figura, pro tali aut tali propositionum coniunctione. & in hoc ipso libro de nomine infinito, aut uerbo infinito, aut de repugnantia, quod nomen ipse fabricatus est. quæ omnia philosophi hac de re sententiam declarant. Si uero quispiam sit, qui hac quoque ratione putet ostendi posse, non esse natura nomina, sumpto a nominum mutatione argumento, & eo, quod eadem res multis sæpe nominibus appelletur, ei nos dicemus, uel ipsam mutationem potissimum comprobare, nomina natura constare. planum enim est, nos uelut ad nomina quædā, quæ magis rebus accommodata sint transeūtes, commutare: nominum uero multitudinem non esse impedimento, quo unius unum eorum quodque naturæ eius rei, quæ nominatur, conueniat. ut enim eiusdem hominis esse multæ imagines possunt, quæ ex diuersa materie sint conflatæ, ut ex ænea, lignea, lapidea, quæ tamen omnes similitudinem cum homine gerant: ita hic etiam, nihil est, cur nō eadem natura aliis atque aliis syllabis nominetur, unaque & eadē natura ex alia atque alia notione ab omnibus significetur: ut hominis nomina ἄνθρωπος, μέροψ, βροτὸς idem significant: sed primum quatenus ἀναθρεῖ ἃ ὄπωπε, idest contemplatur ea, quæ uidit: μέροψ uero quod uoce in partes diuisa utatur. βροτὸς uero ex eo, quod animus ad ortum deuenit, & propter inquinationem, quę inde est subsecuta. aut etiam ita homo nominatur, habita compositionis nominis ratione, ut ἄνθρωπος κατὰ τὸ διαρθροῦν τὴν ὄπα, idest quia articulatam uocem mittat: uel quod ἄνω ἔχει τὰς ὦπας id est, sublime os habeat: μέροψ quod uoce utatur, quæ tribui in partes possit, βροτὸς uero, quasi μορτὸς καὶ μοιρητὸς id est fato obnoxius. Ideo etiam, Mortales, condimus urbes, ait Cyrenæus. si hæc recte a nobis dicuntur, patet nō esse nobis admittendam dialectici Diodori sententiam, qui uocem omnem significantem esse existimauit, quod ut probaret, unum e seruis suis, Atqui, collectiua coniunctione appellabat, & alium alia. quam enim aut naturæ alicuius, aut personæ significationem habituræ sint huiusmodi uoces, ut habent nomina, aut actionis & affectionis, ut uerba, ne fingi quidem facile potest. Quoniam uero nomina positione esse, alij negare atque reijcere conati sunt, ut Arius Patrensis, qui nobis preces atque imprecationes obiicit, in quibus nostra nomina pronunciata aut iuuant euidenter nominatos, aut lędunt: cum tamen instituta & pactiones inter homines iure constent, inter homines uero & Deos, ne cogitatione quidem intercedant: ideo contra hos est etiam dicēdum, cum Dij nos compotes rationis esse noluerint, nostroque nos motu cieri, ideo multorum nos actionum dominos merito constituisse: cumque iidem sine mutatione nostra omnia intueantur, nostrasque constitutiones accipiant, ad eas respicientes, nobis, utpote qui sponte mouemur, omnia pro meritis tribuere. immo uero nos ex iis uisis, appetitionibus, & inclinationibus, quæ ex positionibus oriuntur, eiusmodi formam uitæ in nobis inducimus, atque conuenienter ei, congrua nobis prouidentia perfrui: ut corpora uidemus, postquam combusta sint, leuia, & ut natura in sublime ferantur, apta reddi: tum facta mutatione, ut terrea magis, & grauiora sint facta, contra deorsum ferri pro eo momento, quod eis insit. Cumque rex Sol ad meridiem superius hemisphærium totum illustrat, tum uigilantes, & qui oculos secundum naturam habent commodis luminis perfruuntur: qui uero dormiunt, aut conniuēt, aut aliter oculos contexerunt, ij sua culpa luminis bona nō consequuntur, non Dei inuidia aliqua, qui lucem cunctis liberaliter impertitur. sed hæc pluribus uerbis sumus persecuti, cum philosophorum ostendere concordiam uellemus, & quæstionem inter ueteres agitatam plane intactam non esse prætereundam existimaremus. Deinceps aūt uideamus, qualis sit syllogismus, quem Aphrodisiensis

dissensis

disiensis interpres exponit, quo nomina & uerba solum esse natura, probare uidetur: nomina inquit, & uerba uoces sunt, uoces sunt natura, nomina igitur & uerba sunt natura. ad hæc dicendum, nomina & uerba non absolute dici, uoces esse, sed materiæ ratione. ut enim si quis dicat, ianua est lignum, lignum est naturæ opus, ergo ianua est naturæ opus: ridiculus erit, quandoquidem ianua dicitur lignum ratione materiæ, nō tamen necesse est, ut quod naturali materia utatur, ipsum quoq; sit natura; propterea quod omnia quæ arte fiunt, cum ex nostra cogitatione subsistant, in materia naturali uersantur & consistant: eodem etiam modo hic dicendum est, naturæ quidem munus esse uocem, quia natura sumus ad uocem apti, at nomina & uerba uoces quidem dicentur, non tamen absolute: sed taliter conformatæ & confictæ ab ea phantasia, quæ in loquendo est, ut dicunt: quæ uocalia instrumenta taliter, ac taliter ciet non secus, quam lignum a fabro ad ianuam construendam moueatur. ut igitur lignum prius quam ad formam redigatur, nemo ianuam appellabit, ita etiam uoces prius quam hoc atque illo modo conformatæ sint, nemo aut nomina, aut uerba nominabit. itaq; ex forma esse eiusmodi, & ex nostra cogitatione gigni, & ob id etiam esse positione dicentur. atque hæc quidem ad Alexandri argumentationem sufficiant. Aristoteles autem nomen esse ex instituto inde cōminiscitur, quod cum primo ortu nominis atq; impositione protinus appareat, id esse notā eius rei, quæ nominatur, & non naturale simulacrum: uel certe hoc totum, artificiosum simulacrū uideatur. quocirca si quis nominis genus quærat, quia diximus, uocem materiæ rationem subire, notam esse eius genus respondebimus: ut sit nera eius definitio, nota ex uoce significante ex instituto expers temporis, cuius nulla pars separata significat: essentiā quandā, aut personam indicans: ut nunc genus ipsius sit traditum, quæ uero ante, & nunc in ordine definitionis sunt prodita, ea nos in nominis notionem tum ab ipsius materia, tum a forma proxima perducunt. uelut si quid sella sit, explicare quispiam uelit, satis ad ipsius notionem constituendam putet, si dicat, lignum esse tali figura fabricatum: cum tamē posset idem accuratius exponere, ut esse instrumentum ad hoc utile, ex ligno, tali figura constructum. Erit autem hoc idem uerbi & orationis genus, si insitam illis significādi uim attendas, nam & quod significat, & quod significatur, de se se mutuo dicuntur. quam ob rem notæ eorum, quæ significantur, merito erunt ea, quæ ex instituto significant. quod uero attinet ad dictionem, & multitudinem syllabarū ipsam efficientiū, quoduis horum ad quantitatē referemus. quod si nomen tum notam, tum simulacrum artificiosum appellari censeamus, haud mirabile est. quod enim inconsiderate erit impositum, nota erit tantum: quod uero ratione, quatenus ex alijs atque alijs syllabis constare potest, simile notis erit: quatenus uero cōuenit natura eius rei, quæ nominatur, erit simulacrum, & non nota. sed hæc uelut corollaria ex antedictis consequentia sumenda sunt, cōsona ijs, quæ Socrates de nomine in Cratylo tradidit. ille enim nomen singularū rerum substantiæ esse imitationem per uocem articulatam dixit: quod perinde accipiendum est, ac si dixisset, ex elementis, ac syllabis conflatum: ut uerba sunt consequentium, hoc est eorum, quæ substantijs insunt, imitationes: orationem uero esse eam prodidit, quæ ex ambobus, hoc est nomine & uerbo constat. quasi ipse quoq; tum his uerbis, tum ijs, quæ in Sophista sunt ante Aristotelē pertractata, nomen & uerbum solas esse proprie partes orationis cōstituat. Vsum autem horum uerborum, ex instituto, philosophus declarans, [nam soni inquit ij, qui nullis literis exprimūtur, hoc est uoces inarticulatæ, aliquid significant.] quo in loco sonum, ut uocis genus pro specie adhibuit. ut beluarum inquit, quorū nullum est nomen: ac si dixisset, sine hac additione, nihil magis nomen declararemus, quam uoces illiteratas, quæ natura proferuntur: quales sunt animalium rationis expertium, quæ ipse beluas, ut etiam Plato, uocauit: quasi cognata eis potius agrestis immanitas sit, quod ratione careant. & natura nō sint ad ciuilia munia aptæ: sed aduentitiam mansuetudinem nanciscantur. id quod in eis intelligitur, quæcunq; cicuribus factis hæc inesse quandoq; uideatur. quod uero ait, [quorū nullum ad nomen pertinet,] significat, quorum sonorum nullus est nomen: aut dictum hoc est, ut desit uerbum prolationis, ut intelligamus, quarum beluarum nulla prolatio est nomen. neque enim diceret, non esse nomina tributa uocibus animalium rationis expertium, cum alia latratus, alia hinnitus, aut balatus appelletur. Hæc cum exposuisset, nihil de cæteris dixit, ut de uerbo uocis, & significantis, tanquam hęc ualde plana & aperta sint. at de nomine infinito disputationem instituit, & ait:

Non homo etiam nomen non est, nec ei nomen ullum impositum est, quo appelletur: quandoquidem nec oratio est, nec negatio. Appelletur sane nomen infinitum, quod æque in quauis re dicatur tam quæ est, quam quæ nulla est.

Fecit nunc huius præcepti mentionem, quia huiusmodi uoces in enunciationibus assumi persæpe, ut cum dicimus, non homo ambulat: & tamen nullū a ueteribus nomen esse consecutas uidebat. in præsentia igitur docet, cum quibus uocibus nomen habentibus has esse easdem suspicari possimus, cum tamen eædem re uera non sint: & quomodo nominare eas oporteat. quia igitur possit quispiam potissimū nomina esse suspicari, quod non secus, quam ea, quæ uere nomina sunt, locum subiectorū in propositionibus obtineant, & quod nominis proposita definitio eis cōueniat, quia cum alia eis perspicue conueniunt, tum uero etiam, quod neque etiam in his partes per se non significant, ut non, & homo, quando huius nō homo, ut unius partes sumptæ sint, tamen Aristoteles non censet has uoces esse nomina simpliciter appellandas, quia nomen unam naturam, eius uidelicet quod nominatur, significat: una autē quæq; harum uocum unum adimit, quod a nomine significatur, cum sine negatione profertur: cætera uero, pręter illud ipsum, tam quæ sunt, quam quæ non sunt, infert omnia: etenim non homo in solo quidem homine non dicitur, at dicitur de equo, de cane, de tragelapho, de hippocentauro, & uno uerbo de omnibus quæ sunt, quæq; non sunt. quare fit, ut existimet has uoces hoc totum, infinita nomina, appellari. ac nomina quidem, quia ut deinceps dicet, unam etiam quodammodo rem ipsæ significent, ut uniuersa, præter rem finitam, tanquam unum, ut non homo significat uniuersa, præter hominem, tanquam unum: eo quod commune quiddam habent uniuersa, ut non sint id, quod homo est: infinita uero, quia quod ab eis significatur, non essentiā aliquam rei significat, ut nomina facere solent, sed essentiæ priuationem, quæ tam ijs quæ sunt, quam ijs quę non sunt conueniat. Iam uero quia posset quispiam aut negationes eas putare, quod negantem particulam adiunctam habent, aut etiam prorsus orationes, quia compositionem quandam præ se ferant; ideo indicat neutrum horū eas neq; negationes, neque orationes omnino posse nominari. non sunt autem negationes, quia negatio omnis sublata particula negante fit affirmatio, siquidem ea particula superat affirmationē: eæ nanque uoces detracta particula negante, non affirmationes, sed nomina fiunt. uerum neque absolute orationes sunt, cum neque preces, neque iussus, neq; uocationes, neque interrogationes, neque enunciationes prorsus sint: præsertim cum enunciatio omnis uerū falsumue significet: quorum neutrum ab ijs uocibus indicatur. cum ergo neque orationis, neq; negationis nomine has uoces appellare conueniat, nullum uero aliud usitatum nomen sit eis impositum, ut alijs nominis, alijs uerbi, alijs affirmationis, & alijs aliud nomen attributum uideamus, nos inquit, eas infinita nomina nuncupemus: quod declarat his uerbis, [Appelletur sane inquit, nomen infinitū:] ut hoc nomen ab ipso ijs uocibus esse impositum, plane appareat.

Hæc vero, Philonis & Philoni, & cætera eiusdem generis, non nomina, sed casus nominis vocantur. ratio autem eorum est, cætera vero eodem modo. at si cum verbo est, erat, vel erit iungantur, nec verum id, neq; falsum est. quod in nomine fit semper, velut his orationibus, Philonis est, vel non est, nondum quicquam vere falsoue dicitur.

Quæstio fuit apud veteres de nominum pronunciatione, quę in recto fit, casus ne, an secus, appellanda esse videatur. an vero hęc nomen dicenda sit, quod res quęq; per eam nominetur: cæteræ vero, casus nominis, quod a recto commutatione

mutatione quadam deducantur. in posteriore opinione uersatur Aristoteles, eumq; Peripatetici omnes sequuntur. priorem sententiã habent Stoici, quorum uelut asseclę sunt, qui artem grammaticã profitentur. cum enim aduersus hos Peripatetici dicant, alias quatuor pronunciationes casus merito appellari, quod a recto decidant: rectum uero nulla ratione par esse casum uocari, tanquã ab aliquo cadat: cum planum sit, casum omnem ab aliquo quod superiore loco sit, delabi oportere: respondent Stoici, rectum quoque ab ea conceptione, quæ in animo est, decidisse. cum enim conceptionem Socratis, quæ in nobis est, declarare uolumus, hoc nomen, Socrates, pronunciamus. ut igitur stylus supernę demissus, rectusq; humi defixus, & cecidisse dicitur, & rectũ casum obtinuisse: ita etiã rectum casum decidisse a notione nostra, & quia sit prima forma pronũciationis in uoce edenda, rectum esse censemus. Verum si, aiunt Peripatetici, casum ob hanc causam appellandum esse rectum iudicatis, hoc etiam usu ueniet, ut & uerba, & aduerbia, quę ne sua quidem natura declinantur, casus habere. hæc autem plane absurda sunt, & nostris nimirum opinionibus aduersantur. Eadem quoque in eos dici poterunt, qui generale quoddam nomen statuunt, a quo singulare nomẽ decidisse uolunt. neq; enim aperiunt, quod tandem generale nomen uocent: neque si notionem ipsam nominum uel cõmuniter de omni prædicari affirment, proprium aliquid nominis dicent. quia eadem etiam erit aliarum orationis partium ratio: atq; ita primas uerborum uoces in recto pronunciari dicemus: & item singulas uoces aliorum, quæ de partibus orationis enunciantur. quam ob rem in his rebus Peripateticorum est anteferenda sententia. Aristoteles autem hoc loco casus a nomine discernit: idque, quia nominis quoq; definitionem, non secus quam nomen ipsum, admittunt: atque eo potissimum distinguit, quod nomen, si ei est, aut fuit, aut erit adiungatur, uerum aut falsum significat: casus uero, non item. nam qui dicit, Philo est, aut Philo fuit, aut Philo erit, is aut uerum, aut falsum protulit. at qui ait, Philonis est, aut fuit, aut erit: uel Philoni est, is neque ueri, neque falsi quicquam dixit: propterea quod ad sententiam perficiendam aliquid eæ orationes postulant. nisi enim addatur, aut filius, aut hic, aut ager, ut Philonis hic filius est, aut Philonis hic amicus est, aut Philonis hic est ager: nihil uerum, aut falsum efficietur. Alia autem orationis species, ut uocans, uno etiam solo nominis casu, qui ob id ipsum uocatiuus appellatur, potest declarari, nec uerbi ullius ad significandum indiget; ut Atride o felix, o fortunate, beate. ideo in hoc uocẽ supprimimus, & eum, quem uocamus, nisi quid impediat, ad nos conuertimus, & ut causam uocandi perquirat, ad respondendum cõmouemus: tanquam ita sit perfecta sententia: enunciationem tamen facere uel hic, uel alius quispiam casus ne si uerbum quidem est, assumat, ullo pacto potest. Prudenter admodum philosophus Porphyrius adnotauit, uerbum est hoc loco nõ pro omni uerbo positum esse, sed pro eo solo, quod est ab ente declinatum, & essentiã significat: ut nomini iunctum perfectam orationem, cum casibus uero, imperfectam reddat. multa enim uerba sunt quæ iuncta casibus, orationes ueras aut falsas faciunt, quæ etiam addi nominibus non possunt: ut pœnitet, ut Socratem pœnitet: si uero dicas, Socrates pœnitet, sine constructione loqueris, quo etiam loco cõmemorat, quomodo Stoici terminos prædicatos in propositionibus cõstituant. hoc aũt modo statuunt: Quod prædicatur, uel de nomine, uel de casu dicitur: horũ utrũq; uel perfectum est, ut prædicatum, & cum subiecto satis est ad enunciationem efficiendam: uel mancum est, & alicuius additionis indigens, ut perfectum prædicatum fiat. si quid ergo prædicatum de nomine enunciationem faciat, κατηγόρημα, hoc est quod dicitur de quodam, aut de quibusdam, & σύμβαμα, hoc est accidẽs apud illos nominatur: utrunq; enim idem apud eos significat; ut Socrates ambulat: si uero de casu dicatur, παρασύμβαμα quasi adiacens accidenti, sitq; uelut transprædicatum, quale est verbum pœnitet: ut pœnitet Socratem. est enim pœnitetur, symbama, pœnitet vero parasymbama, cum nomini iunctum enunciationem facere non possit: ut Socratem pœnitet. id enim non est enunciatio. neque etiam declinatur, ut ambulo, ambulas, ambulat: neque in numeris uariari, quia ut dicimus, hunc pœnitet, ita etiam, hos pœnitet, dicemus. Præterea si id, quod de nomine prædicatur, indiget additione alienius casus nominis ad enunciationẽ faciendam, minus quam categorema dicitur, quale est, diligit, aut fauet, ut Plato diligit, cui si addas, quẽ diligat, ut Dionem, finitam enunciationẽ feceris hanc, Plato Diona diligit. si uero quod prædicatur de casu, alteri casui coniungi postulet, ut fiat enunciatio, minus quam parasymbama nominatur, quale est piget, ut Socratem piget dictorum. hæc autem omnia, uerba uocant. atq; hæc quidem sunt, quæ de his Stoici prodiderunt. nos uero quæ ab Aristotele dicta sunt de nomine, ad unam summam redigentes dicimus id proprie nomen fore, quod ad hoc institutũ pertinet, uocem significantem, ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars separata significet, finitum quid indicantẽ, & cum uerbo est, aut fuit, aut erit, uerum aut falsum declarantem. sed cur non in ipso statim principio Aristoteles hanc nomini definitionem non tribuit, ne oratio nominibus infinitis, & casibus afferendis turbaretur? Dicimus multas esse apud eum nominis significationes. ipse enim uocem omnem quæ ex instituto rem aliquam significet, nomen esse appellandã censet. uelut sapiens quoq; in Sophista nomen simpliciter diuidit in nomen proprie dictum, atque uerbum: quo sensu uerba quoque nomina uocari omnia possent. id quod ipse deinceps declarat, cum ait, [Ac uerba, si sola dicantur, nomina sunt, significãtq; aliquid.] quasi propter facultatẽ significandi, quam habent, digna putet, quæ nomina appellentur: quod interdum sint ceu nomina earum actionũ & affectionum, quæ ab eis significantur. præterea omnem uocem, quæ subiectum in propositione facit, nomen ab ipso dici comperies, ut in tertio libri capite declarabit his uerbis, [Nomina autem inquit, & uerba traiecta & cõmutata idem significãt.] quare in hac significatione bonus, & iustus & quæ sunt huiusmodi, considerata in cõmunicatione aliorum quorundam subiectorum participantium, & de quibus dici natura apta sunt, uerba & non nomina dicentur: ambulare vero, & philosophari contra, non verba, sed nomina, quia subiectos terminos in propositionibus faciunt, quæ sunt huiusmodi, ambulare est moueri, philosophari est utile. ideo Gręci eis, ut pote nunc pro nomine positis, articulũ adiungunt. Alio quoque modo nomen dicitur, ex ea definitione, quæ prius tradita est, uox omnis significans ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars separata significat: quo sensu & bonus, & iustus, & non homo, & Philonis, & Philoni nomina erunt. præterea nomen dicitur uox omnis, quæ propositam nominis definitionem accipit, & definitũ quid significat: quo sensu nihil est, quod casus quoq; nomina esse prohibeat: at quæ infinita dicuntur, ea dici nomina nõ possunt. horum autem intelligentiam ipse nobis tradit, cum ait affirmationem & negationem omnem uel ex nomine & uerbo, uel ex infinito nomine, uerboq; constare: ut nomen ab infinito nomine solum, & non item a casibus distinguat. Iam uero præter omnes nominis modos, qui dicti sunt, nomen etiam dicitur id, quod ex additis nominis definitioni quæ data est, distinctionibus perfectum est, casibus tamen, & infinitis nominibus seiunctis. Cũ igitur quinq; modis nomen dicatur, quęcunq; hic ab Aristotele dicuntur, recte dici fatendum est. definitio enim nomini tributa recta est, ex tertia significatione earum, quæ numeratæ sunt: ac distinctiones postea additæ nihil ei derogant: sed significationes quasdã nobis indicãt, ut quæ de infinitis nominibus est, quartam: ea uero de casibus, quintam. Verba autem, quę ait, [Ratio aũt eorum est cætera uero eodem modo.] de eo nomine dicuntur, quod aliquo casu profertur: nimirum id habiturũ esse definitionem, quam rationẽ uocauit, nihil in cæteris diuersam ab ea, quam prius nomini tribuit: hoc enim est ipsum quoq; uox significans ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata: sed hoc exuperare per eam differẽtiam, quæ casus a ueris nominibus distingit: quod casus soli uerbo est, uel fuit, uel erit iuncti nondum perfectam enunciationem efficiant: ob eamq; causam neq; uerum, neq; falsum indicent; at nomini satis esse, ut uel unum solum uerbum ei addatur, ad perfectam enunciationem conficiendam. Hoc autem dicendi genus, ab Attica consuetudine sumptum est,

cum

cum multa simul decreta ad populum ferebãtur. cum enim scriba primum decretũ populo recitaret, nomen eius, qui decretum conscripsisset, & patrem, tribom, & rem indicabat, hoc modo: Demosthenes Demosthenis filius Pæaniẽsis tale decretum fert. secundum uero uel tertium, si ita ea sus tulisset, declarans, solum indicabat, se eiusdem hominis decretum esse lecturum; cum tamẽ prius quam legeret, hæc ad populum uerba diceret, cætera uero eodem modo. hæc autem etiã decernit. quocirca Socrates in Gorgia hac usus locutione, eam ijs, quæ apud populum conscribuntur, acceptam tulit.

DE VERBO.

Verbum autem id est, quod tempus adsignificat, cuius pars nulla significat separatim, semperque eorum signum est, quæ de altero dicuntur. Tempus autem dico adsignificare, ut ualetudo nomẽ est, curari uerbum, quod præsens significat, & semper ea quæ de altero dicuntur indicat: qualia ea sunt quæ de subiecto dicuntur, uel in subiecto insunt. Non curatur autem, & non incendit, non appello verba, quoniam uerbum significatione sua tempus includit, & in re aliqua semper cohæret. Et quoniam nomen differentiæ nullum impositum est, uerbum infinitum appellari licet. quandoquidem tam in eo quod est, quàm in eo quod non est, æque inest. Itemq; curabitur & curatus est, non sunt habenda verba, sed casus uerbi. Hoc autem à uerbo differunt, quòd præsens tempus uerbũ significat, illa id omne in quo interiectum præsens est.

Quemadmodum nominis definitio explicata est, pari ẽt ratione uerbi definitio perfecte tradetur ad hunc modum: uox significans ex instituto, tẽpus adsignificans, cuius pars nihil significat separatim: ipse uero breuitatis causa, cuius studiosus est, omnibus ijs, quæ inter nomen & uerbum cõmunia sunt, præteritis, perinde ac dicta sint in nominis definitione, ab eo ducit initium, quo uerbum differt a nomine. differt autem, quod uerbum tempus adsignificat. quod si ita est, cur addit, cuius nulla pars significat separatim? cum hoc in nominis quoq; definitione sit expressum. ergo Porphyrianum illud ad hanc quæstionem afferatur: esse inquam orationes quasdam ex uerbis conflatas, quarum partes, ipsa inquam uerba, ex quibus orationes constant, significẽt: ut cum dico, ambulare est moueri. nam ambulare, moueri, & est, quæ totius orationis partes sunt, per se significant: ut ergo uerba ab hisce orationibus discernat, quibus aliæ definitionis partes accommodantur, ut uox, ut significans, ut ex instituto, ut tempus adsignificans, necessario factum est, ut hanc quoq; differentiam hic addiderit. sed cur uerbum non significare tempus, sed adsignificare dixit? an quia significare sit, ut ante diximus, aliquid primo & præcipue declarare: adsignificare uero, post primam significationem, secundo loco aliquid aliud etiam simul indicare. nã uerba, prius actiones & affectiones declarare uolẽtes, pronũciamus: tempora uero actionibus aut affectionibus adiacentia in quibus fiunt, factæue sunt, aut fient, cũ ijs, uelut simul apparentia, conspicimus. Deinceps uero quam in propositionibus cõstructionem uerbum obtineat, exponit his uerbis, [semperq; eorum signũ est, quæ de alio dicũtur.] hoc enim significat, uerba semper locum prædicati, nõ autem subiecti obtinere: atq; id merito. si enim actiones, affectionesq; significant, hæc autem non sunt absoluta, nec per se cohærent, sed ad alia uel agentia, uel patientia referuntur, nimirum eis conueniet, ut de illis dicãtur: ac sic etiam Plato in Sophista de ijs statuit, cum omnẽ uocem significantem nomen appellari docet his uerbis. Age uero inquit, ut de formis, deq; literis disseruimus, eodem quoq; modo de nominibus instituatur disputatio. ita enim quodam modo planum est id, quo de nũc quæstio est. quidnam inquit, est de nominibus intelligendum? utrum inquit, inter se congruant omnia, an uero nullum: an quædam uelint, quædam uero non item. constat inquit, quædam, uelle, quædam nolle. Fortasse inquit, tale quippiam ais, quæ deinceps nullo interposito medio dicuntur, & aliquid significant, congruere: quæ uerò nihil significant continuata, nõ cohærere. ex quibus uerbis uel illud intelligitur, unam orationem dictam esse a Platone, ante Aristotelem, quæ unam rem significat. id quod ipse declarat, cum ait, & aliquid significant, siquidem quæ inconcinne pronũciantur, hoc est nomina, quæ deinceps sine uerbo, aut uerba sine nomine proferuntur, significant illa quidem omnino, sed plura, & nõ unum quid. Esse autem solas duas uocum significantium species nomen & uerbum, quarum nomen substantias declarat, uerbum actiones & affectiones, quas ipse πράξεις hoc est res gestas nominauit, docet his uerbis. Qui inquit, id ais? quod inquit te cogitantem confiteri existimaui. est enim nobis duplex genus eorum, quæ substantiam uoce declarãt, quorum alterum nomen, uerbũ alterum appellatur. quod autem in rebus gestis uersatur, uerbum nominamus: uocis uero signum impositum ijs, qui eas gerunt, nomen uocatur. quibus ex uerbis non solum intelligimus, eum dicere non solum uerbum declarare actiones & affectiones, quod ipse nomine rerum gestarum indicat, sed signum ante Aristotelem ipsum uocari: cũ uocabulum signi apud utrunq; ualeat idem quod significans: ac significans impositione hominum, non natura: ut probauimus in ijs, quæ de nominis definitione prius dicta sunt nobis. Quod autem ait semper, non sine causa est additum his uerbum, [semperq; inquit, eorum signum est, quæ de alio dicũtur.] siquidẽ uerbi proprietatem exponit uel maxime: cum possint etiam quædam nomina quandoq; prædicari, ut animal de homine. uerum illa neq; solũ, neq; semper prædicantur, neq; sine aliquo uerbo ut est, uel non est, prædicata habent natura comparatum, ut perfectam orationem conficiant. uerba autem propriam uim seruantia, & solum & semper prædicari per se possunt. Quæ cum de uerbo dicta sint, deinceps dat operam, ut quæ ad uerbi naturam aperiendam assumpserat, singillatim declaret: ac primum, & merito, quod dixit, tempus adsignificare: quod quidem necessario sumptum est, ut uerbum a nomine plane discerneret: breuiter exposuit, nomina & uerba, quæ in eadem re uersantur, ut in ualetudine & ualere mutuo cõferens, atq; ostendens, a nomine tempus nullum indicari: a uerbo præter talem aut talem affectionem, quam primo declarat, tempus quoq; significari. deinde præterita ea parte, in qua ait. cuius nulla pars significat separatim, perinde ac in nominis tractatione sit satis declarata, ad reliqua aggreditur, aitq; dictum esse uerba indicare ea quæ de altero dicuntur, qualia sunt ea, quæ de subiecto dicuntur, aut in subiecto insunt. id quod ait, quia uerborum, ut etiam nominum alia sunt, quæ cum per substantiam insint ijs, de quibus dicuntur, eaq; perficiant, & compleant, dicuntur prædicari: quod in categorijs de subiecto appellatum est: alia uero ut accidentia subiectis insunt, quæ in subiecto nominantur. ut enim si de homine, & animal, & album quæ nomina sunt, dicantur, non eodem modo utrunque dicetur, sed animal de homine, ut de subiecto, album uero, ut in illo subiecto essentiam habeat, eodem quoque modo in uerbis dicendi ratio procedet: cum enim dixero, ambulare est ad locum moueri, calefacere est facere, effici ut moueri ad locum, & facere dicantur ut de subiectis de uerbis ambulare, & calfacere: propterea quod latius, quam illa patent. at cum dico, Socrates deambulat, aut Plato legit, hoc loco prædicata de subiectis ex accidenti dicuntur. ut ergo utrunque prædicandi genus exponeret, ideo cum dixisset, uerba semper uelle prædicari, addidit, id quandoque fieri de subiecto, quandoque uero ut in subiecto. Atque hæc quidem expositio conueniet lectioni, quæ a nobis proposita in plerisque codicibus reperitur. sed si aliqui ita uerba legant, semperque eorum quæ insunt, signũ est, qualia sunt, quæ de subiecto dicuntur, ut Porphyrio philosopho placet, tum dicemus, quod ait de subiecto, capi etiam pro eo quod est, in subiecto. est enim hic Aristotelis mos, ut quandoque quod in subiecto est, sine discrimine uocet quod de subiecto dicitur. sed harum duarum & lectionum, & explanationum prior est anteferenda. Fieri autem uerba etiam quandoque subiecta, ut philosophari in hac oratione, philosophari utile est; & ambulare in hac, ambulare est

bulsre est moueri: & item ea interdum non pro uerbis, sed pro nominibus in orationibus adhiberi, quę causa facit, ut Græci articulns eis adiungant: ante dictum est. Dicendum sane est, actionibus & affectionibus naturas quasdam ac proprietates esse, quibus etiam inter se differunt, & aliorum quorundam agentium, aut patientium esse dicuntur: & eas significari a nobis interdum ut sint de numero eorum, quæ sunt, & naturam quandam habere uideantur: interdum uero, ut a nobis considerentur, quasi in aliis quibusdam subiectis consistant: proinde uoces, quæ illarum substantias indicant, nomina uocari: uerba sutem, quæ ipsarum ad subiecta relationem declarant. quam ob rem philosophari, deambulare, & cætera omnia, quæ infinita grammatici uocant, eo quod tempus adsignificent, uerba & non nomina uocari: in eo uero, quod quoquo modo enhærentia, quædam indicant, actiones inquam & affectiones, & articulus, qui nominibus solis præponi solet, eis adiungitur, & non semper locum prædicatorum obtinent, & tuentur, quod Aristoteles esse uerbi proprium uult, nomina, & non nerba appellari. Illud sciendum est, cum hæc prædicata fiunt, ut moueri in hac oratione, ambulare est moueri. aut iuuari in hac, philosophari est iuuari: nihil in prædicando differre ab iis, quæ palam nomina sunt, ut ab animali: cũ hæc quoq; sine addito uerbo est, aut non est, aut dicitur, aut debeo, ut debeo dicere, aut aliquo alio huius generis perfectam efficere orationem non possint. cum nero hæc perinde ac quarundam rerum nomina sint, accipimus, tunc & de iis, quæ ab eis significantur, aliquid enunciate, & de ipsis quædam, quæ te uera uerba sint, prædicare conamur: ut in iis quæ re uera nomina sunt, facere consueuimus. sed hæc de uerbis infiniti modi, ut grammatici uocant, dicta sunt: quibus etiam solis actiones & affectiones proprie significare eonsueuimus, quæ pro subiectis capiuntur, cum de eis aliquid sit dicendum. si qua uero in aliis modis subiecta fiunt, ut ualeo uerbum est, scire conuenit, tum non fieri uerba de affectione, quæ significatur, sed de noce, quæ illam significet: cum uocem ipsam consideramus, & uulgo inditum nomen, tali uoce exponimus. sunt enim etiam uoces in numero eorum, quæ sunt: easque, ut cætera itidem, inter se distiguentes, aliis atque aliis nominibus significamus: quod non solum in uerbis, sed in omni quoque uoce tam significante, quam nõ significante fieri comperies. nam dicimus, quidem, quæ coniunctio est; & hoc, articulus: & cnax, quę uox est nihil significans. at Aristoteles non ipsam uerbi uocem per se dixit esse, quæ uelit prædicari, sed eius significationem, quæ est uel actio quædam, uel affectio. ideo ita est locutus, semperque eorum quæ de altero dicantur, signũ est. sed de his hactenus. De nerbo autem infinito nihil opus est longa nratione. cum eadem, quæ de nomine infinito allata sunt, dici de eo possent: nimirum non penitus de natura uerborum excidisse, quod breuiter Aristoteles his uerbis declarauit, [Quoniã inquit, uerbum significatione sua tempus includit, & in re aliqua semper cohæret: & quoniã in nulla re definita dicitur, ideo uerbum infinitum nominatur.] cum uero ait, [& quoniã differẽtiæ nomen nullũ impositum est.] appellat differentiã, uerbi infiniti cum uerbo finito uarietatem. cui uarietati non esse impositum nomen dicit, qua uti possimus ad declarandum qunmodo infinitum uerbum, de quo agitur, diuersum a verbo sit, quemadmodũ nominis & uerbi uarietati nomen est tributum, quomodo ipsam appellemus, cum alterum nomen, alterum uerbũ nuncupamus, cum ergo in uerbo & infinito uerbo nobis duo nomina non suppetunt, quæ indicare nobis queant, hæc diuersa inter se esse, & alterum nomen habet, uerbumq; appellatur: alterum uero ab ijs, qui nomina rebus imposuerunt, neglectum nullam uocem obtinuit eiusmodi, qua significaretur, ideo ait differentiæ non fuisse in usu loquendi nomen impositum, hoc est proprietati infiniti uerbi, quam diuersam a finito uerbo habet: quam sane proprietatem par erat a nominum parentibus aliqua propria nomenclatione donari: quã ob rem ipse infinito uerbo nomen tribuens, censet infinitum uerbũ uocari: [quandoquidẽ inquit, tam in eo quod est, quam in eo, quod nõ est, æque inest:] id est, uere dicitur. aliquid autem etiam uere dici de eo, quod non est, tanquam ei non insit, neq; natura aptum vt conueniat, nihil uetat: ut cum dicam, hippocentaurus nõ ualet, aut nõ ægrotat. inesse autem aliquid ei, quod in rerum natura non est, nullo modo potest, His expositis differentiam inter uerba, & ipsorum casus nobis tradit, ut etiam in nominibus fecit. aitq;, quæ in præsenti dicuntur, cuiuscunq; personæ fuerint, uerba appellari, ut ualeo, uales, ualet: præsens uero intelligit, qnod late patet: nam in eo, quod momentum nocant, neque facere quicquam, neq; uocem ullam mittere possumus: quæ uero adsignificant tempus, in quo interiectum præsens est, (id autem præteritum & futurum uocat, tanquã hæc duo tempora præsens in se contineant) casus nerbi appellat: quasi cõmutatione quadã formæ a uerbis oriantur, quæ in præsenti tempore proferuntur. ut proprie uerbum sit, quod in tempore præsenti dicitur; utpote quod determinatũ quid significet. Si uero hoc etiam loco quærat quispiam, quare in principio hasce differentias definitioni nerbi Aristoteles nõ adiunxerit, nos non esse definitionem imperfectã, quam prius exposuit, dicemus, ut Herminus sassus est, sed plures esse uerbi significationes apud Aristotelem respõdebimus. atq; unius significationis definitionem esse, quę prius est data: alteram nero his uerbis, quæ nunc addita sunt, a philosopho describi. Verbum autẽ dici tribus modis apud Aristotelem inuenies, uel uocem omnem quæ tempus adsignificat, cuius pars nulla separatim significat, semperq; de altero dicitur, ut principio definiuit: quo sensu uerba etiam erunt uerba infinita, & casus uerborum: uel uocem omnem, quæ præsens solum tempus adsignificet, & aliquid definitum declarat: quæ significatio nobis exposita est his, quæ nunc tradidit: uel omnem uocem, quæ in propositione prædicatum facit: in qua significatione bonus, iustus, & animal, cum pro prædicatis capta sint, uerba dicentur. id quod in nulla antedictarum significationum inuenitur. Hanc uero etiam nerbi significationem agnouisse Aristotelem, ipse in principio tractationis admonuit, cum ait, [Quocirca perceptioni animi ei, quæ a uero & falso abest, nomina & uerba respondent: ut homo & id, quod album est, cum nihil additur præterea.] & in ijs, quæ sequuntur, eum habere eandem sententiã comperies: cum ait, Nomina autem & uerba traiecta & commutata idem significant. quod cum dixisset, ita hominem & album inter se traiicit, tanquam alterum nomen, alterum uerbum fit. ergo si in propositione hac, homo albus est, homo pro nomine sumitur, ut etiam initio dictum est, planum est, albus pro nerbo sumi. sique in reciprocatinne albus pro subiecto statuitur, & homo pro prædicato, patet hominem, uerbum: & album nomen appellari, sed hęc dicendi ratio contra naturam est: sicut etiam cum hominem accidere domino dicimus, ideo fit, ut homo non proprie uerbum posit appellari, cum albus nomen sit, neque de eo secundum naturam dicatur, cum uero albus de homine dicetur, tum & dicendi ratio secundum naturam erit, & prædicatum uere uerbum appellabitur: utpote quod significet id, quod homini impertitur, sitque natura aptum, ut de eo ut subiecto prædicetur. atq; his quidem ita expositis, quæ de uerbo deinceps dicat Aristoteles, consideremus.

Ac uerba si sola dicantur, nomina sunt, significant que aliquid. Nam & qui ea enunciat, intelligentiam imprimit in animo: & qui audit, quiescit: sit autem nec ne sit res, nondum exponit. Neq; enim illud esse aut non esse est rei signum; nec si ipsum ens, nudum dicas. Id enim nihil est, adsignificat autem coniunctionem quandam, quæ intelligi sine ijs quæ copulantur, non potest.

Cum uerbi definitionem magis communem, magisque specialem uerbis prædictis exposuerit, his nunc uult, quomodo affecta uerba sint ad aliquid uere aut falso significandum declarare. In principio autem, ubi de relatione, qua affectæ sunt res, animi perceptiones, & uoces communiter disseruit, iam de omnibus uocibus simplicibus dixit, eas perceptionibus animi similes esse, iis quæ sine coniunctione, aut disiunctione sunt: quæque nec uerum, nec falsum admittunt, id quod nunc uult apertius cõfirmare: idq; facit ostendens, quod maxime inter uoces simplices uidetur uerum falsumque admittere, uerbum inquam, horum neutrũ significare.

significare. alteram enim orationis partem, nomen uidelicet, illic pertractans, ostendit, quamuis maxime compositum sit, ut callippus, & hircocerius, significare quidem naturam quandam, aut notionem, non tamen uerum aut falsum, nisi aliquod ei uerbum adiungatur. hic uero de uerbo eandem nobis exponens sententiam, ait illud quidem actiones, affectionesque significare, non tamen uerum aut falsum, nisi quod ei nomen addatur. ait enim, [Ac uerba si sola dicantur, nomina sunt, significantque aliquid.] nomina appellat pro eo, quod est, significãt. quocirca ut hoc clarius aperiret, addidit, significantque aliquid. deinde ut confirmaret, uerba aliquid significare, deinceps subiungit: [Nam & qui ea enunciat, intelligentiam imprimit in animo, & qui audit quiescit.] an hoc ait, nos præfinire notionem uerbi, ut uerbi ualere, quæ simul cum longitudine prolationis se se porrigit, & tanquam in longum cum expressione dictionis fertur, nos sistere, & imprimere in animo cum totum uerbũ dixerimus, aut audiuerimus: an etiam, si quis rogarit, quid agat Socrates fortasse, cum ille animi dubius, atque anceps sit, quod multa cogitet, quæ in eo esse singula possint, nullumque eorum certo sciat tale esse, quod ei insit, is uero qui respondet, dicat Socratem deambulare, aut disputare, is intelligentiam firmauit, & ambiguitatem sustulit: quiq; percunctabatur, cum prius uaga & non definita sententia ferretur, ubi responsionem uerbo factam accepit, acquieuit. quare uerbum pronunciatum, aliquid significauit: si modo hæc uerbo prolato, euenerunt. is autem qui uerbum pronunciauit, egit aliquid: quia mentem eius, qui interrogauit, firmauit. ille uero audiẽs passus est: nam quieuit. hinc ergo perspicuum est, uerba significare. [Sit aũt, inquit, nec ne sit res, nondũ exponit.] significat solum uerbo sit, affirmationem: cum uero addit, nec ne sit, negationem. Vel potius, cum ait sit, indicat uerum: cum uero, nec ne: falsum. qui enim dicit res ut sunt, & earum natura postulat, uera dicit: qui ut non sunt, falsa. significant quidem inquit, uerba affectionem, aut actionem, sed ueritatem, falsitatemq; nondum declarant: quod syllogismo concludens ait his uerbis, [Neq; enim illud esse, uel non esse, rem indicat.] hęc autem probatio a maiore ducta est. qua efficitur, uerba nec uerum nec falsum admittere. si enim uerba primitiua, & quæ latius patent, & in quæ cætera resoluũtur omnia, queq; ipsum inesse aut non inesse proxime, & nullo interiecto medio significant, per se enunciata. nec uerum nec falsum declarant, multo etiam magis alia uerba sunt ab hac ui remota: sed si primum, ergo & secundum. uerba autem primitiua, quæque latius, quam alia patent, & ad plura pertinent, & in quæ alia dissoluuntur, capit hæc, est, & non est: quæ ipse esse & non esse uocat: quod uerba omnia in hæc & participium resoluantur: in horumq; alterum uerba finita, ut in uerbum est: in alterum uero, ut in non est, infinita redigantur: ut currit, currens est; ualet, ualens est: non currit, currens non est: non ualet, ualens non est. Si ergo hęc uerba, quæ huiusmodi sunt, nec uerum, nec falsum significant, quomodo poterunt uerum aut falsum significare ea, quæ sunt his posteriora, quæque auxilio horum inesse, uel non inesse rem indicant? atque hæc quidem uerba est, & nõ est, neque ueri quicquam, neque falsi significare, fortasse est per se perspicuũ. nam qui millies dixerit, est, est: nõ est, nõ est: neutrũ horũ significarit. Id etiã simili ratione confirmat a maiore, accipiens aliquid uerbo est antiquius, & magis principale, ut ens, a quo uerbum est, a quo deinde non est, prodiit. nec ipsum ens inquit, quod nomen est, sicut neque etiam uerbum est, quod ab ipso ortum duxit, est rei signum, hoc est, non declarat rem uere esse dictam: si ipsum inquit, nudum dicas, hoc est, per se. ipsum tamen uerbum est, & item nomen ens per se dicta, significant aliquid ipsa quidem: sed tamen, licet millies proferantur, hoc eis esse attributum, & natura datum, ut uerum aut falsum indicent, plane negat. solæ enim orationes, quę ex nominibus uerbisq; fiunt, ut sæpe dixi, possunt horum alterutrum declarare natura: sed utrunque horum & est, & ens, simplex est, & longe ab omni tali compositione abest, Ergo si uerba ita, ut diximus, legenda sunt, (neq; enim ipsum esse, uel non esse rem declarat) eam expositionem, quam attulimus solam ea confirmantem comperies: sin autem, ut Porhpyrius philosophus scribit, neque enim illud esse signum est rei, uel nõ esse: quanquam ipse quoque progrediens & priorem lectionem agnoscit, & explicationem probat: sensus erit, ut de omnibus uerbis communiter loquatur, dicatque ab eis significari quidem aliquid, ut dictum est, non tamen uerum quicquam, aut falsum: ut etiam indicat his uerbis, [Sit aũt, nec ne sit res, nondũ exponit,] cuius rei afferet rationem, cum subiungat, neque enim illud esse, uel non esse, rei est signum, hoc est, uerbum per se dictum, non significat rem quæ ab ipso declaratur inesse, uel nõ inesse: quod si faceret, tunc ueri & falsi per se capax esset. nam qui dicit, deambulat, significat ille quidem actionem quandam, sed de ea nihil nec ueri, nec falsi dixerit, nisi addito subiecto, cui deambulare dicat inesse uel non inesse, itaque ueram aut falsam orationem efficiat. Iam uero, quod ait, [Illud autem esse, uel non esse, non est rei signum,] idem est, ac si dicas, uerbum per se dictum non significat uel rem esse, id est rẽ, quæ ab ipso declaratur, quod affirmatio facere consueuit: uel nõ esse, quod negatione declaratur. atq; hæc quidem de omni uerbo generatim dicta sunt; quod uero addit, [ne si ipsum ens per se nudum dicas,] ad sensus huius expositionis a maiore confirmabit, nullum uerbum esse ueritatis aut falsitatis capax. quomodo enim illud ab eo confirmabitur, nisi rursus per uerbum est, quod ab ente deductum est, commune uerbõrũ omniũ. deinceps uero infert. [Id enim nihil est.] ait autem ens nihil esse, non ut uacans significatione, neque ut homonyme de rebus dictum: sed ait nihil esse, id est, neque uerum, neque falsum. [Adsignificat enim inquit, coniunctionem quandam, quæ intelligi sine iis, quæ copulantur, non potest.] hoc est, pars coniunctionis efficitur, ut eius, ens est: in qua coniunctione uerum, & falsum spectatur, quam coniunctionem sine iis, quæ copulantur, hoc est sine simplicibus non licet cõtemplari. id igitur quod ait, clarum est. ens uero adsignificare coniunctionem, nec solũ ens, sed simili etiam modo quamlibet uocem simplicem, non uidetur eo modo dictum, quo uerbum adsignificare tempus docuit: sed pro eo quod est, cum alio quodã significare, hoc est, iunctum alteri cuipiam significare coniunctionem, quæ ueri, falsiq; capax sit: cuius coniunctionis simplicia sunt prę noscenda, sicut autem hæc adsignificandi expositio non placeat, is Alexandrũ audiat, qui ait, Aristotelem, per hæc uerba, [Id autem nihil est, &c.] iterum de uerbo est, disputare: cum sermonem de ente interiecerit: tanquã id, cum per se sit dictum, quid ueri aut falsi possit significare: atq; ipsum est, uel non est, (eadem enim de utroq; est ratio) per se pronunciatum, neque uerum neq; falsum significare suapte natura queat: cum uero nomen quoddã sit, ut cætera itidem uerba, habere quidem primaria ratione facultatem significandi participationem aut priuationẽ entis, secundaria uero coniunctionẽ prædicati cuiuspiam cum subiecto: quibus adiunctum & perfectam orationem, & uerum falsumq, significantem reddit. nam & si proxime quoque, & nullo interiecto medio de subiecto dicitur, tum potestate etiam ipsum uerbum est, cõiunctionem cum ente significat: ut Socrates ens est. uerbum uero non est, diuisionem indicat: aut utrunq; etiam coniunctionem. Vt enim in libris de anima dictum est, is qui aliquid non esse album dicit, ipsum non esse album subiecto coniunxit. Cæterum cum Aristoteles partium orationis, ut nominis, & uerbi cognitionem nobis explicarit, deinceps ad orationem, quæ ex illis constat, tractandam aggreditur, atque ait,

DE ORATIONE.

Oratio est uox quæ significat, cuius pars aliqua seiuncta ut dictio, non ut affirmatio, significat. ueluti homo aliquid significat, non rem esse, aut non esse: cui tamen si quid adiunctum sit, uel affirmatio erit, uel negatio, non uocabuli hominis sola comprehensio. neq; enim in hoc uerbo sorex, illud rex quicquam significat, sed uox est solum. in cõiunctis autem significat id quidem, ut dixi, sed non separatim.

Quid

Quid causæ sit hoc loco, cur post nominis, uerbiq; expositionem oou disserat de affirmatione & negatione, tum de enunciatioue, postremo de oratiooe, ut pollicitus est: sed ordinem in eis pertractandis contra, quam in principio numerauit, conuertat, eaq; expooat, quæ declarãda prius erant, nos iam ante diximus. nunc uero ea declarãtes, quę ad exprimendam orationis proprietarem pertinent, ut esse uocem significantem, prætermittimus, ut pote quæ ualde perspicua sunt, & io defioitioue partium orationis iam ante proposita. Quod uero in alijs dixit ex instituto, hic omisit, ut quod notum iam sit factum ex ijs, quæ de nomine, quod ex instituto est, tradita sunt: in uerbo autem, ut quod simili modo se habeat, idem est assumptum, & ut paulo post accommodare & in tempore repetendum, ut simul confutaretur opinio contraria, in qua erant, qui uerbum non esse impositione hominum, sed natura constare existimabant: fortasse uero, & tanquam a consequeote differentia cõprehendatur. Quod uero ait, [cuius pars aliqua seiuncta significat,] soli uoci articulatæ conuenit, quæ ex nostro instituto constat. hoc autem, habere ipsam, aliquam partem significantem, orationem ab eius partibus per se absolutis, ut a nomine & uerbo distinguit: quia illorum oulla pars separata aliquid significabat: at orationis partes quædam, ut oomina & uerba, significant: non tamen absolute dictum est partes orationis significare, si per se sumptę sint, sed partem aliquam: quod factum est, propter particulas negantes, quæ in negationibus statuontur, & item propter articulos, & coniunctiones: ut cum dico, hic homo animal est: uel Socrates quidem sedet, Plato uero ambulat: quæ partes orationis communius appellantur: sed per se cõsiderata uacant significatione: ac non solum hæ sunt huiusmodi, sed etiam nominum ac uerborum partes, quæ nihilo minus partes esse uidentur orationis ex ipsis compositæ, significatione omnino carent, ut sæpe dictum est: quam ob rem dixit aliquam partem orarionis significare, ac significare quidem, ut dictionem, oon ut affirmatiooem. dictioné uero esse simplicem uocem, ut etiam prius diximus, cum pro parte orationis enunciantis sumatur, illud etiam plane declarat, quod subiunget: ac nomen quidem ac uerbum dictiones sunt tantummodo: quandoquidem non potest is, qui sic aliquid, uoce exprimit, enunciare aliquid. quoniam igitur oratio omnis partes aliquas significantes habet, eæq; in aliquibus orationibus uoces sunt simplices, quas in propositionibus appellari dictiones: in aliquibus uero sunt integræ affirmationes, aut etiam oegationes, ut in oratione hac, Socrates sedet, & Plato non sedet, hæc Socrates sedet, affirmatio est: hæc uero, Plato nõ sedet, oegatio: sed orationes, quæ habent pro partibus affirmationes & negationes, habent etiam dictiones, ex quibus illæ constaut: at quæ dictiooes habent, eæ non omnino affirmationes & oegationes habent: ideo cum philosophus uelit eam partem exprimere & statuere quæ semper in orationibus significat, hæc addidit: oe ni fortasse, cum aliquas orationes habere pro partibus affirmationes, aut negationes, existimes ita quoq; debere partes orationis significantes esse, ot aliquid de aliquo inesse, uel non inesse declarent: sed scias ita partes orationis considerandas esse, ut solum naturam aliquã, uel actionem dicãt, atq; declarent: Atq; illud quod ait aliquam ex partibus orationis ita significãrem esse, ut aliquid de aliquo inesse indicat, non est ita per se intelligendum, ut ad articulorum, cõiunctiooum, & cõsimilium distinctionem sit dictum, sed totum est deinceps legendum hoc modo, [cuius pars aliqua significat, ut dictio,] ad coniũctarũ partium differentiam, quæq; iam per negationé dictæ sunt: perinde ac partes omnes orationis significent, sed aliæ modo dictionum & uocabulorum, & quæ in omni oratione oecessario considerentur: aliæ uero modo enunciarionum, quæq; in simplicibus spectari orationibus non possint: ot hæc quoq; consona sint omnibus ijs, quæ alioqui de partibus orationis ab Aristotele, atq; Platone orationem in nomen & uerbum tantummodo diducentibus, sunt monimentis literarum consignata. Non est etiam admirãdum, si partes nominum & uerborum nobis dignę non habeantur, quę orationis ex eis coniunctæ partes proprie nominẽtur: quippe cum in omnibus ijs, quę omnibus numeris absoluta, & perfecta sunt, singulas partes ex proxima integritate significare consueuimus: ut lignum exiguum ex nauis præcisum gubernaculo, aut ex carina, appellamus quidem horum partem, sed tamen non ita uocamus ad nauim referendo. idem fit in cæteris, quæ arte, quæ natura constant. nam syllabas nominamus, primas elementorum cõiunctiones: nomen uero trisyllabum, aut quadrisyllabum dicimus, ceu simplex quodlibet ad id referentes, quod ex ipso est proxime compositum. Præterea oero partes nominum, & uerborum sola pronunciatiooe, noo ex ui significationis esse ipsorum partes dicentur. ideo ante dictum est, nullam ipsarum partem separatã significare. quare & orationis partes esse & nõ esse eædem dici possint: at nomina ipsa, atq; uerba sua compositione, nec solum pronunciatione, sed et significatione orationes efficientia, & ui significandi in primis prædita, merito partes etiam primæ orationis oominãtur. quocirca Socrates in Cratylo, nomen perexiguam orationis partem esse dixit, nomen inquam quod late patet, quod scilicet de eo, quod proprie nomen appellatur, & de uerbo prædicatur. si uero quis quærat, quomó, omnem orationem habere partem significantem dicamus, & tamen ad eam, quæ uocans appellatur, unum nominis casum sufficere nideamus, ut in hac, Hector, aliud uero sit orationis enũciantis, ut at tu mihi pater es, & Mentor, at hoc præstat: est reliqua mandati pars non uocationis: nos ita explicabimos quæstionem, ut dicamus uocationem, aut reuocationem uno quidem nomine fieri, quod in hoc casu proferatur: sed orationem non esse oocantem, nisi ex multis sit contexta nominibus, aut casibus congestis, ut Atride o felix, o fortunate, beate: & o Nestor Neleiade: & cætera huius generis: si modo idem non est nomen, & oratio. Cum autem dixerit, partem orationis significantem esse, ut dictionem, noo ut affirmationem, non tamen addidit, neq; ut negationem, tanquam id esset planum. qui enim non putat partes orationis spectandas esse, ut affirmationes, sed ut uoces simplices, is etiam multo minus ut negationes esse considerandas existimabit: cum negatione cõtineri quoque affirmationem necesse sit. quæ cum ipse quoque declararet, exemplum dictionis accepit, hominem: qui ut inquit, aliqnid significat, non tamen rem esse, aut non esse: hoc est neque affirmationem, neque negatiooem: quod ut clarius faceret addidit, [cui tamen, inquit, si quid adiunctum sit, uel affirmario erit, uel negatio:] erit inquam uerbum nel affirmatum, oel negatum. atque ita ex his est etiã perspicuum, Aristotelem hoc loco, partem enunciatioois quæ significans est, propterea quod significet, dictionem appellare. ac differre quidem orationes a uocibus simplicibus, quod oratiooes partes significantes habeant, ipse admonens ait, [sed nõ hominis una syllaba:] ut subaudiatur communiter, aliqnid significat: siquidem dictum est, uelut homo aliquid significat: ut postea adhibeatur distinctio, tũ pergamus, sed non hominis una syllaba: quod iterum coofirmans, hoc est uocum simplicium partes nihil significare per se, a maiore probar, cum ait; [Neque enim in hoc uerbo sorex illud rex quicquã declarat: sed uox est solũ.] id uero est, quia rex, si per se dicatur, significat regni dominũ, cum uero, ut pars huius nominis sorex capitur, nihil significat omnino. nunc uero, cum uelut pars cõsideratur, uox solum est, nihil a non significantibus differens: sed in nominibus simplicibus, ut ante dictum est, nullo modo partes significabunt: ot in his nominibus homo, & sorex, in hoc enim ultimo pars rex nõ uelut alij cuiquam iuncta fecit nomen sorex, sed casu & fortuna incidit in nomé quod regni significat dominum. quocirca si ut pars huius simplicis nominis, sorex, capiatur, oe cogitatione quidem quicquam significat. oemo enim audito hoc oomine sorex, in regis iotelligentiam & notionem uenit: ut qui audit nomen callippi, aut hircocerui, nooremanet expers notionis equi, aut cerui. atque ita quidem in simplicibus. [Io cõiunctis uero inquit, uult illud quidem, ot dixi, sed nõ separatim.] id est uidentur quidem partes significare, quia coniunctio quædam multorum nominum in dictione perspicue apparet, quamuis una sit ex eis emanans significatio, una animi perceptio,

ceptio,

cepcio, unaque res: sed re uera ne hæc quidem significant, si per se dicantur. argumentum uero est huiusmodi: si uoces quæ per se significant ut rex, quando fiunt aliorum nominum partes, omni uacant significatione. cum a propria atque sua integritate adimuntur, quid cogitandum est de una hominis syllaba, aut alijs partibus nominum, quæ etiā non sumptæ in nominibus nihil uidentur significare? itaq; hæc clara sunt. Ex ijs autem, quæ hic Aristoteles tradidit, colligendum est, non eam solum appellandam esse orationem, quę perfectam, absolutamque sententiam: sed quæ etiam imperfectam conficit: nam ei quoq; conueniunt ea omnia, quæ de oratione sunt dicta.

Quanquam autem ex instituto, quemadmodum dixi, non ut instrumentum, omnis significat oratio, non tamen omnis enunciat ac dicit, sed ea sola quæ uel uerum uel falsum complectitur. Neque enim omnes complectuntur. uelut precatio, oratio est illa quidem, sed nec uera nec falsa. Ac cæteræ quidem quoniam artis rhetoricæ uel poeticæ propriæ sunt, ab hac arte omnes expelli ac repudiari debent, quæ autem quid de quodam dicit, ea sola retinenda est.

Aristoteles syllogismum quendam hoc loco reprehēdit, qui orationem non esse ex hominum impositione, sed natura constare, probare uidetur. ecquis igitur hic est syllogismus? oratio inquit, instrumentum est uocalis facultatis, quæ nobis inest natura: ea nanque, perinde atque instrumētum sit, inter nos quæcunque uolumus significamus: omne autem naturalis facultatis instrumentum est ipsum quoque natura: ut oculi instrumenta in nobis sunt facultatis uidendi, & naturæ, non artis sunt opera: aures itidem audiendi: & aliæ quædam partes aliarum functionum: oratio igitur natura est, & nihil habet a nostra cogitatione. Itaque cum duæ sint propositiones in syllogismo sumptæ, Aristoteles maiorem quidem concedit, qua dicitur, omne instrumentum cuiusque naturalis facultatis esse natura: minorem uero reprehendit, quæ ait, orationem instrumentum esse uocalis facultatis nobis a natura tributæ. ergo quid sit nostræ uocalis facultatis instrumentum, dicendum est: quoniam cum sit naturalis, instrumento indiget, ut etiam aliæ singulæ naturales facultates. cum ergo eius sit oratio, eaque nō esse instrumentum dicitur, non erit natura, sed impositione: organa autem uocalis in nobis facultatis erunt pulmo, & arteria, quæ aspera nominatur. hæc ut uocis, quæ simpliciter capiatur: ut uero articulatæ, quænam sunt uocalis in nobis facultatis organa? lingua, palatum, & cætera quæ ita uocalia, seu loquendi instrumenta appellantur. oratio autem erit eius opus, quæ eiusmodi horum instrumentorū motu facta sit: quam ob rem, eam esse natura, non est necesse: opera enim naturalium facultatum, nihil prophibet esse ex impositione: ut in saltatione conspicimus. cū enim motus loci facultas in nobis sit, saltatio, quæ huius opus est, impositione constat: est enim in saltatoris potestate, hoc atque illo modo manus moueat, significare exempli causa Achillem, aut alias etiam alium forma atque gestu referre, aut etiam aliquo illius accidenti indicare. ut igitur motus loci naturalis est, saltatio uero est positione, & ex instituto, & lignum est natura, ianua uero positione, ita etiam uocem emittere est natura, significare autem nominibus aut uerbis, aut orationibus, quæ ex ijs cōstant, quæ ex uoce incondita, ut ex materia, essentiam nanciscuntur, & a nostra cogitatione, non natura, sed ex instituto formā sunt adeptæ, positione est. Videtur autem homo facultatē uocalem, quæ instrumentum est earum facultatum, quæ in animo nostro cognitionem, aut appetitum gignunt, secundum naturam, æque ac reliquæ animantes rationis expertes, esse cōsecutus: uti uero noībus, aut uerbis, aut orationibus ex his iunctis ad significandū quid, quæ nō iā natura, sed ex hominum impositione sunt, habuit præcipuum præter bruta. quam etiam ob rem soli inter mortalia animus datus est, qui motu suo cieatur: quique ex arte agere possit: ut etiam in uoce edenda uis artificiosa discernatur. id quod comptæ orationes metris iunctæ uel solutæ declarāt. ergo & orationem & eius partes, nomina inquam, & uerba, ex instituto hominum esse, multis est argumentis comprobatum. sed quoniam ipsam quoque esse organum diximus, quo nomina, uerbaque significentur, quid sit, quod ea pro organo utatur, exponendum est. perspicuum sane est hac uti animam quam cogitatiuam uocant: cuius solius opus est, uti oratione. sed si cui mirum uideatur, cum sit ex instituto, quomodo ullius naturalis facultatis esse instrumentum possit, cum regula sit, natura esse omne facultatis naturalis instrumentum, dicemus, hanc uim in qua ratio & ars elucent, supra esse, quam natura sit, ut pote quæ ab omni etiam corpore separabilem essentiam sortiatur. Hæc autem probari etiam ipsi Aristoteli, argumento sunt quæ in extremo secundo physicorū dicta sunt, ubi animantes rationis expertes, non ex arte, sed natura agere ait, quod mēte orbatæ sint, ut pote ars ex quadā insita nobis ui, quę naturā superet, progrediatur: in quibus nō arte, sed natura quadam ait hirundinem nidum cōstruere, & araneam telam contextere. Nam quid opus est, eas afferre demonstrationes, quæ in libris de anima, mentem a corpore separabilem esse declarant? quam ob rem nihil mirabile est, hāc per naturales agentem potentias, illarum quoque instrumentis, quæ naturalia sunt, uti, aliaq; instrumēta quędam ad suas actiones accommodata sibi ex arte construere. ut autem ad corpus tuendum, & ad hostes propulsandos naturalibus utitur instrumentis, ut manibus & pedibus, cum facultas in loco mouendi natura constet, sed utitur etiam arte comparatis, ut gladio, & hasta, & in agricultura, & ædificatione, & in cæteris artibus, quarum omne opus in agēdo aut faciendo est: ita etiam animus in significando procedit: quippe cum naturalibus instrumentis facultatis eius, quæ ad uocem & loquelam attinet, ut pulmone, ut lingua, ut palato, ut dentibus, & labris utatur, sed orationē quoque, uel eius partes, quæ ex arte, atque ex instituto constant, adhibet uelut futura significandi instrumenta: atque ipsarum ortum ex naturali materia, hoc est, ex uoce, trahit: ut etiam ex ferro gladium, & ex ligno temonem fabricatur. Hactenus Aristoteles nobis tradidit orationis elemēta, ut nomen & uerbum, & item ex ijs iunctam orationem quæ hoc communi nomine uocatur, ex quibus sermo omnis exoritur, deinceps uero, ut initio proposuerat, ad enūciantis orationis contemplationem aggreditur, quam simplicis orationis unam esse speciem non secus, quam uocātem, precantem, interrogantem, & imperantem esse memoranimus: quarum sane quælibet perfecta est, atq; absolutam sententiam per se significat. ut enim hæc, Animus immortalis est, aliquid declarauit, ita hęc, uiri qui hoc iudicium exercetis, & hęc, utinam philosopharer, & hæc, quando uenisti? & hæc, accede ad illum. atque alia quidē genera orationis ait repelli ab hac tractatione, quæ philosophica & dialectica est, debere: cum ea artis rhetoricæ, aut poeticę sint propria: propterea quod qui in utranq; harum incumbunt, in ipsis per se orationibus uersantur, ut rhetores in numeris, comprehensionibus, & figuris sint toti, grammatici uero in metris, primarum dictionum formationibus, coniunctionibus, deductionibus, ac declinationibus, ac cæteris huius generis inuoluti. quinetiam imitari quosdam solent, qui alios uocent, aliquibus imperēt, aut interrogent, aut denique deprecentur, sæpe uero etiā ex sua persona aliquam ex ijs actionibus obeunt, ut cum aiunt, Primum Deos omnes immortales, Deasque rogo, Athenienses, ut quantam beneuolentiā ego erga rēp. semper habui: tantā uos mihi in hoc iudicio præstetis. uel cū aiūt, Tu istic exurgens mihi responde. qui ergo hasce artes colunt, habentq; orationem pro subiecta materia, quā contēplentur, uideant utrum hæ solæ sint præter enunciantem, orationis species, an uero aliæ quoque reperiantur: atque utrū unaquæque in finita, an uero infinita diuidatur: immo uero per quos numeros finitos in unaquaque ab uno ad infinitum progrediendum sit. debet enim quisque artifex res suæ tractationi subiectas & propositas contemplari, prout in Philæbo Socrates censuit. hoc autem munus esse rhetoricę

aut poeticæ uidetur, sed non per se, sed eius, quæ communi nocabulo ars dicendi nominatur: quam diuinus Plato in Phædro post palinodiam nos docuit: cuius est tum poetices, tum rhetorices principia pertractare. ad hoc uero institutum ait pertinere solius enunciantis orationis cognitionem: quia scientiæ demonstratiuæ principia tradere nobis proposuimus: quique de iis agit, nullam aliam orationis speciem, præter enunciantem, debet tractare: quam soli philosopho licet contemplari, cum eam ad demonstrationem adhibeat, & necessariam ad illius comprehensionem esse intelligat, quaque sola posse diligenter naturam rerum nosse uideatur. Cum enim duplex sit orationis relatio, quemadmodum philosophus Theophrastus distinxit, quarum altera ad auditores pertinet; quibus aliquid declarat: alia ad res, de quibus qui uerba facit: persuadere auditoribus aliquid sibi proponit: de ea, quæ ad auditores refertur, poetæ & oratores agunt. debent enim illi nomina grauiora & elegantiora seligere, non communia & peruulgata, eaque inter se concinne numeroseque contexere, ut & iis, & cæteris, quæ hæc consequuntur, ut perspicuitate, suauitate, cæterisq; formis dicendi, præterea nero breuitate, ac prolixitate, cum omnia in tempore adhibeantur, perducere quo uelint auditorem, & nnde uelint deducere, atq; in admirationem compellere, ac demum ita afficere, ut suadæ mancipatus sit. eam uero orationis relationem, quæ ad res pertinet, philosophus præcipue curat, cum falsum reprehendit, & uerum ostendit: quorum utroq; enunciationem quandam controuersam euidentibus enunciationibus concludere instituit. atq; hæc enuncians oratio cum in eo cōueniat cum cęteris orationis generibus, quod aliquid significet, quam naturam habeat, & quomodo ab alijs orationibus differat, ante hæc Aristoteles nobis exponit: [Non tamē, inquit, omnis est enuncians, sed ea sola, quæ aut uerum, aut falsum complectitur.] sciēdum autem est, enunciantis orationis definitionem nobis his uerbis tradi: cum ei nihil opus sit affirmatione & negatione, ad hęc aperienda. quod cum quibusdam postea facere uideretur, præbuit eis suspicandi causam, enunciationem eo modo diuidi in affirmationem & negationē, quo uoces homonymæ in uarias significationes, non quo genera in species distribuuntur. atqui uocis homonymæ nullā cómunem naturam significantis quænam sit definitio? si uero ad definitionē affirmationis & negationis adhibetur etiā enunciatio, ut cum dicet, [Affirmatio est enunciatio, quæ aliquid de aliquo dicit: Negatio est ennnciatio, quæ aliquid inesse cuipiam negat;] quomodo nó est maxime perspicuum, enunciationem esse genus utriusq;: cum nulla uox homonyma ad cōplendas definitiones adhibeatur? quocirca definitionibus speciei orationis enunciantis, de qua præcipue aget hoc libro, ipsius species, ut affirmationem & negationem connectit, his nerbis:

Est autem primum enunciationis genus, affirmatio deinde negatio: cætera vna coniunctione fiunt.

Quibus inquam uerbis duplicem esse orationis unitatem ait, alteram ipsarum per se, uelut suapte natura eis insitam; ut in hac, Socrates ambulat: alteram positione, quæ extrinsecus ei adhibetur ab ea parte, quæ ob hanc causam appellatur coniunctio: ut in hac Socrates sedet, & Plato deambulat. cum enim perspicue duæ hoc loco orationes sint, altera Socrates sedet, altera Plato ambulat, coniunctio, &, interiecta media, uelut colligare, atq; in unum ambas sua ui conducere uisa est. eadem ratio est omnium earum orationū, quæ hypotheticæ nominantur: siquidem illæ quoq; ex multis simplicibus orationibus constant, sed iunctæ & in unum conductæ ea coniunctione, quę continuatiua appellatur, ad hunc modū, si dies est, Sol super terra est. has enim duas orationes, ut dies est, & hanc, Sol super terra est, cōiunctio, si, colligans opinionem unionis efficit. atque huiusmodi quidem orationum unitas non unam declarat ęssentiam, cum multa ab eis plane significentur, sed unam earum substantiarū, quas significant, cōsequentiā, aut unam diremptionem indicant, uelut in ijs orationibus, quæ per disiunctionem efferuntur; qualis est hæc, uel dies est, uel nox est. quocirca ea oratio, quæ unam substantiam declarat, quæq; una propria est, ligno quod nondum sit dissectum, & ob id unum dicatur, proportione respondebit: quæ uero plures substantias indicat, & coniunctione quadam unita esse quodam modo uidetur, respondet naui ex multis lignis constructæ, sed quæ ope clauorum unitatem habere uideatur. hæc autem oratio, quæ proprie una est, & ob eam causam prior est ordine naturæ, nec una est, quod coniunctionem habeat, partim est affirmatio, partim negatio. sed quædam etiam inter affirmationem & negationē differentia est non in eo, quod una sit, quia utraq; una est pari modo, nec indiget externi auxilij ut una sit, sed quod prior altera sit. neque enim eodē modo affecta utraq; est hac in re, sed negatione prior affirmatio est: quod ex nerborum simplicitate apparet. nam si negantem particulam assumat, fiet negatio. necesse autem est, ut id, quod capturū appendicem sit, constet prius, quam id ipsum, quod ex additione perficiatur. hac etiam de causa Aristoteles ita unam primam enunciationis speciem dixit esse affirmationē, deinde negationem. ut deinde non ad unam, sed ad primam referatur. quam ob rem consentanea Aphrodisiēsis sententia de enunciatione uidetur esse, qui eam affirmationis, & negationis esse genus negat: quomodo enim, in quibus prius est, & posterius, id quod de eis communiter dicitur, esse genus poterit? an hunc ordinem nactę sunt, non quia sint enunciationes, cum utraq; uerū, falsumq; recipiat. sed ex aliquo foris accidente, hoc est dictionum simplicitate. tunc enim dicimus ei regulæ locum esse, cum ea quæ subiecta sunt illi quod cómuniter prædicatur, ex eo primū & posterius obtinent. quod multis in locis est abunde demonstratū. hic uero & si enunciatio de affirmatione, ac negatione cómuniter prædicatur, tamen non dicimus, affirmationem esse primam enunciationem: negationem uero, secundam: sed primum & secundum in eis ex uocum simplicitate, ut diximus, intelligendum est. Porro cum Aristoteles perspicue dicat, singulas orationes enunciantes, præter affirmationē & negationem, omnino unas esse coniunctione, quæret aliquis; quid dicamus de oratione hac, Sole terram luce complente dies est: hæc enim neque simplex oratio est, neque uidetur coniunctione ad se uniendam indigere. ad quem esset dicendū. duas absolutas enunciationes ad unam orationem gignendam sine coniunctione, quæ actu sumpta sit, iungi non posse. hæc enim, Sol supra terra est, quæ absoluta est, quomodo huic, dies est, quæ ipsa quoque est perfecta, sine copulatiua coniunctione annectetur? ac sæpe usu uenit, ut propositionem antecedentem cum coniunctione ita iungamus, ut non satis sit ad enunciationem faciendam: sed potentia coniunctionem habeat, aut aliquod aduerbium quod hac in re par sit coniunctioni. & cum sequenti, quæ absoluta remansit, coalescat, ut ea, quæ proposita est, cerni potest. hæc enim, Sole terras larga luce complente, imperfecta est ad enunciationem efficiendā: sed potentia habet aduerbium, quando, uel coniunctionem continuatiuam, si: ut idem sit, ac si dicatur, quando Sol terras illustrat, uel si Sol terras illustrat: quorum utrunq; ad propositam enunciationem faciendam, propter coniunctionis, aut aduerbij adiectionem, imperfectum est, non secus, quam id, quod hæc in se potestate complectitur: quale est hoc, Sole terram illustrante: ex quo fit, ut cum sequenti, quod est, dies est, perinde atque illa, coniungi possit.

Sed omnis ex verbo aut casu verbi constet enunciatio necesse est. Etenim hominis definitio, nisi est, vel erat, vel erit, vel aliquid tale adiungatur, nondum quicquam enunciat. Nam quid ita totū hoc, animal gradiens bipes, vnum quiddam, non multa declarat (neque enim vnam conficient orationem, etiamsi inter se continentur) non est institutæ disputationis.

Cum de oratione enunciante, eiusque partibus affirmatione, & negatione differere instituisset, cumque utrunque horum & prædicatum & subiectum quoddam habeat, horū differentiam quandam nobis declarat, quæ ad explicationem eorum, quæ deinceps dicenda sunt, ei erit adiumento. ait enim prædicatum in propositione omnino aut uerbum, aut

aut uerbi casum esse oportere: ac fortasse etiam uerbum infinitum, ut in negationibus usu uenit: quod uel ob hanc causam ad uerbum quoque adnumerasse Aristoteles uidetur: uel hoc loco, in quo præcipue de affirmatione agit, omisisse: subiectum uero esse uult non nomen semper, aut nominis casum, aut infinitum nomen, sed quandoque etiam orationem ex multis iunctam nominibus. nam cum dico, Socrates ualet, Socrates ualuit, subiectum est nomen: prædicatum uero tum uerbum, tum uerbi casus: cum uero dico, Socrates est, Socratem pœnitet, Socrates animal particeps rationis mortale est, subiectum in his non modo nomē aut casus nominis est, sed quandoque nomē infinitum, quandoque oratio ex multis nominibus conflata. uerum hæc nō ita aperte ab Aristotele propter breuitatem explicantur: cū enim de prædicato aperte esset locutus, de subiecto tantúmodo innuit, quid uellet his uerbis: [Etenim hominis definitio, nisi est, uel erat, uel erit, uel aliquid tale adiungatur, nōdū quicquā enūciat.] sed quid causę est, cur de prędicato nunc differatur, quasi sine hoc cōstare nō queat propositio: de subiecto uero non idem addatur: etsi utroq; horum propositio similiter eget, præsertim cum hoc etiam supra dictū sit, nomen uidelicet etiam si compositum sit, non posse uerum aut falsum significare sine uerbo: neque uerbum, sine aliquo nomine: ut in extrema tractatione uerbi didicimus. ad hanc quæstionē tollendam afferre licet ea, quæ philosophus Porphyrius scripta reliquit: in categorica nimirum enunciantis orationis specie, ad enunciationis essentiam, aut eius priuationem indicandam in prædicato maximum momentum esse. eoque fieri, ut inde etiam tota oratio categorica, id est prædicatiua nominetur: & particulam negantem in negationibus addimus præcipue prædicato, ut sublata affirmatione tollendo eam partem, quæ in ipsa primas fert, negatio efficiatur. quę causa fuit, cur hic Aristoteles de hac sola particula disseruerit: perinde ac nō fiat enunciatio, nisi hęc adhibeatur. An uero sit fortasse ad hunc sensum accommodatius, si dicamus, cum de nomine ageret, nobis significasse, qualecunque nomen sumptum sit, non satis esse sine uerbo, ad enunciationem efficiendam: [Idque inquit, hinc intelligi potest, quod tragelaphi nomē aliquid illud quidem significat, sed nondum quicquam uere, falsone dicitur, nisi aut esse, aut non esse omnino adiungatur, aut ad tempus accommodetur.] præterea cum de uerbo ageret, eadem de hoc ipso memorauit, non esse ipsum satis per se pronunciatum ad enunciationem efficiendam. hic uero nō addidit etiam sine nomine, quia occurri posset, propter eas propositiones, quæ orationibus pro subiectis utuntur: sed solum docuit, opus esse altero quodam, cui additum aut coniunctum uerbum effecturum est enunciationem, quæ esse, uel non esse declaret: In iis autem, quæ post illa tractauit, cum de oratione disputaret, diceretque eam esse uocem significantem, cuius pars significat, quod tam imperfectis, quam perfectis conuenire orationibus diximus: & ad enunciationis, eiusque partium tractationem pertrásiret, quasi ueritus, nequis definitiones, quæ orationes sunt ex multis conflatæ, & unam naturam significant, posse facere enunciationem putaret, ideo hæc nunc addenda existimauit, de quibus nihil adhuc disputasse uidebatur. Quoniā autem hic definitionum omnino facta mentio est, hæque orationes sunt quæ ex multis nominibus constant, quæ in substantia rei ipsius uersantur, & ob hanc causam unaquæq; earum una est: magnam autem diligentiam hæc tractatio postulat: quod quandoque ex multis nominibus simul prolatis una significetur substantia, unaque ex eis efficiatur oratio: quandoque uero non una fiat: ideo totam hanc rem ad perfectiorem tractationem reiicit, cuius officium sit ea quę sunt in eo quod sint, considerare. quocirca & in septimo, & in octauo de prima philosophia libro de hac re copiose disputabit: cum ait genus in definitione (ut quæ illic docet, summatim proponam) materiæ rationem obtinere: differétiam uero, præsertim ultimam, quæque soli rei, quę definitur, conuenit, fieri speciei effectricem, & propriam materiem perficere, cui ut iungatur, nulla externa ope indigere. quandoquidē non cum aliquo quod & separatū sit, & per se constet, unionem habet; sed est forma, proximæ materiæ affectio quędam, uniuersalis inquam & intelligibilis forma eius materię, quæ intelligibilis uocatur: quod idem est, ac si dicas, eius materiæ, quæ generalius intelligitur: & forma sensibilis & singularis eius materiæ, cui ita sit natura comparatum, ut conuenienter ei formæ afficiatur. his igitur de causis oratio quæ definitio est, una est, constatque non ex seiunctis prius, tum in unum coeuntibus proprietatibus: & singularum rerum unaquęque est. ita enim necesse est affecta res se habeat, quę cum propria affectione constat. ut in sphæra ænea apparet. neque etiam animo quisquam rem affectam concipiet, nisi affectionem quoque conceperit. quod igitur unam proprie efficit eam orationem, quę definitio est, & unam eam rem, quæ definitur, id in illis libris docet. causam uero, quam fortasse quispiam minus considerate attulerat, quod una efficiatur oratio, nimirum nomina, quæ ipsam conficiunt, deinceps inter se nullo medio silentio intercepta proferri, eam ipse ut ineptam reiicit his uerbis. [Neque enim unam conficient orationem, etiam si inter se continentur.] In ea enim oratione, quæ una est, nomina ex quibus ea constat, debent deinceps efferri, uoce non interquiescente: ceu cum singula per se proferimus, nec definitionem dicimus, sed nec propositionem ullam facimus, uerbo omnibus communiter admoto: sed tot uerbis adiungendis, quot etiam nomina in disiuncta enumeratione exprimuntur: ut animal, deinde particeps rationis, tum mortale est. uidetur enim in unoquoq; nomine uerbum, est, subaudiri. non tamen satis est, quæuis nomina deinceps, & sine intermissione pronunciare, ut una oratio efficiatur aut definitiua, aut enuncians. cum enim uel solas substantias quæ coalescere non possunt, ut species, uel indiuidua, uel sola accidentia significarint, nunquam ex eis una fiet oratio, ut si dicam, homo, bos, equus, uel Socrates, Plato, Alcibiades: uel philosophus, simus, caluus ambulat, propterea quod accidentia ad substantias adnituntur: ut quæ natura comparatum habeant, ut in eis tanquam subiectis consistant: non tamen id facient substantiæ uel specie, uel numero inter se disiunctæ: neque item accidentia, quorum nullum est, quod sine subiectis cohærere ullo modo possit. quam ob rem necesse est, ut in supra dictis subaudiri, aliquis, infinitum nomen, quod usum subiecti præstet, efficiatque, ut tota uera, aut falsa sit oratio.

Vna autem enunciatio est, quæ aut unum aliquid declarat, aut ex una uincta est coniunctione. Multæ uero quæ uel multa, & non unum aliquid significant, uel carēt coniunctionibus.

Cum simplicium enunciationum differentiam, quæ ex diuisione in primam & secundam ducitur, explicarit, affirmationemq; antecedere negationi docuerit, ideo earundē repugnantiam ex una & multis, quæ diuersa est ab ea, in qua prima cum secunda cōferebatur, nunc adiungit. Sciendum autem est, cum hæc duo, dictio inquam & significatio in omni oratione necessario spectētur, in dictione duas unius orationis differentias spectari: quarū altera est in simplicitate, & coniunctione ex multis orationibus simplicibus: altera uero in eo quod prima, uel secunda sit: ac præcipue quidem in simplicibus: per hæc uero postea in compositis: cum hic ordo ex qualitate propositionum, hoc est aiente, uel negante proficiscatur: in significatione quidē, una est, quæ ex uno & multitudine eorum, quæ significantur, habetur. ergo cum ex ijs repugnantijs quæ in dictione considerantur, unam tradiderit, quam declarauit supra, cum primam & secundā esse diceret his uerbis. [Est autem primū enunciationis genus affirmatio, deinde negatio:] tum docuerit, eas solas orationes unas debere appellari, cum addit, cæteræ una coniunctione fiunt, hoc est, non proprie. non tamen etiam addidit, eas, quæ cōiunctione unę sunt, ex simplici affirmatione, simpliciq; negatione compositas: quod si fecisset, differentiam quoque orationum enunciantiū, quæ ex simplicitate & coniunctione trahitur, nobis exposuisset: sed hoc in aliud tempus differens, hic differentiam earum, quæ oritur a significationibus adiungit, quæ & uere, & simulate unam efficit ora-

tionem. ac simulate quidem, unam: re autem uera, multas. paulo autem post perspicue addet eam repugnantiam, quæ ex simplicitate, & coniunctione, quæ ea multis simplicibus orationibus constat, perducitur. quo modo autem a significatis unam ac multas orationes discernamus, ipse docet. ait enim, cum uterq; terminus, in propositione unam certã naturam declarat, tum unam propositionem appellari, etiam si totam definitionem pro nomine, uel subiectum, uel prædicatum, uel utrũq; acceperis: ut cum dico, animal particeps rationis, substantia animata sensilis est, cum uero multas naturas uteruis terminus significat, tum multas eas propositiones dici: ac tot, quot erunt etiam numero significata, etiam si ab uno nomine illa significentur: cum enim dicimus Aiax solus cum Hectore pugnauit, nec de quo Aiace uerba fiant, distinguimus, quomodo poterit quispiã, qui sana mente sit, unam hanc esse propositionem affirmare; quam simul & ueram & falsam esse, uideamus? cuius etiam rei perspicua causa est. Cum igitur hanc a significatis differentiã, quæ in propositionibus spectatur, tradiderit, hoc loco ait unã esse enunciantem orationem, ac magis proprie, quæ unum significat, secundo uero loco, quæ coniunctione una est: multas uero, quæ multa significant, & non unum, uel quæ sunt disiunctæ. hic uero unam esse orationem coniunctione intelligendum est, non eam quæ in solis dictionibus acquisitam habet a cõiunctione unitatem, perinde ac manipulus, qui uinculo multa olera continens, unus esse perhibetur, ut cum dicimus, Socrates sedet, & Alcibiades deambulat: uel Socrates sedet, & Alcibiades sedet: uel Socrates & Alcibiades sedẽt. omnes enim hæ orationes quæ ita proferuntur, cum plures sint, solam unionem eam habent, quæ propter coniunctionem in dictionibus apparet: sed eas etiam intelligere debemus, quæ in syllogismis qui hypothetici nominãtur, per eas quæ connexiones & disiunctiones uocantur, assumuntur: ut si Deus bonus est, uniuersitas æterna est: &, uel ęterna est uniuersitas, uel genita: cum enim hæ plures sint, in dictione colligantur partim a continuatiua coniunctione, partim uero a disiunctiua: sed nescio quid plus habent, quam supradictæ, quod multarum rerum, quæ in eis comprehenduntur, uel consequentiam, uel separationem declarant. id ergo unum quoddam, quod ab iis significatur, est, hæc rerum consequentia, siue diuulsio. ideo fit, ut dicendum sit, Aristotelem ob hanc causam censere, has unas secundo loco appellare, post eas, quæ unum prædicatum de uno subiecto significant: ut sit hæc sententia: unã esse enunciantem orationem, in qua unum de uno prædicatur uel affirmando, uel negando, & ob id appellatur categorica: uel quæ significat unam duarum essentiarum relationẽ, quæ uel ex consequentia, uel ea disiunctione appareat ea, quam hanc uim obtinentes coniunctiones referant: dicitque uel quo extante quid fit, uel non fit non extante: quam ob rem hypothetica nominatur. eas autem orationes, quæ in sola dictione acquisitam unitatem præ se ferunt, sed essentias seiunctas significant, nullamque earum relationem indicãt, in his sumptas esse non est existimandum: etiã si continuãdæ dictionis causa copulatiuis, ut uocant, coniunctionibus utãtur. nam quæ ratio sit, cum alterum e terminis homonymũ habeat, nec possit una propter multitudinem significatorũ, quæ tamen in dictione simplici sunt, appellari: ei uero, quę perspicuam compositionem in dictione obtinet, prorsusq; ab eo uno, quod secundum naturam est, excidit, plus quippiam in hoc ipso, quam illi tribuere: ut digna iudicetur, quæ una uocanda sit. Nunc uero, cum plures esse eas orationes dixerit, quæ multa significãt, addidit, [& nõ unum aliquid significant:] propter eas, quæ de aliquo uniuersali enunciãtur. illæ enim multas ipsæ quoque res significant, quæ ad uniuersalia, de quibus uerba fiunt, referuntur: sed præ multis, unam naturam, quæ de omnibus illis prædicatur: propter quam una etiam sit propositio, quæ aliquid de hoc uniuersali prædicat. at uoces homonymæ multas res tantum significant: sed nihil, quod in eis commune sit: propterea quod homonymæ uoces nõ essent. sed quod ait, [Multa, & nõ unũ aliquid,] ita potest accipi, ut philosophus Porphyrius interpretatur: ut dictum sit ad distinctionem earũ propositionum, quæ pro subiecto aut prædicato definitione utuntur: quod uideantur illæ quidem multa significare, ut hæc, animal particeps rationis mortale, ambulat, uidetur significare & animal, & particeps rationis, & mortale ambulare: tamen hęc assumpta sunt ad unum quoddam circumscribendum, quod ex eis constat. quocirca hanc esse unam propositionem asserimus. si uero qua propositio uel homonymum alterum ex terminis habeat, uel etiam actu multa corroget nomina, nec res coniungi inter se possint, ut Socrates, Plato, Alcibiades, ambulat: uel Socrates ambulat, disputat, calefit, hęc erit solum multæ, quia etiam res significatæ solum multæ sunt, nec unam quandam rei naturam complere possunt. sed quomodo Aristoteles eas enumerãs orationes, quæ multa significant, solũ eas attulit, quæ aliquẽ homonymũ terminũ habent, aut coniunctione carent, inter quas nihil relinquit loci iis, quæ in sola dictione per coniunctionẽ unæ sunt? an dicendũ est, has quoq; inter eas debere numerari, quę multa & non unum significãt: idq; non propter homonymiam, sed quod multi termini in dictione actu sint, qui diuersas res significent. si qui uero unum ipsis non per se, sed per comparationem ad eas, quæ uacant coniunctione, tribuendum censeant, sciãt ij, se iterum a sententia ad dictiones delabi. uacantes inquam coniunctione orationes uocabunt, quæ ne unionem quidem habent eam, quæ ea coniunctione apparet: ut dies est, lux est: dies non est, nox est. uel rursus, Socrates sedet, Alcibiades ambulat. nam in his omnibus neque una consequentia, neque aliqua disiunctio est: itaque nulla etiam in dictione acquisita unio apparet.

Ac nomen quidem & uerbum uocabula sint tantummodo. quandoquidem nõ potest is qui sic aliquid uoce exprimat, enunciare aliquid, siue rogetur, siue non rogetur: sed is demum potest, qui omnia uoluerit dicere. Harum autem enunciationum, simplex alia est, ut quæ aliquid de quodam dicit, uel aliquid cuidam inesse negat. Alia autem quæ ex his constat, iam quasi coniuncta oratio est. Sed simplex pronunciatum, est oratio quæ aliquid de quodam dicit, uel negat, pro ratione temporum.

Cum deinceps dicturus sit de enũciatione, affirmatione, negatione, & repugnantia, quæ græce dicuntur ἀπόφανσις, κατάφασις, ἀπόφασις, καὶ ἀντίφασις, in quibus omnibus nomen uocabuli, quod φάσις uocatur, adhibetur, ideo merito fit, ut ante quam de illis quicquam statuat, notionem huius nominis φάσεως, hoc est uocabuli declaret: atque uocabula appellari nomina & uerba, quæ ut partes enunciantis orationis sumuntur. id uero ita esse, plane docuit: cum nominis uocabuli causam statim adiunxit. quoniam inquit, utrunque eorum aliquid declarat, non tamen uerum aut falsum, ideo uocabulum iure nominetur, ut quod significet aliquid, & ostendat: non tamen sit enunciatio: cum neutrum eorum ea declaret omnino, quæ ab enunciatione significantur, hoc est uerum & falsum. Hanc autem propositionem αὐτὸ non esse iunctam nomini φάσεως cum de nomine & uerbo dicitur, quia fieret ἀπόφανσις, id est enunciatio, declarauit his uerbis, [uocabula sunt tantummodo.] cum quare nomen & uerbũ dicenda sint uocabula, & nõ enunciationes, expressit pergens hoc modo, [Quandoquidem nõ potest is, qui sic aliquid uoce exprimat, enunciare aliquid, &c.] quod idẽ est, ac si dixisset, quãuis nomen & uerbũ uim habent rem aliquam significandi, sed eorum utrunq; per se nullam enunciationẽ efficit. tum addit modos, quibus enunciare soliti sumus. quibus etiã ostendit, nomen enunciationis nullo pacto nominibus, uerbisq; conuenire: qui sane modi cum duo sint, quibus enunciandũ sit, in neutro eorũ proferendo nomen aut uerbum enunciamus, ut postea declarabimus. In principio autem nomen & uerbum ab enunciatione distinxit, ducta a natura enunciationis argumentatione, cum diceret ea nec uerũ, nec falsum significare, quod est enunciationis proprium: hic uero ducto argumento a modo usus orationum enunciantium, eadem separare conatur. quia enim uel rogati ab aliquo & quæstioni respondentes,

enun-

enunciamus, uel a nemine interrogati nos nostra sponte uolumus ijs qui prope sint, sententiam nostrã enunciare, certe si is, qui nomen, aut uerbum dicit, neutro horum modorum enunciat, nomen & uerbum ab enunciatione diuersa esse, planum est. Ac nomina & uerba per se dicentes non enunciare, sæpissime diximus. sed neq; per nomina, uerbaq; respondentes, uerũ aut falsum significamus: quod tamen posset aliquis suspicari. nam si quis roget, quid huic nomen sit, nosq; Socrates respondeamus, quidnam ueri, aut falsi significabimus? & rogati quid agat Socrates, dicamus, deambulat, quid ueri, falsiue dixerimus? sed quemadmodum in uerbo explanando dictum est nobis, coniuncta responsioni interrogatio perfectam enunciationem efficiens, uerum aut falsum significauit: cum interim interrogatio re uera neq; nomine, neque uerbo contineatur: sed horum alterũ exposcat, nõ tamen ex eis proferatur: siquidem in interrogatione nec nomen ullum, nec uerbũ licet proferre. idquod ita esse, ex enunciationibus, quæ in interrogatione proferũtur, intelligemus. ad quarum exemplum, nominum quoque & uerborum interrogationes, si modo sunt, capere propositũ est. nam affirmationem interrogantes dicemus, vtrum anima immortalis est? & item negationem, vtrum anima non est æterna? quod si nomen per se in ipsa proferri interrogatione posset, dicendum esset, utrum, uerbi gratia, homo? uerum animal? simili quoque modo in uerbo, an currit? sed horum utrumq; insulsum est. quod si, an lauabor? sensu non caret, est perspicuum, non esse solius uerbi interrogationẽ, sed facultate quadam totius affirmationis, quæ talis est, an ego lauabor? eadem quoq; ratio est in omnibus quæ de certa ac finita persona dicuntur. Cum autem docuerit, uocabulum diuersum esse ab enunciatione, non adiunxit, quomodo ab affirmatione, negatione, aut repugnantia differat: quod omisit propterea quod est ualde perspicuũ. nam quod prorsus enunciatio non est, quomodo erit affirmatio, aut negatio, quarum utraq; enunciatio est: quodq; neq; affirmatio, neque negatio est, neque in has diuiditur, quomodo erit repugnantia? cum hæc sit totum quiddã ex hisce partibus constans. De enunciatione autem, quod diuersum quiddam sit ab ea, quam φάσιν hoc est uocabulum nunc dicimus, cum rationis alicuius indigeret, merito quæsitum a philosopho est & prius ab essentiæ enunciationis notione, & nunc ab usu nostro, ut diximus. Perspicuum autem est, cum ait, uocabula sint, ex eo uerbo sint, nomen uocabuli ab Aristotele ijs simplicibus uocibus quæ in propositionibus sunt, ut diximus, impositum esse: cum etiam ante Aristotelem Timæus apud Platonem hoc quidem nomine, sed in solis ijs, quæ quouis modo prædicantur, utatur. ergo species materiatæ quæ in ortu & interitu consistunt, ait propter cõtinuum fluxum effugere, neque demonstrationẽ eam expectare, quæ est huius ad hoc: & item, quæ firma perinde ac sint, ostendit uocabulum. [Harum autem inquit, alia simplex enunciatio est, ut quæ aliquid de aliquo dicit, uel aliquid ab aliquo negat: alia quæ ex ijs iuncta est, ut quædam composita iam oratio est. sed simplex enunciatio est oratio, quæ aliquid de quodam dicit, uel negat, pro ratione temporum.] harum, quas enunciamus aut interrogati ab aliquo, aut ipsi uolentes: de quibus proxime locutus est: aliam esse simplicem enunciationẽ ait, aliam iunctam ex multis, non uocabulis, sed orationibus. quibus uerbis appellat orationem quæ cõiunctione una est, uel categorice, uel hypothetice, eam quæ iuncta ex multis enunciationibus est, siue duabus affirmationibus, siue duabus negationibus, siue affirmatione & negatione. quãdoq; etiam sine coniunctione multas orationes deinceps proferimus, tanquam unam ita omnes dicamus, in quo faciendo uel continuatio, uel series dictionis cõiunctionis usum præstat: ut quia grauiter & acerbe iniuriam tulit Alcibiades, bellum patriæ intulit, Achilles Græcis iratus est, Aiax sibi ipse manus consciuit: & alia omnia, quæ disiuncte dicere consueuimus. quãdoq; uero multa nomina inter se sine coniunctione connectimus, quæ non ad unius cuiusdam significationem complicantur, ut fit in definitionibus, sed res seiunctas significant, deque eis unum quidpiam prædicamus. ita enim orationes quidem multas efferimus, quia multa subiecta sunt: sed enumerationem quæ deinceps fit, loco coniunctionis accipimus, ut Achilles, Aiax, Diomedes præstantissimi Græcorum. multas autẽ esse orationes perspicuum est, quia & uera alia esse potest, & falsa alia: ut si quis pro aliquo horum, aut præter hos Epeum enumerarit. eadem ratio est propositionũ earum, in quibus multa disiuncta de uno subiecto prædicantur: ut Socrates crus fricat, disputat, delectatur. perinde atque eæ orationes quæ sunt ex simplicibus conflatæ, & ob eam causam plures appellantur, aliæ ex orationibus re ipsa integris aut cõiunctis aut deiunctis cõstent: aliæ nõ ex separatis sint conflatæ, sed solũ, uel ex multis subiectis solutis uel copulatis: uel ex prædicatis, uel ex utrisq; cõstent, ut si dicamus, Socrates & Plato ambulãt, & disputant: uel hæc ipsa sine coniunctione proferimus. Possumus etiã in ijs orationibus quę simplices uocãtur, alio modo inuenire multiplicem quandã simplicis, compositiq; differentiam: non quod ex multis orationibus constent, aut non cõstent, sed ex dictionum multitudine, quæ ad singulas constituendas adhibentur. simplicissima autem re uera, & omnium longe princeps oratio est ea, quæ ex partibus maxime necessarijs, ut ex nomine & uerbo, constituitur, non tamen etiam hoc sensu proprie simplex, nec prima est, quę hanc quouis adiuncto superarit. quocirca Aristoteles affirmationem simpliciter cum negatione conferens, priorem esse ordine affirmationem dixit: & si in eo quod unæ sint, orationes pariter sint: nisi terminũ homonymum accipiãt: & item in eo, quod ad simplicitatem pertinet, quasi non ex multis orationibus constitutæ sint, quinetiam in ipsis affirmationibus magnam inter se differentiam comperias. simili quoque modo in negationibus: propositiones enim, quę ex subiecto & prædicato constant, priores sunt, quatenus ad simplicitatẽ pertinet, ijs, in quibus est tertium apprædicatũ: & hæ priores sunt ijs, quibus additus est modus. præterea inter eas, quæ ex prædicato, subiectoque conficiuntur, primas tenent quæ ex subiecto finito sunt potius, quam quæ ex infinito: & præcedunt quæ nomine utitur pro subiecto ijs, quæ definitionem pro nomine adhibent: in ijs quæ tertium adiectum habent, priores sunt; quæ nomẽ aut uerbum prædicatum habent, ijs, quæ totam definitionem pro prædicato statuunt, ut hæc, Socrates est homo, antecedit hanc, Socrates animal particeps rationis mortale est. sed hæc quia perspicua sunt, non ita magnopere sunt perpendẽda. ut autem intelligamus quomodo multa differant, propter perspicuitatem, non accurata disquisitione opus est: sed quomodo hæc, quæ modo dicuntur, differãt ab ijs, quæ paulo ante sunt dicta, ut cũ ait, [Vna autem enunciatio est, quæ aut unum aliquid declarat, aut ex una iuncta est coniũctione: multæ uero quæ uel multa, & non vnum aliquid significant, uel carent coniunctionibus: & item ab ijs quæ ẽt paulo supra dixit, Est autem primum genus enunciationis affirmatio, deinde negatio:] nunc considerandum est. Dicendum ergo est, cum orationum differentia sumatur, ut prius diximus, uel a dictionibus, uel a significatis, eaq; differentia, quæ a dictionibus oritur, partim efficiat orationem ex uno subiecto in dictione, & ex uno prædicato siue affirmando, siue negando, idque siue tertio loco aliquid addatur, siue modus adhibeatur, siue neutrum horum fiat, & ut summatim dicam, affirmationem solam, aut solam negationem pariat: partim compositam ex duabus affirmationibus, aut negationibus, uel ex affirmatione, & negatione, quam coniunctione unam Aristoteles uocauit: cumque in ipsis simplicibus orationibus; & ijs, quæ coniunctione unę dicuntur, differentia spectetur, quæ in affirmando, & negando est, distinctio uero orationum quæ a significatis ducitur, tum unam, tum plures constituat, tres fore orationum oppositiones: ut simplicis ad compositam, primæ ad secundam, unius ad multas. itaq; cum dixit, [est autẽ primum genus enunciationis affirmatio,] differentiã eam exposuit, quæ inter affirmationem & negationem intercedit, quod illa prior sit, hæc posterior: atque etiã indicauit, has solas orationes, quæ proprie simplices sunt, unius appellatione dignas censeri. cum addidit, [cæteræ una cõiunctione sunt:] perinde ac non queamus nos ullã ex illis oratio-

nibus unam simpliciter appellare. commune autem affirmationis & negationis est, quod ambæ simplices enunciationes sunt, quatenus ab ijs etiam discernuntur, quæ unæ coniunctione sunt: quod cũ adderet his uerbis. [Vna autẽ prima enunciatio est, quæ aut unum aliquid declarat, aut una est coniunctione: multæ uero, quæ multa, & non unum aliquid significãt:] tradidit nobis unius & multarum orationũ differentiam, quæ ex significatis existit. ijs autem uerbis, quæ nobis proposita hoc loco sunt, docet earum in simplices & compositas diuisionem: id quod apertissime declarat: affirmationem uidelicet ac negationem in simplicitate differre ab ijs orationibus, quæ coniunctione unæ sunt. cum enim enunciationem, quæ hoc cõmuni uocabulo gaudet, primum in simplicem & compositam distinxerit, iterũ simplicem in affirmatiooem, & negationem diduxit: quarum ordinem, quo affectæ inter se sunt, ante docuit, si uero ordine docendi diuisiones immutato differentiam inter simplicem enũciationem & compositam prius nobis exposuisset, deinde uero adiunxisset ea, quæ supra de ordine, quem habent inter se affirmatio, atque negatio: postremo autem loco discrimen inter unam, & multas, quod trahitur a significatis, attulisset, ut ab initio ita dixisset, enũciatis orationis alia est simplex, alia composita, ex mulsis orationibus: simplicis uero alia prima est, secunda alia: utraque harum uel una est, quæ unum significat: uel multæ, quę multa declarant: profecto eadem sæpe iterasse, nemini uideretur. Non est autem existimandum, simplicis enunciationis definitionem, uel ut dicat quispiam, descriptionem, non esse affirmatione, & negatione sumptam, quia dixerit Aristoteles, [Simplex enũciatio est oratio, quæ aliquid de quodam dicit, uel negat:] itemq; cum ait, [uox significãs aliquid alicui inesse, uel non inesse:] quorum quadã affirmationes nimirum sint, quædam negationes. in quam sententiam cum irent quidam, putarunt enunciationem nõ esse genus, sed uocem homonymam, quæ in diuersas significationes ea contentas diuidatur. Vocibus enim homonymis conueniunt eæ docendi rationes, quæ a subiectis significatis ducũtur: propterea quod eæ nullam naturam communem, quam definitiones indicant, significare cõsueuerint. nam enunciationis definitionem habemus iam ex ijs, quæ ante declarata sunt; eam esse orationem, quæ uerum aut falsum indicat, nunc uero cum sit ei propositum, simplicẽ enunciationem a composita distinguere, ac docere quænam sint simplices enunciationes, ex quibus compositæ sũt: eas nimirum esse affirmationem & negationem, tum earum afferre definitionem: merito eius diuisionem in species tradit: hoc est, notionis rationem a diuisione in species ductam exponit, Esse autem Aristotelis sententiam, genus esse enunciationem, plane docuit cum affirmationi, & negationi definiendis eam adhibuit: eique ut generi differẽtias subiunxit: atque in affirmatione, alicuius de aliquo; in negatione uero, alicuius ab aliquo. quia uero quod ait, [inesse dicit, uel negat,] tanquam de solo præsenti tempore extulit, & enunciationes etiam in præterito & futuro non secus fieri possunt, ideo addidit, pro ratione temporum.

DE AFFIRMATIONE, NEGATIONE, ET CONTRADICTIONE.

Affirmatio est enunciatio, quæ aliquid de quodam dicit. Negatio est enunciatio, qua aliquid inesse cuipiam negamus.

Omnis affirmatio ac negatio uerum & falsum distinguit, & non distinguit. ac distinguit quidem ut in eisdem terminis prædicato & subiecto: non distinguit uero, si terminus homonyme dicatur, & ad aliud, atqu aliud referatur, secundum aliud, in alio atq; alio, aliter atq; aliter capiatur:

Quando autem quod in aliquo inest, negari potest inesse, & quod abest, ab aliquo, dici potest adesse, & quod adest adesse confirmari potest, & quod abest abesse, itemque in cæteris temporibus quicquid aliquis alteri tribuerit, id omne detrahere potest, & quod detraxerit attribuere: profecto omni affirmationi negatio, omnique negationi cõtraria sit affirmatio necesse est. Sit autem contradictio, affirmatio negatioque contrariæ. Opponi autem contradictorio nomine dico, eam quæ eiusdem rei est & de eadem re dicit, de qua altera, non ὁμωνύμως, cæterisque omnibus adiunctis, quæ contra Sophistarum molestas rationes constituta sunt à nobis.

Hoc loco contradictionis definitionem tradere uult: atque exponere, eam esse affirmationis & negationis pugnã, quæ uerum & falsum semper distinguunt, ut altera ipsarum uera, falsa sit altera: idque uicissim retro commeet. præterea uero id etiam necessario asserere oportebat, eam esse falsæ negationis cum uera affirmatione: & falsæ affirmationis, cum uera negatione pugnam. itaque ut hoc esse doceat, duas oppositiones capit. quarum altera a rebus ipsis, altera ducitur a nostro iudicio, quod de rebus habemus. quoniam enim de affirmatione, ac negatione uerba facit, utraque autem earum in coniunctione prædicati cuiusdam cum subiecto spectatur, fit, ut a rebus trahatur oppositio, qua dicitur, prædicatum inesse subiecto, uel non inesse: a nostra uero sententia, aut pronunciatione ducatur ea, quæ prædicatum inesse subiecto, uel non inesse a nobis dici, affirmat. Cum autem quatuor sectiones sint duarum oppositionum, ut quod inest, quod nõ inest, quod inesse dicitur, quod non inesse dicitur; quatuor quoque erunt coniugationes. uel enim quod re uera inest, nos dicimus inesse: uel quod re uera inest, nos dicimus non inesse: uel quod non inest, nos inesse: uel quod non inest, nos etiam non inesse asserimus. si ergo quod inest inesse dicamus, ut Socratem iustum esse, ueram affirmationem faciemus, quia iustum, quod uere Socrati inest, inesse affirmamus: si uero quod inest, dicamus non inesse, negationem falsam: ut si dicamus, Socratem iustum non esse. quod enim iustum inest Socrati, nos dicimus non inesse. contra uero, si quod non inest dicamus inesse, ut Socratem iniustum esse, falsam affirmationem efficiemus: cum iniustum, quod Socrati non inest, inesse asseramus: postremo si quod non inest non inesse enunciemus, ut Socratem non esse iniustum, negatio uera fiet: quod enim re uera non inest Socrati, esse iniustum, id etiam nos dicimus non inesse. fit enim affirmatio aut negatio ex eo, quod nos inesse, uel non inesse dicimus. ac sane planum est, eum, qui inesse aliquid dicit, affirmare id, quod inesse dicit, de illo, cui inesse ait: quique non inesse dicit, negare: uera autem aut falsa tum ea esse, quæ dicit, cum ea conuenienter rebus, aut secus, enũciat. illud etiam perspicuum est, si consonas rebus enunciationes efferamus, ueritatem nos esse assecuturos, ut cum id quod inest, inesse, aut quod non inest, non inesse dicimus: si uero a natura rerum discordemus, falsa dicturos: ut si quod inest, non inesse: aut quod non inest, inesse dicamus. huic ergo nobis quatuor existunt propositiones: duæ affirmationes, quarum altera id quod inest, ait inesse: altera quod nõ inest, inesse dicit: & duæ reliquæ negationes. affirmationũ uero altera uera, falsa altera. ac uera quidem, quæ id quod inest, ait inesse: falsa, quæ inesse ait quod non inest. negationum quoque uera altera est, & altera falsa: uera est, quæ id quod non inest, ait non inesse: falsa, quæ quod inest, non inesse concludit. inuentum ergo a nobis est, omnino ueræ affirmationi quãdam propositionem aduersari: siquidem negatio falsa ueræ affirmationi, & falsæ affirmationi uera negatio aduersatur. quam ob rem ex duabus orsi diuisionibus, in hac re tractanda ordine & ratione progressi sumus. quatuor autem sunt communissimæ species propositionum, quæ cum ueritatis, & falsitatis qualitate spectantur: oppositionum uero in propositionibus duæ: una ueræ affirmationis ad falsam negationem: altera falsæ affirmationis ad negationem ueram: quas inuenire propositum nobis erat unà cum comprehensione contradictionis, qua de modo agitur. pugnam uero inter affirmationem & negationem Aristoteles contradictionem appellandam censet: quippe cum eius partes inter se in ue-

ro & falso aduersa dicant, hoc ipse nomen ei imposuerit, quod declarauit, cum dixit, [Sit auté cõtradictio,] id quod neque in affirmatione, neque negatione, neque enunciatione dixit. singula enim hæc nomioa apud diuinum Platonem licet inuenire, ut etiam pleraque horum præceptorum ad principia enunciantis orationis pertinentium multis locis apud eum dispersa, præcipue autem in Sophista comperies: quæ sane post longum atque admirabilem sermonem de non ente enti commisto institutum tradita sunt nobis: quibus ostendit & io ratiocinationibus & opinionibus, & in ratione, quæ ab iis quidem prodit, sed foras fluit, compar eis non ens, hoc est falsum, spectari. in illis enim, ut primum philosophum decet, satis esse existimans si de solis disserendi facultatis principiis considerasset, de iis, quæ ad principia enunciantis orationis pertinent, ad eos disseruit, qui in illius studium præcipue incubuerunt: uarias autem specierum propositionum, oppositionum, & consequentiarum differentias dicere prætermisit. sed hæc inde petere studiosi poterunt. Sciendum est in propositionibus enumerãdis, cum uellet Aristoteles a deterioribus ad præstantiora & quasi a priuationibus progredi, cum primum falsas propositiones tradidit, post has uero, etiam ueras attulit, & inter falsas, anteposuit falsam oegationem falsę affirmationi, propterea quod falsa negatio, utpote quæ priuatioois rationem habet, ipsa per se est affirmatione deterior: io ueris autem numerãdis, cum uellet mentionem prius facere eius, quæ priori falsarum opponitur, ut prior falsarum oumerata aduersetur priori uerarum: posterioris uero, quę posteriori falsarum est contraria, ut etiam secunda falsarum secundæ uerarum aduersetur: ideo necessario ueram affirmationem ueræ negationi præposuisse: hinc ergo duæ emergunt contradictiones, altera falsæ oegationis ad ueram affirmationem: altera falsæ affirmationis ad ueram oegationem. oeq; ulla alia, præter has, potest excogitari. idcirco cum omni affirmationi aliquam negationem, ac ueræ falsam, & falsæ ueram, eodemq; modo omni oegationi affirmationẽ aduersari concluderet, contradictionem definiuit esse pugnam affirmationis, & negationis, quæ in uero & falso sint cõtrariæ, sed quoniam contradictionis definitio nondum erat accurate, diligenterq; exposita (neque enim quæuis falsa negatio cum quauis uera affirmatione, neque quæuis uera oegatio cum falsa affirmatione contradictionẽ efficit: quia quis tandem est, qui contradicere eum affirmet, qui dicat, homo animal est, ei qui dicat, homo bipes noo est, eo quod altera uera affirmatio, altera falsa oegatio sit: aut ei qui dicat, homo quadrupes est, eum qui aiat, homo lapis nõ est: quod aduersæ propositiones sint?) ideo merito addit, quas cõtrarias existimare affirmationes & negationes oporteat: eas uidelicet, in quibus idem subiectum sit, & idem, quod de illo dicatur, prædicatũ: quod indicauit ipse, cũ ait, [eam quæ eiusdẽ rei est, & de eadẽ re dicit, de qua altera.] hoc autem cõtradicere est, propositionem inquam propositioni, in qua idem prædicatum de eodem subiecto dicatur, ut in altera quoque propositione, cum qua facta cõtradictio est. huic enim propositioni, homo animal est, aduersatur ea, quæ dicit, homo animal non est: oon autem ea, quæ dicit, homo bipes nõ est: causa est, quia illæ ambos terminos cõmunes habent: hæ uero in prædicato differunt. huic etiam, homo lapis est, hæc, homo lapis non est: & non hæc, equus lapis noo est, aduersatur; siquidem hę dioersis subiectis utuntur. oe uero etiam existimemus, satis esse eundem sola uoce subiectum terminum, & eundem prædicatum esse, cum eas distinctiones, quę hæc diligenter definiuit, in promptu oobis esse uelit, addidit hæc uerba: [Non homonyme inquit, cæterisq; omnibus adiunctis, quæ contra molestas sophistarum rationes constituta sunt.] neque enim ei qui dicit, Aiax solus cum Hectore pugnauit, contradicit is, qui ait, Aiax, solus cum Hectore noo pugnauit, cum uterque & uerum & falsum possit simili modo pronunciare. & tameo propositiones ex iisdem constare terminis uidentur: sed iidem in uerbis solum sunt, hoc est in nuda uoce, & non significatione, cum eas simul ueras esse, aut simul falsas acceperimus. si tamen distinguamus, de quo Aiace loquamur, cum de eo prædicabitur solũ pugnare, aut aliud quid, uel affirmando, uel negando: sique cæteras distinctiones quæ deinceps adiungentur, obseruemus, alteram ueram, alteram falsam esse propositionem necesse erit. idem in prædicato sæpenumero contingit, propterea quod in uerbis quoque fit homonymia. nam oerbum mando significat iubeo, & manduco, ideo ego mando, & ego non mando, non est contradictio: quia in alia atque alia significatione sumitur. ergo cauendum est, ne unquam homonymi termini capiantur: itemque ne ad aliud, atque aliud referantur, eamque ob causam affirmari & negari uere possint: ut si dicamus, decem plura sunt, decem plura nõ sunt. planum enim est, affirmationem in paucioribus, quam decem, ueram esse: negatiooem uero & in paribus, & in pluribus. præterea ne in alia atque alia parte eidem insit, uel non insit: ut si Aethiops niger, & non niger dicatur: niger enim in cutis extremitate, non niger deotes dicetur, ne ẽt alio atque alio tempore intelligatur posse inesse, aut non inesse: sed tempus distinctum sit, quo aliquid inesse, aut nõ inesse enunciemus. nam & ualuit Socrates, & non ualuit, uerum esse potuit, si unum de anno superiore, alterũ de die antecedente capiatur. ad hæc uero prædicatum, quod affirmatur & negatur, eodem modo capiendum est: dico autẽ eodem modo, ut uel actu, uel potentia in utraque propositione capiatur: quia affirmatio, quę dicit dormientem oidere, simul uera est cum negatione, ipsum non uidere enũciat: cum altera de eo intelligatur, qui oaturam habeat aptam ad agendum facultate aspiciendi, oisi quid impediat, ad eius, qui ea ui a natura insita nõ sit præditus, distinctionẽ: altera uero de eo, qui tum uidendi facultate non agat. sed de his omnibus Aristoteles in libro de Sophisticis elenchis perfectissime disseruit: ubi cum modos omnes exposuit, quos tredecim esse docet, quibus sophistæ conantur eos in errorem inducere, qui sine arte atque scientia secum disputant, eorumque in uerbis sex, & septem in sententia, id est extra simplices uoces ab eis usurpari declarauit: tum uero ipsorum reprehensiones exposuit. hic uero uno genere, quod ex homonymia est, commemorato, quod unum est ex iis, quæ in uerbis spectantur, censet ut nos simili modo cæteras omnes distinctiones obseruemus, quas ad exquisitam propositionum, quæ inter se contrariæ sunt, oppositionem necessarię sunt, ipse prætermisit: perinde ac minime opportunum sit hoc loco, de eis accurate disserere. Molestas uero sophistarum rationes, ualde accommodate dixit eas interpellationes, quę a Sophistis intempestiuæ fiunt, & rem noo attingunt, sed tantum molestiam afferunt, & temere interturbant eos, qui sana mente sunt: quia in fallacibus reprehensionibus interturbant eum qui demonstrat, nec sinũt ueritatem uel ab ipso, uel ab auditore inueniri. Sed quoniam ea perfecimus, quæ ad enunciantis orationis principia pertinent, consequeos est, ut de propositionibus, alio sumpto initio, deinceps dicendum esse uideatur.

PARS SECVNDA.

DE SVBIECTIS ET PRAEdicatis enunciationum.

Quoniam autem res partim uniuersa sunt, partim singulæ (uniuersas autem appello eas quæ suapte natura dicuntur in multis, singulas quæ non dicũtur: ut homo in rebus uniuersis est, in singulis Callias) necesse est effari inesse aliquid aut non inesse rerum uniuersarum cuipiam, aut singularum. Ac siquis aliquid omnino inesse, aut non inesse in quadam re uniuersa confirmet, contrariæ erunt enũciationes. Dico autem in re uniuersa omnino, & totum dici, uelut in his, omnis homo albus est, Nullus homo albus est. Sin autem de re uniuersa non omnino quid enuncietur, non sunt enunciationes contrariæ: attamen fieri potest, ut quæ declarantur interdum contrarii sint. Appello autem non omnino & totum aliquid de


re uniuersa

est uniuersalium, tanquam particularium. hæ nanque subiectos terminos uniuersales habent, quibus particulares determinationes sint coniunctæ: quam ob rem ita nominantur. Singulares uero a particularibus differunt, quod singulares in uno aliquo certo enunciationem efficiunt, ut in Socrate: particulares uero etiam si in unum intuentes enuncient, nõ tamen quicquã certum significant, sed in quouis aliquo uerę esse possunt: ut cum dicimus, aliquis homo iustus est, nihilo magis uera est propositio causa Socratis quam Platonis, aut Aristidis. quocirca recte Theophrastus singularem appellat finitam, particularé uero infinitam. diuiduntur uero ex altera parte inter se uniuersalis & singularis: & uniuersalis ut uniuerse ac particularis. hæc igitur est propositionum diuisio a subiecto ducta. a prædicato uero hasce quatuor species triplicari dicendum est. quoniam enim necesse est prędicatum esse uerbum, diximus autem uerbum adsignificare tempus; tempus uero tribus modis sumitur in præterito, præsenti, & futuro: planũ est quatuor singulas species propositionũ quæ a prędicato oriuntur, tripliciter uariari posse. ut, si de singularibus loquamur, Socrates ualuit, Socrates ualet, Socrates ualebit. quare fit, ut species oppositionum, quę in propositionibus sunt, duodecim sint. ac uero etiã ex temporibus extare quandam propositionum differentiã, ipsum Aristotelem docenté audiemus. cumq; singulę hę duodecim species tripliciter pro materia capi possint, eueniet, ut earum oppositiones triginta sex sint; si subiectus terminus sit definitus. totidem uero fieri ex subiecto infinito necesse est. nam in singulis earum, quę definitum subiectum habent, addita subiecto negans particula, eas ex infinito efficies. atque ita omnes oppositiones, & contradictiones earum propositionum, quæ nobis propositæ sunt, duæ, & septuaginta fient. nunc uero, cum numerum ipsarum exposuerimus, consequens deinceps est, ut consideremus, quænã propositiones in iis oppositionibus, quæ numeratæ sunt, sibi mutuo contradictorio nomine opponantur, quæ non: & quæ mutuæ relationes sint earum, quæ non contradictorio nomine opponuntur: & quæ utrique earum, quæ in ipsis sunt propositionibus, contradictorio nomine aduersetur. Ante enim dictum est, omni affirmationi contradictorio nomine opponi negationem, omnique negationi affirmationem. singulares ergo contradictorio nomine aduersari, constat inter omnes. quæ tamen in futuro tempore sumuntur, quæstionem quandam excitant: quam deinceps Aristoteles, & afferet, & explicabit. sed de indeterminatis non conuenit inter eos, qui de hoc ipso theoremate loquuntur. quomodo autem ueritas se habeat, sciri non potest prius, quam quomodo determinatę affectæ sint, considerauerimus: de quibus nulla aut fuit, aut esse potest controuersia: quam ob rem de iis prius dicendum est. Cum igitur cõtradictionem esse pugnã affirmationis & negationis definierimus, quæ uerum & falsum semper diuidunt, perspicuum est, quas propositiones simul ueras, aut simul falsas quandoque inuenimus, eas non contradictorio nomine opponi inter se, dici posse. quæ igitur uniuersales ut uniuersæ dicuntur, utpote quæ in materia contingenti simul falsæ sunt, non dicentur efficere contradictionem. sed nec particulares dicẽtur contradicentes esse, cum in eadem materia simul ueræ comperiantur. in duabus tamen reliquis materiis uerum & falsum ambæ distinguunt. itaque in materia necessaria affirmationes, quę utrunque necessario inesse dicunt, ueræ sunt: negationes uero, quæ idem auferre conantur, falsæ. in ea uero, quæ impossibilis uocatur, merito contra fit. negationes enim ueræ sunt, quæ impossibile, & ob id quod nunquã inest, dicunt non inesse; affirmationes uero, quæ id aiunt inesse, falsę sunt. in contingenti uero materia ambæ uniuersales falsę, & ambæ particulares ueræ: quia quæ in ea materia prædicantur, quandoque natura apta sunt, ut subiectis conueniant, quandoque secus: atque etiam ut aliquibus illorum insint, aliquibus non insint: ut omnis homo est albus nullus homo est albus. hæ nanque falsæ ambæ sunt: ut affirmatio, propter Aethiopas: negatio uero, exempli gratia, propter Scythas. aliquis homo albus est, non omnis homo albus est. hæ simul uerum enunciant. quos igitur uniuersales ut uniuersales non esse contradicentes ostendimus, aduersa nuncupant: propterea quod cum aduersa ita distinguantur, ut uel medium interiectum habeant, uel medio uacent, hę propositiones in necessaria, impossibilique materia similes sunt aduersis medio uacantibus: quorum alterum ex necessitate adest subiecto: & hæ alteram e propositionibus ueram obtinent: quæ hac etiam de causa rei essentiam imitatur: ut etiam falsitas est imago non essentiæ: in materia uero contingenti similes sunt aduersis medium habentibus: quorum neutrum possibile sit subiecto adesse: An, quia non satis constat, ulla aduersa medio uacare, quod pro claro & aperto sumunt ij, qui eo modo, quem exposuimus, causam quare propositiones aduersæ nominentur, reddiderunt: potius dicendum est, fieri non posse, ut aduersa in eodem subiecto simul inter se actu sint: posse quidem fieri, ut ab eodem simul absint. igitur hæ propositiones cum nunquam simul ueræ sint, quandoque autem sint simul falsę, & hac ratione aduersa imitentur, merito aduersæ uocabuntur. licet etiam dicere, quod maximo inter se spatio distent, eo aduersas appellari. aduersa enim sunt, quæ in eodem genere distant plurimum. quo modo hæ affectæ inter se sunt, si quidem altera omnibus subiecti indiuiduis ait inesse prædicatum, altera nulli. particulares uero appellant subcontrarias, id est aduersis contrarias: utpote quæ sub aduersis sitæ sint, easque consequantur. cum enim una ex uniuersalibus uera est, tum particularis, quæ sub ea locata est, ut illius pars, & ab ea comprehensa, uera itidem est: inde etiã fit, ut subalternas affirmationes, hoc est uniuersalem & particularem, & item negationes appellent, ac particulares ne contrariæ quidem inter se esse, proprie dicentur. nam quod genus contrariorum eis conueniet? si uero eas, quæ his contradictorio nomine opponantur, perquiras, particulares cum qualitatis oppositione uniuersalibus cõtradicentes inuenies: hoc est, uniuersali affirmationi, particularem negationem: & uniuersali negationi, particularem affirmationem. quam ob rem contradicentes inter se erunt propositiones determinatæ eæ, quę in tabella inferius descripta in angulis erunt collocatæ: siquidem illæ uerum falsumque semper distinguunt. atque id merito. nam aduersæ & aduersis contrariæ in qualitate differunt, sed quantitas eadem utrarumque est. subalternæ uero, in quantitate differunt, & eandem habent qualitatem. at hæ in ambabus pugnantes inter se, perfectam inter se differentiam habent. inde fit, ut nec simul ueræ, nec simul falsæ esse queant. atque in materia quidem necessaria si ueræ affirmationes sint, falsas esse negationes: in impossibili uero, contra fieri, ex iis, quę prius dicta sunt, plane cõstat. at in contingenti cum affirmatio uniuersalis falsa sit, tum particularis negatio, quæ illi contradicit, uera erit. cumque falsa sit uniuersalis negatio, particularis affirmatio, ut ei contradicens, uera erit. itaque si illæ simul falsæ sunt, hæ contra, simul uerum enunciant.

Vniuersales sunt omnis, nullus: particulares aliquis, nō omnis: aientes omnis, aliquis: negantes nullus, non omnis: aduersę omnis, nullus: subcontrariæ uel aduersis contrariæ, aliquis, nō omnis: quarum una continetur ab altera, quæ subalternæ uocantur, omnis, aliquis: & nullus, ac nō omnis: repugnantes uel contradictoriæ, omnis, non omnis: & nullus, aliquis: in angulis sitæ omnis, non omnis: & aliquis, nullus: singulares Socrates ambulat, Socrates nō ambulat: quæ uacant determinationibus, homo ambulat, homo non ambulat, quæ etiam uniuersales non uniuersæ nominantur: at omnis homo ambulat, nullus homo ambulat, cum determinationem omnis, & nullus, adiunctam habeant, uniuersales, ut uniuersæ nuncupantur.

Quoniā uero in materia impossibili perturbare imperitiores cōsueuit particularis negatio, quæ cum uniuersali affirmatione simul esse falsa uidetur, ut cum dicimus, non omnis homo est pennatus, eo quod, non omnis uidetur secum inferre hæc, sed aliquis est, aliquis autem non est, quod sane in impossibilibus plane falsum est: de his etiam differendum est. ueruntamen ex iis, quæ prius dicta sunt, in promptu est, dubitationem de nō omni explicare. dicimus ergo determinationē hanc, non omnis, ipsam per se sumendam, tanquā propriam uim habeat qua determinatio omnis adimatur, nec aliud quicquā secum adducat. quibus ergo in rebus omnis uidetur falsa esse, in iis uera erit non omnis. ergo in iis, quæ propositę sunt, quis qui dicit, omnis homo pennatus est, falsum dicit, ideo qui ait, non omnis homo pennatus est, uerum enunciat. nam uel omnis, uel non omnis est: sed omnis falso dicitur, uere igitur non omnis. Vt autem plenius sit hæc quæstio pertractata, dicendum, particularem negationem parem uim habere cum particulari affirmatione, in eo quod particulares sint. ut igitur uera est particularis affirmatio, siue semper cum particulari negatione, siue non semper concurrat, ita etiam ad ueritatem particularis erit affecta negatio. Cum igitur affirmationes habitibus quibusdam proportione, negationes uero priuationibus respondeant: notiores uero habitus priuationibus sint, ab affirmatione, ut a notiore secunda negationis ratio erit. Itaque cum uniuersalis affirmatio in sola materia necessaria uera sit, particularem affirmationem in duplici materia, & necessaria, & contingenti ueram esse conspicimus: non tamen eodem modo in utraq; sed in contingēti per se, ut prædicatum alicui subiecto insit, alicui non insit: ut particularis affirmatio cum particulari negatione conueniat, cum uniuersali uero affirmatione nō item: in necessaria uero materia non per se, sed propter uniuersalem: ideoque tum cum particulari negatione non concurrit: nam aliquis homo est animal uere dicitur, propterea quod etiam omnis est: at non omnis, non uere dicitur: ut in materia impossibili propter uniuersalem affirmationem, quæ per se totam falsa est, etiam particularis falsa est affirmatio: ut cum dicimus, aliquis homo est pennatus: hęc enim nō per se ipsam falsa est. eodem igitur modo cum uniuersalis negatio in sola impossibili materia uera sit, particularem negationem in duplici materia uerā esse necesse est, & in contingenti, & in ea, quæ neque cognata, neque prorsus aliena sit (quam ob rem uera erit, & cum affirmatione particulari concurret: sed discordabit a negatione uniuersali) & in materia quoque impossibili: in qua simul erit cum uniuersali negatione, quippe quæ propter illam uera sit: at discordabit cū particulari affirmatione. sed de his rebus, longior, quam par erat, fuit oratio. Ad summam autem de negantibus determinationibus, cum magis reconditam contemplationem habeant, ea dicere conemur, quæ philosophus Porphyrius memoriæ commendauit, in quo dabimus operam, ut, si poterimus, aliquid quod ad rem dilucidandam, ac magis aperiendam pertineat, adiungamus. Existit omnino quæstio, quomodo ex affirmationibus determinatis fiant negationes adiunctis negantibus partibus non prædicato quidem, ut ante monuimus, sed ipsis determinationibus, quæ partes subiectorum appellantur: non subiectorum qui per se se dicuntur, sed qui ab ipsis uelut formam

Propositiones vero ad hunc modum describi omnes possunt.



nacti sunt, nullo tamen modo prædicantur: si modo subiectus est, de quo oratio habetur, prædicatus uero, qui de illo dicitur. de omni autem homine enunciamus, ipsum animal esse: non tamen omnis homo est etiam omne animal: siquidem id & falsum est, & impossibile. paulo uero post, de aliquo homine album esse non tamen album, esse aliquem hominem ostendet. quomodo igitur non dicimus huius affirmationis, omnis homo deambulat, hanc esse negationem, omnis homo non deambulat: sed hanc, non omnis homo deambulat? & huius, aliquis deambulat non hanc, aliquis non deambulat, sed hanc, nullus deambulat? sed quam uim habeat hæc uox οὐδείς, id est nullus, declarandum est. sed ad quęstionem redeuntes, quæ supra allata est, dicimus, conuenienter iis regulis, quæ supra expositæ sunt, ubique pręstantiori propositionis parti negantem particulam adiungi oportere, ut negationes efficiantur. itaque in singularibus propositionibus & indefinitis, cum prædicatum terminum subiecto pręstantiorem uideamus, nihilque firmius aut nobilius prædicato in eiusmodi propositionibus inueniamus, eidem negantem particulam merito coniungimus. at in determinatis pars potissima & omniū longe princeps est determinatio. ideo ex ea propositio determinata nominatur: quamuis enim subiectis determinationes addantur, eorūq; ut diximus, partes fiant: tamen etiam prædicata quodammodo attingunt, indicantque an uni eorum, quæ sub subiecto sunt, an uero omnibus prędicatum conueniat. quoniam uero, si numerus additus non sit, pluribus inesse, non autem omnibus definire, non licet, ideo eis merito particula negans adhibetur, & quæ hoc modo negationes fiunt, contradictorio nomine affirmationibus opponuntur. ex iis uero, quæ prędicato adiunguntur, ea quę in affirmatione uniuersali id facit, eandem habet uim, quam uniuersalis negatio. nam hæc, omnis nō ambulat, idē significat, quod hęc nullus ambulat. quæ uero in particulari, eandem facultatem obtinet, quam particularis negatio. nam quid aliud significat, aliquis non ambulat, quam hoc non omnis ambulat? quare in hac negationes, quæ utroque modo fiunt, concurrunt. hāc uero non omnis iunctam esse ex omnis & non, planum est. sed hanc οὐδείς, id est nullus, unde ortum duxisse, dicemus? oportebat enim οὐχὶ τὶς, id est non aliquis esse negationem, quæ particulam non determinationi aliquis, anteponeret. an uero dicendum, si esset pronunciata, nihil eam definiti in quantitate fuisse significaturam. nam nemine deambulante, & multis deambulantibus, uere diceretur, non aliquis

aliquis deambulat, sed hæc planius accidissent huic propositioni οὐχὶ τὶς id est non aliquis deambulat, quam ei, quæ per synalœphen facit οὐχ εἷς, id est non unus. cum igitur uolumus ostendere prædicatum neque omnibus, neque pluribus, non autem omnibus, ac ne uni quidem eorum, quę sub uniuersali subiecto cōprehenduntur inesse, dicimus οὐδεὶς, id est nullus: quod nomē ex tribus orationis partibus iūctū est, ut ex οὐ id est nō, particula negante, & δὲ coniunctione, quæ uel copulet cum eo quod est, neque omnes, neque plures: uel ut Porphyrius auctor est, ad cautionē & distinctionem ambiguitatis sumpta sit: pręterea ex εἷς nomine numerali, quod etiam uidemus declinari, cum dicimus οὐδενὸς id est nullo ambulante: & in trium generum differentia statui, ut οὐδεμία id est nulla, οὐδὲν id est nullum deambulat. ergo οὐδεὶς a coniunctione δὲ factum est ab οὐδὲ εἷς per synalœpham. & perinde se habet, atque illud, μηδ' ὅντινα γαστέρι μήτηρ hoc est, nec quem utero quidem mater gestauit: & ἀποκρινομένου τὸ παράπαν οὐδὲ γρῦ, id est ne uerbum quidem respondit. οὐθεὶς uero, id est nullus, a coniunctione τὶ oritur, per collisionem harum uocum οὔ τι εἷς. sed cum affirmatio dicat τὶς, id est aliquis, quomodo nos in negatione, quę illam tollit, non dicimus non aliquis, sed nullus? an ita dicimus, quia εἷς id est unus si simpliciter & absolute consideretur, manat latius, quam τὶς id est aliquis. cum enim τὶς uelit subiecto, ut aliæ quoque determinationes, semper coniungi, propterea quod significent quomodo affecta sint ea, quæ subiecto comprehenduntur, aut etiam secus, ut prędicato impertiantur: εἷς uero sumitur etiā hoc modo, apud Homerū, ut Vous uero aliquis princeps uir, & cum ait, Esto unus princeps. capitur etiam ut prædicatū non modo in ijs, quæ non dicuntur in numero multitudinis, ut cum dicimus, Sol vnus est, vel mundus vnus est, quādo nomen etiā, solus, vel actu vel potestate ei adiungimus; sed etiam absolute in singulis, quæ quouis modo sunt, ut ipsorum quoque multitudo subsistat: determinationes uero neque per se prædicari possint, neque alijs prædicatis possint recte coniungi. ut deinceps nobis ostendetur. ideo fit, vt nomen εἷς ad plura, quam τὶς pertineat. cumq; mutuo cōueniant quatenus subiectis adiunguntur, non singularibus quidem, quorum nulla pars est, sed ijs, quæ de pluribus prædicari apta sunt, quandā in eo habere inter se differentiam uidentur. quoniam enim quodlibet ex multis & totum quiddam est, & tanquam pars eius, quod cōmuniter de ipsis prædicatur, si ceu totum quid sit, quamuis indiuiduum dicas ex altera parte distinctum ab ijs, quæ eiusdem speciei sunt, tamen vnius complexum ad ea capit. quatenus vero est quodammodo pars illius communis, non vnius, sed alicuius complexū nanciscitur. quam ob rem in ijs quæ solum tota sunt, nō potest effici contradictio. eadem uero differentia inter vnum & aliquid in particularibus est, quæ in uniuersalibus inter singularem articulū & omnis, versatur: nam & ὁ ἄνθρωπος, id est homo est animal, & omnis homo est animal dixeris. articulus enim apud Græcos eandem uim habet, quam uniuersalis determinatio: ut in extremo libro perdiscemus: sed articulus unioni uniuersalis subiecti conuenit, quare tum unicorum, tum indiuiduorum unicuiq; cōiungatur, dicimus enim ὁ ἥλιος, καὶ ὁ σωκράτης. quādoq; uero de eo etiam dicitur, quod superat ea, quæ sunt similis cognationis, ut ὁ ποιητὴς, ἢ ὁ ῥήτωρ: omnis uero conuenit multitudini eorum, quæ sub ipso referuntur. cum igitur nomen εἷς ut prædicatum tollimus, tunc particulā negantem non ei adiungimus, sed uerbo est, quod actu in tali propositione omnino dicatur, aptumq; sit prędicatum subiecto connectere. cum enim uerbi gratia, affirmatio sit hæc, hic lapis vnus est, negatio erit, hic lapis vnus non est, cum vero vt subiecto adiunctum nomen εἷς sit, tum vel tollemus determinationem aliquis, quod facimus negationem cōtradicentem particulari affirmationi afferentes, dicimusq; vel nullus, vel non aliquis: sed cum dicimus; nullus: non facimus vt occurrentes huic, aliquis, sed huic, vnus: vitamus autem hoc, οὐχ εἷς, vt ambiguum: & οὐ εἷς, quod præterquā quod ambiguum est, etiam male sonat, atque ita οὐδεὶς, vel οὐθεὶς dicimus. ad nomē vero τὶς, id est aliquis, proprie videmur occurrere, cum οὔ τις, id est non aliquis dicimus: sed acutus nō est super τὶς statuendus: quia Græci hanc pronunciationem non habent: sed super οὔ. vt cum dicit Homerus, οὔ τις ἐμεῦ ζῶντος, id est nemo ego dum viuā: & μή τις νῦν ἐνάρων, id est nequis nunc spolia. sed hæc poetice dicuntur. οὐδεὶς vero id est nullus, nomen est in lingua cōmuni vsitatius. Hæc fere sunt, quæ de propositionibus determinatis dicere habebamus. quomodo vero ad contradicendū affectæ sint indeterminatæ, aut secus, hoc est vtrum eandem vim habeant, cum aliquibus determinatarum Aristotelis sententiā secuti deinceps peruestigabimus. quod vt faciamus, verba ipsa auctoris consideremus, quibus prædictam diuisionem a subiecto ductā nobis tradit, & singularia ab vniuersalibus distinguit, [Vniuersas autem, inquit appello eas, quæ suapte natura dicuntur in multis:] quibus quidem verbis vniuersalia ab homonymis, quæ de multis dicuntur, distinguit, eo quod vniuersalia suapte natura dici de multis apta sint: hoc est, non lege quadā & impositione, vt Aiax, & Alexander, sed quod vnam naturam declarent, quæ cum cuiq; ex multis insit, facit, vt nomen ipsam significans de eis dicatur. omnino autē cum de vocibus disputet, rerum diuisionē facit: propterea quod philosophi non præcipue de vocibus agunt, vt rhetores, & grammatici, vt prius diximus, sed de verbis agunt, vt res cognoscantur, & intelligantur. Cum igitur species propositionum in vniuersales & singulares diuiserit, vniuersalium diuisionem adiungit, quę in vniuersales omnino, vel vt vniuersales, & indeterminatas distribuuntur. particulariū enim deinceps faciet mentionē. in his vero vniuersales enūciationes in vniuersalibus contrarias ait esse, ijs de causis, quas memorauimus: quę vero in uniuersalibus non uniuersales, hoc est indeterminatæ sunt, ipsas quidem non esse contrarias: at ea, quæ ab eis significantur, posse contraria esse quandoq;. atque indeterminatas quidem vocari vniuersales non vniuersales, declarant etiam exempla, quæ ab ipso supposita sunt, vt homo albus est, & homo albus nō est. quas ipse ita vocat, quia subiecto earum uniuersali non sit uniuersalis adiecta determinatio. quod licet in particularibus conuenire videatur, tamen illæ habent nescio quid proprium, vt particulares determinationes, a quibus etiā nomen ducunt. quomodo vero non esse contrariæ, & significare contraria quandoq; dicantur, id iandiu multis interpretibus nō paruū negotium facessere consueuit. an fortasse cōueniet verbis Aristotelis, si dicamus eum velle, indeterminatas propositiones inter se simul veras esse: vt ex sequentibus erit perspicuū, & ideo merito non esse eas cōtrarias enunciat. neq; enim contrariū est, eas simul esse. sed quia fieri interdum potest, ut ex negatione illa, quæ in affirmatione contrarij vera est, aliquibus afferatur suspitio, tum hasce propositiones esse dicendas contrarias, ceu quadā contraria significantes, ideo causam subiungit, quare fallantur, qui ita existimant. atque eadem dicit, quæ etiam in extremo libri theoremate cōmemorabit his verbis: [Atq; illud quidem falsum est, ex eo iudicari cōtrarias sententias esse, quia sint ex contrarijs. nam illa de bono sententia id bonum esse, & de malo, id esse malum, eadem fortassis etiam vera sit, siue multæ sint, siue una. Sunt autē hæc contraria, non quod contrariorum sint contraria, sed potius quod cōtrario nomine opponantur.] nullo igitur modo nomen contrariorum conuenire indeterminatis, hoc loco plane docet Aristoteles. quando autem ea, quę significantur, esse contraria queant, recte ac diligenter philosophus Porphyrius explicauit. neq; enim, inquit, ei quod affirmatur, cōtrarium aliquid semper est: neq; negatio dici potest semper uera esse de eo, quod est affirmatæ rei contrarium: sed partim de cōtrario, partim de priuatione, partim de neutro, sed tollere id solū, quod affirmatio dixerit, nam impari par, & albo nigrum est contrariū: & de his vera sunt non impar, & non album: cum contraria ex necessitate negationes comitentur, ea inquam quæ medio vacantia nominantur: fortuito autem, (vel ut aiunt cōtingenter) ea inter quæ mediū interiectum est. verbo autem uidendi contraria est priuatio aut actionis, aut facultatis: actionis, vt in eo qui non sit captus oculis, sed qui dormiat, aut conniueat; facultatis vero, in cæco: quæ significatur, cum dicitur, non videre. interdum vero negatione actionis significamus id, quod nondum vim, quæ ad actionem deducit, sit consecutum: ut in catulo: & in eo, quod nullo pacto aptum ad eam vim suscipiendam

ſcipiendam eſt: vt in ligno. nam & lignum non uidere dicimus. & tamen in nullo horum ſignificata a negatione eſſe contraria affirmationi dices: ſed tum priuationem, tum non priuationem, ſed ſolum uarietatem. nam animali, uel alteri ſubſtantiæ nihil unquam uel ut contrarium, uel ut priuationem opponi comperies: ſed neque quantitati finitæ, aut figuræ, neque etiam actionibus ijs, quæ in aliquo contrario non uerſentur. calefacere autem & frigefacere contraria ſunt, quia calori frigus eſt contrarium. ſed intelligere, & ambulare nihil habent contrarium. his igitur de cauſis quod a negatione ſignificatur, ei quandoque ait eſſe cõtrarium, quod affirmatio declarat: cum propoſitiones ipſæ nullo modo ſint inter ſe contrariæ. id quod merito in ſolis indeterminatis eſſe docuit: propterea quod hæ ſolę inter uniuerſales propoſitiones, affirmationes & negationes habent, quæ in ſolis prædicatis terminis, nõ in determinationibus ſiũt, a quibus, ſi per ſe affirmando, uel negando capiantur, ut oĩs, nõ oĩs, aliquis, nullus, rerũ ſignificari cõtrarietatem ne ſuſpicari quidem quiſquam poſsit: id quod ſane prædicati faciuot, ac tum maxime, cum affirmationes negationeſque io ijs contrarijs fiunt, quæ uacare medio dicuntut. determinationum enim ſolum officium eſt, ut ſæpe dictum eſt nobis, ſolam differentiam ſignificare multitudinis eorum, quæ ſubiecto compreheoduntur, ut partem prædicati qui in propoſitione eſt, obtinentium, uel nõ obtinentium: & quia perſpicua ſunt, quæ in alijs oppoſitionibus accidunt: ut quia uniuerſales ut uniuerſales ſimul falſæ ſunt, ideo ſint contrariæ: & quia particulares ſimul ueræ. nec nomeo contrariorum eis ullo pacto conuenire, oemo cogitet: quæ denique in angulis ſitæ ſunt, & item ſiogulares, uerum & falſum diſtinguant. in ijs uero, quæ indeterminatæ ſunt, quia hic ſubiectus neque ſingularis, neque definitus eſt, oeque ulla ei adiuncta determinatio eſt, non ſatis eſt oppoſitionis earũ modus perſpicuus: ſed poſsit quiſpiam eas interdum cõtrarias eſſe ſuſpicari. id quod Aphrodiſienſis interpres ſignificari contendit his uerbis, Attamẽ inquit, fieri poteſt, ut quæ declarantur, interdum contraria ſint: cum tamen clamet Ariſtoteles in ſequentibus, parem eas habere cum particularibus facultatem. cum autẽ particulares ad contrarias ex diametro affectæ ſint, idque etiam Ariſtoteli probetur hoc loco, ut in quadam materia nimirum contingente, ſimul ueræ ſint, alius quiſpiam indeterminatas quoque inter ſe cootradicẽtes eſſe exiſtimabit: ſed æque, atque altera angularium contradictio, quæ eſt, aliquis & nullus. quam ob rem Ariſtoteles uerbis propoſitis hoc ſolum ſignificauit, oon par eſſe, ut eas cõtrarias appellemus: quamuis res contrarias interdũ declarent. in progreſſu uero huius tractationis, eas etiam ſimul ueras, noo autem contradicere, firmare rationibus conabitur. cũ uero cauſam attulerit, quare indeterminatæ nocentur uniuerſales non uniuerſe, quia inquam de ſubiectis uniuerſalibus ooo uniuerſe enunciantur, cum uniuerſales eis determinationes non adiungant, quæ faciunt, ut nos de rebus uniuerſis in totum & omnino atque vniuerſe enunciemus, huius etiam rei cauſam affert, cur inquam uniuerſales determinationes ſint huiuſmodi enunciationum cauſæ: ipſeq; io aiẽti, quæ eſt, omois, hoc nos docet, perinde ac uideatur in negante, quæ eſt nullus, eadem ratio. ecquænã igitur huius rei cauſa eſt? [Verbum enim omnis, inquit, non quiddam uniuerſum ſignificat, ſed omnino dicit.] hoc eſt, non ſignificat ipſam ſpeciei uniuerſalis naturam, ut hominis. ſpecies enim cum una ex ſua ipſius oatura exiſtat, etiã indiuiduorum infinitatem, quæ perpetuo fit, colligere, & in unum componere dicitur. ac de uno quomodo dici, omnis determinationem quis concedat? ergo omnis non ſignificat ipſum uniuerſale, ſed dicit, uniuerſe ineſſe: hoc eſt, ſignificat nos enunciare, prædicatũ de omnibus indiuiduis, quæ ſub ſpecie ſunt, affirmari.

In prædicato autem uniuerſali, nunquam uere dici poteſt illud omnino. Neq; enim uera eſſe ulla poteſt aſſertio, in qua de re quæ totũ dicitur, aliquid oĩno enunciatur. Ex quo genere illa eſt enunciatio, Omnis homo omne aĩal eſt.

Quærit hoc loco Ariſtoteles, utrum, ut adiuncta ſubiecto aiens determinatio aliud propoſitionum genus efficit, ita etiam prædicato admota aliam efficere propoſitionem poſsit. ſed ne hanc quidem affirmationem conſtare poſſe, in primis enunciat. qualis eſt ea, qua dicitur, omnis homo omne animal eſt: propterea quod qui ita loquitur, is ſingulos homines particulatim eſſe omne animal, & equũ, & bouem, & cætera omnia dicit. itaque non poteſt uerum dicere, qui ſic enunciarit. merito igitur ait non fieri eiuſmodi affirmationem poſſe. in quo explicando omittit nomen ueræ, ut dicatur, nulla enim affirmatio oera erit, in qua de uniuerſali prædicato uniuerſalis oota ꝓdicetur: hoc eſt, in qua vniuerſali prædicato coniungi uniuerſalis definitio poſsit: & dici, homo, de quo omni, quod ipſe dicit totum & uniuerſale, prædicatur animal, nõ ſimpliciter animal eſt, ſed omne animal. hanc ob rem ait, huiuſmodi affirmationem non conſtare, ut quæ nunquam uera ſit: cum ipſa quoque ſit affirmatio, ſed falſa, atque ideo adulterina, & omnino ad uiam & rationem ſyllogiſmorum conficiẽdorum incommoda: quippe quæ præter naturam ſemper ſit, oec ad ueritatis inuentionem; quod eſt artis diſſerẽdi finis, eſſe unquam utilis queat. cum autem ex multiplici determinationum cõiunctione cum ſubiecto & prędicato iu propoſitionibus multæ fieri propoſitiones queant, iure hanc ſolam protulit, & quæ utrique termino determinationem omnis adiũgit, ex earum numero, quæ uere propoſitiones nominantur, cenſuit expungendam. id quod etiam in primo libro priorum analyticorum, in principio capitis de copia propõnũ explicat. cum .n. de uniuerſalibus propõnibus eligendis diſſereret, in quibus prædicatum ex oĩ ſubiecto conſequitur, addidit, Ipſum uero conſequens noo ſumendum eſt totum ſequi. id autem intelligo, ut hominem omne animal: aut muſicam omnis ſcientia: ſed ſolum abſolute ſequi, ut etiam propooimus. nam alterum inutile eſt, nec fieri poteſt: ueluti omoem hominem eſſe omne animal, aut iuſtitiam omne bonum. & in primo etiam poſteriorum, cũ diceret, in ſyllogiſmis uniuerſales concluſiones aientes cõcludentibus, maius extremum de medio de omni dici, & id præterea de minore omni, hoc eſt in utraque propoſitione, quæ ſyllogiſmum perficit, prædicatum de proprio ſubiecto de omni dici, adiunxit, prædicatum uero nõ omne dicitur. hanc igitur ſolam, ut inutilem ubique improbari, intelligemus, ſi animo percurramus, cum ſint quatuor, ut deinceps uidebimus, propoſitiones, quæ ſemper falſæ ſint, duæ affirmationes, ac duæ negationes, tum uniuerſales, tum particulares, certe per unam, quæ cæteris præſtantior eſt & quantitate & qualitate, quæque, ut uidebimus, ſemper cauſa eſt, cur tres reliquæ falſæ ſint, uoluiſſe Ariſtotelem alias quæ ſimili quoque modo, quo hæc, peccãt, de numero uerarum propoſitionnm delere. quod ſi harum quoque exquiſite perſcrutanda ſit ratio, & ad unum reſecãda, & de ijs dicẽdum id, quod uideatur, ſexdecim fieri propoſitiones inueniemus ex determinationum in utroque propoſitionis termino diſtributione. cum autem eæ quatuor ſint, atque una quæuis earum ſubiecto cõiungatur, a prædicato ſiogulis determinationibus iuncto quatuor propoſitionum effici ſpecies uſu uenit. atque ita quater quatuordecim & ſex propoſitiooes omnes erũt. Eſto igitur prima determinatio omnis, quę ſubiecto adiũgatur. ſi autem etiam prędicato aliquam adiungere determinationem uelimus, dicemus, omnis homo eſt omne animal: uel omnis homo eſt nullus lapis, uel oĩs homo eſt aliquod animal: uel omnis homo eſt non omoe animal. & conſtat tres alias ſingulas, præter eam, quam Ariſtoteles reprobauit, ueras eſſe. ſed nullus addatur ſubiecto, & dicemus, uel nullus homo eſt omne animal: uel nullus homo eſt nullum animal: uel nullus homo eſt aliquis lapis: uel nullos homo nõ omne animal eſt. ac planum etiam eſt unamquaque earum, quę aliquam uniuerſalem determinationem prædicato cõiũgunt, ueram eſſe: ſiquidem quoddam animal eſt homo, & quoddam non eſt. quocirca ſi eſt aliquod animal, non iam poteſt eſſe nullum. ueraque eſt ea propoſitio, qua dicimus, nullus homo nullum animal eſt. cum enim non ſit, non poteſt

etiam omne esse. uera quoque hęc est, nullus homo omne animal est. uera itidem in materia impossibili est ea, quæ aientem particularem determinationem prędicato coniungit: qualis est hæc, nullus homo aliquis lapis est. sola uero semper falsa est, quæ particularem determinationem negantem prædicato copulat; cum subiectum determinationem uniuersalem negantem habeat: ut hæc, nullus homo non omne animal est, uel non omnis lapis, uel non omne albũ. nam quoniam semper falsa est ea, quæ utrique termino uniuersalem determinationem aientem adiungit, perspicuum est eam semper ueram esse, quæ falsi causam tollit. hoc est eam quæ prædicato coniungit determinationem uniuersalem negantem, ut quæ dicit, omnis homo non omne animal est. ergo quæ huius contraria est, quaque dicitur, nullus homo non omne animal est, perpetuo falsa erit: præsertim cum fieri nequeat, ut contrariæ simul ueræ sint. Iam uero aliquis adiungetur subiecto. dicemus ergo, uel aliquis homo est omne animal: quæ semper falsa erit. quam etiam ob causam, ea quæ hac uniuersalior est, ut omnis homo est omne animal, semper est falsa. quare hæc quoque quæ ab illa continetur, eamque omnino consequitur, semper falsa erit: uel aliquis homo nullus lapis est: uel aliquis homo aliquod animal est: uel aliquis homo non omne animal est. atque hæ quidem omnes ueræ censentur. reliqua est determinatio nõ omnis. hæc quoque subiecto copuletur. dicemus autem, uel non omnis homo omne animal est: hæcq; semper uera est, utpote quæ contradicit ei, quæ semper falsa est: qualis est, omnis homo est omne animal: uel non omnis homo nullum animal est. hæcque in materia necessaria, & contingenti uera est: propterea quod ea quæ huic cõtradicit, ut omnis homo nullum animal est, uel nullum albũ, falsa est: uel non omnis homo est aliquis lapis: quam etiã in materia impossibili uerã esse planũ est. propterea quod quæ illi repugnat, omnis homo est aliquis lapis, falsa est: uel quod adhuc restat, non omnis homo non omne animal est: quam semper esse falsam ideo efficitur, quod hanc omnis homo non omne animal est, quæ semper uera est, auferat. quare uero hæc semper uera sit, causam iam diximus, quod inquam tollat uniuersalem determinationem aientem male prædicato coniunctam ab ea propositione, qua dicitur, omnis homo omne animal est: nec permittat eam in materia necessaria ueram esse, in qua prędicatum ex necessitate subiecto inest. Quibus quidem fit rebus, ut, cum propositiones sexdecim recẽsuerimus, quatuor semper ueras, quatuor semper falsas inuenerimus: reliquæ autem tum ueræ, tum falsæ in alia atque alia materia esse possint: in ijs autẽ, quę semper falsæ sunt, duæ affirmationes sint, inter quas hoc sit commune, ut determinationem omnis prædicato adiungant: differant uero ijs determinationibus aientibus, quæ subiecto adiciuntur: sunt autem hæ, omnis homo omne animal est, & aliquis homo omne animal est: duæ autẽ negationes, quæ hoc cõmune habeãt, ut nõ oĩs prędicato adhibeãt, differãt uero ĩ negãtibus determinationibus, quas subiecto cõiũgant, ut nullus homo non oẽ animal est: & nõ oĩs homo non oẽ aial est: in iis uero, quę semper uerę sunt, duę affirmationes negationibus semper falsis repugnantes sint: ut omnis homo non oẽ animal: & aliquis homo nõ omne animal: uel non omnis lapis, uel nõ omne album: duęq; negationes affirmationibus semper falsis contradicentes, ut nullus homo omne animal est: & non omnis homo omne animal est, uel omnis lapis, uel omne album. cęterę uero omnes tum uerę, tum falsę pro materię uarietate, uti diximus, comperiantur. ex iis ergo quę alteram ex aientibus determinationibus subiecto adiungunt, prędicato uero solã aientem particularem, quę particularis propositio est, in materia necessaria & cõtingente uera deprehenditur: uniuersalis uero, in sola necessaria: quia in hac sola prędicatum potest omnibus indiuiduis subiecto contentis conuenire: in aliis uero materiis falsę sunt. eadẽque cęterarum est ratio. Sed, quod initio quoque considerandum proposuimus quid causę est, cum multę propositiones semper falsę sint, cur Aristoteles eam solam reprobarit, quę uniuersalem determinationem aientem utrique termino coniungit? an quia in cęteris particularem aientem, ut aliquis homo est omne animal: plane semper falsam esse intuebatur, quod ab uniuersali contineretur: negationes autem conuenire cum affirmationibus; ut quę iis determinationibus, quę subiecto adiunctę sunt, quę negantes itidem sunt, negantem particularem determinationem prędicato additam auferant. ita nanque contingit, ut si utraque negans particula ab altera tollatur, propositio iterum in pristinam affirmationem redigatur. quid enim differt, si dicas, omnis homo est omne animal, & non omnis homo est non omne animal. potestate nimirum id dicimus, omnis homo nequaquam omne animal est: id est, nequaquam omnis homo non omne animal est: sed omnis homo omne animal est. atq; utriq; inferimus eam, quę primum fuerat, omnis homo omne animal est. Præterea quid differt, si dicas, aliquis homo omne animal est, & nullus homo non omne animal est. potentia item dicimus id, homo nequaquam non omne animal est: id est, nequaquam nullus homo omne animal est: atque hanc, aliquis homo omne animal est, inferimus. quam ob rem intueri licet, dictas negationes illis semper ueris propositionibus aduersari, quibus cum semper falsę affirmationes pugnabant. cum hac enim semper uera affirmatione, omnis homo non omne animal est, pugnant hę, omnis homo omne animal est, quę est affirmatio semper falsa propter prędicatum, & non omnis homo non omne animal est, propter subiectum. quocirca inter se conueniunt. cum hac uero, aliquis homo non omne animal est, simili modo pugnant hę, aliquis homo omne animal est, propter prędicatum, &, nullus homo non omne animal est, propter subiectum. quam ob rem hę quoque conueniunt. itaque si prædictæ negationes eandẽ uim cum affirmationibus habent, qui de numero propositionum uniuersalem affirmationem semper falsam, & unà cum illa particularem affirmationem, quæ ex illo perpetuo consequitur, sustulerit, is profecto per has etiam reprobarit reliquas, hoc est duas negationes, quę quoniam prædictis affirmationibus consonæ sunt, semper ipsæ quoq; falsæ censentur. Scire enim conuenit, iis quæ perpetuo falsæ sunt, huius falsitatis causam a determinatione omnis, quę prædicato iungitur, attribui: siquidem ipsis omnibus uel re ipsa, uel potestate inest: iis uero quæ semper ueræ sunt, ab illius sublatione: propterea quod eæ omnes habent determinationem non omnis prędicato coniunctam uel re ipsa ut affirmationes, uel potentia, ut negationes. hęc enim, nullus homo omne animal est, ideo est uera, quia omnis homo non omne animal est: simili quoque modo hęc, non omnis homo omne animal est, quia particularis homo non omne animal est. quocirca iure fecit Aristoteles, qui eas propositiones reprobandas dixit esse, in quibus solum omnis prędicato adiungatur. Constat etiam, licet subiectum sine determinatione capiamus, siue articulum ei addamus, siue nõ: in eodem errore propositiones ita confectas uersaturas, in quo sint eę, quę cum determinationibus prędictis proferãtur. hæc enim, ὁ ἄνθρωπος, id est homo est omne animal, eandem uim habebit, quam hęc, omnis homo omne animal est: & hęc, homo omne animal est, idem ualebit, quod hęc, aliquis homo omne animal est. eadem quoque causa facit, ut si subiectum singularem capiamus, eius prędicato determinationem omnis adiungere omittamus. neque enim qui sana mente est, potest uere dicere, Socrates omnis homo est. sed neque ut uel semper, uel quandoque uerę fiant propositiones, ullam determinationem prædicato esse addendam censet. omnino enim eas, quę semper uerę sunt, non secus, quam quę sunt semper falsę, uitare debent ij, quibus propositum est, considerare eas enunciationes, quæ sine superuacanea uarietate proferuntur: utpote quæ nihil diuersum in necessaria, atq; impossibili materia significent, neque ad uerum falsumque discernendum ulli nobis adiumento sint. quin nec quę horum alterum admittere uicissim possunt, habere ullam determinationem prædicato adiũctam debent, cum enim eandem uim cum illis obtineat ea propositio, quæ sine determinatione prædicationem facit, cur non attexemus simpliciores loco earum, quæ superuacanea quædam assumũt? ut pro ea, omnis homo aliquod animal, uel omnis homo non omne animal, hæc statuatur, omnis homo animal est: & pro hac, omnis homo nullus lapis est, hæc, omnis

homo lapis non est: uel etiam ea, quæ simplicior est, & suapte natura accommodatior, nullus homo lapis est. cũ enim in ueterum libris particularem determinationem inuenimus quæ prædicato adiuncta uideatur, ut cum Aristoteles ipse animam ἐντελέχειαν quandam nominat, & Plato rhetoricam, peritiam quandam: dicendum est, uerbum quandã ibi acceptum esse, ut indicet, prædicatum cum subiecto non reciprocari: sed eius genus esse: & indigere additione quarundam differentiarum, ut subiecti explicetur definitio. sed qui fieri potest, inquiunt, quin ipsis in rebus Aristotelis coarguatur ratio, siquidem uerum dicimus, cum ita loquimur, omnis homo est omnis scientię capax: & tamen uniuersali prædicato determinationem uniuersalẽ adhibemus. ad quod dicendum, nomen, omnis, non re uera prædicato adiunctum esse. prædicatur enim id, quod dicitur de subiecto: dicitur autem de homine, non ipsum esse scientiã, sed capacem scientiæ. si ergo tum potest uera esse propositio, cum omnis addatur uerbo capaci, ut si dicatur, omnis homo omne capax scientiæ est, Aristotelis ratio conuincitur. at uero non potest uera esse, quia qui id ait, nihil dicit aliud, nisi unumquenque hominem esse omnem hominem: ut Socrates non solum Socrates est, sed & Plato, & Alcibiades, & unus aliorũ quisque. nam si omnis homo est omne capax scientiæ, Socrates uero est unus omnium, ergo is erit omne capax scientiæ. ita Socrates erit Plato, & Alcibiades: quia hi quoque scientiæ capaces sunt. quod si Socrates nõ simul sit Plato & Alcibiades, non erit omne capax scientiæ. ex quo fit, ut omnis hoc loco non sit prædicati determinatio, sed pars. id enim de homine dicitur, quia sit capax omnis scientiæ. non esse autem omnis, cum dicitur omnis scientiæ, prędicati determinationem, planum est ex eo, quod huic propositioni aliam nos maiorem adiungimus, & huius prædicatum, hoc est, ipsum scientiæ omnis capax esse, alteri cuidam, quod de ipso prædicatur, subiicimus, ut propositionem quandam colligamus, uniuersalemque illi, ceu non habenti, determinationem addimus: ut si dicamus, omnis homo est omnis scientiæ capax: omne quod omnis scientiæ capax est, rationis est particeps: omnis ergo homo rationis particeps est. & tamen si uox omnis addita scientiæ erat determinatio, quid nobis alia determinatione opus fuit? quomodo enim binæ determinationes dici deinceps potuissent? sed perspicuum est, neque uocem omnis additã scientiæ, determinationem prædicati esse posse, neque sciẽtiam esse prædicatum, sed capax: cui cum in secunda propositione subiectum fuisset, conuenienter ei legi, quæ in prima forma iunctarum propositionum exposita est, tum articulum, tum uniuersalem determinationem adiunximus. Vniuersalem ergo determinationem aientem addendam non esse prædicato, siue id latius pateat, quam subiectum, ut omnis homo omne animal est, siue ei æquale sit, ut omnis homo est omne ridens, ex iis, quæ diximus, plane constat. nam & in terminis adæquatis idem absurdum contingit, propterea quod qui omnem hominem esse omne ridens enunciarit, is unumquenque hominem eundem, atque uniuersos esse, dixerit, ut Socratem, quia homo est, omne ridens esse. hoc est Socratem esse omnes homines. atque id clarum etiam ex iis est, quæ prius dicta sunt: in quibus ostendimus, nos dicere non posse hoc modo, omnis homo est omnis scientiæ capax: quia capax scientiæ cum homine exęquatur. Sed quæ causa est, cur prædicatum natura nõ sit aptum ad uniuersalem determinationem aientem recipiendam, cum tamen capere uniuersalem negantem posse uideatur? an quia quod affirmando prædicatur, si uniuerse & omnino de subiecto dicatur, semper uult subiectum comprehendere, uel ut adęquatum, & tanquam ei conueniens: uel ut pręstans & excedens, præterea uero totam multitudinem indiuiduorum quæ sub subiecto sunt, sibi ipsi alligare, & in unum conducere ipsius consortio, suapte natura aptũ est. nam, quod etiam prius dixit Aristoteles, omnis non uniuersale significat, sed dici in totum & omnino declarat. si ergo quod affirmando prædicatur, si ea cogere studet, quæ natura sunt diuisa, ut quod multo prius in sua ipsius simplicitate spectetur, omnis uero non unum quid, sed multitudinem declarat, planum est, ea inter se coniungi nullo modo posse. cum autem deiunctum id omnino sit, quod negando de subiecto dicatur, tunc de subiecto negare possumus singula, quę prædicato comprehenduntur: ut si dicamus, omnis homo nullus lapis est. sed suffarcinatam propositionem faciemus, cum eloqui simplicius nobis liceat, hoc modo, omnis homo lapis non est. & hoc etiam simplicius, nullus homo lapis est: ne in re tollenda aientem determinationem assumamus.

Affirmatio igitur negationi contradictorio nomine opponitur, quæ rem vniuersam in eodem inesse dicit, sed non omnino: vt, Omnis est homo albus, &, Non omnis homo est albus: Nullus homo albus est, aliquis homo est albus. Contrario vero nomine opponitur rei vniuersæ affirmatio rei vniuersæ negationi: quales hæ sunt, Omnis homo iustus est, Nullus homo iustus est. Quocirca esse hæ simul veræ nullo modo possunt. At his contrariæ simul in eodem dici vere possunt: vt, Non omnis homo albus est: &, Aliquis homo albus est.

Vniuersas propositionum determinatarum oppositiones hoc loco nobis Aristoteles tradit, tum eas, quæ in descripta superius tabella in angulis sitę erant, tum uniuersalium, ut uniuerse uel omnino, & item uniuersalium, quę ut particulares dicuntur. atque eas quidem, quę in angulis sunt, quas uniuersales omnino & uniuerse appellat, quia alteram e propositionibus uniuersalem ut uniuersalem & omnino acceptam habeant, ait contradictorio nomine inter se opponi: hoc est uerum & falsum semper diuidere: quales sunt uniuersalis aiens cum particulari neganti: & uniuersalis negans cum aienti particulari. ipsas uero uniuersales propositiones uniuerse non iam contradictorio, sed contrario nomine opponi inter se, propterea quod uicissim in contingenti materia simul falsæ sint: in qua materia particulares, & quæ subcontrariæ nominantur, simul ueras esse necesse est, propterea quod utraque uera sit: cum uniuersalis propositio, quæ ei contradictorie aduersatur, falsa sit. ex quo fit, ut hæ nullo modo inter se pugnent. atque hæc quidẽ plana sunt tum ex iis, quæ philosophus supposuit, exemplis: tum uero etiam ex iis, quæ nos paulo ante de iis disseruimus. Sciendum tamen est, quod legitur ἀντιφατικῶς id est contradictorie, scriptum etiam inueniri ἀποφαντικῶς, id est enunciatiue: ut Aristoteles indicet hoc uerbo, quemadmodum philosophus Porphyrius docet, qualis affirmationis ad qualem negationem sumenda sit oppositio: eius nimirum capiendam esse, quæ uelut enunciatio est: quia, ut ait, finita uerba, affirmationes: & infinita, negationes uocare consueuerunt. ac nisi addidisset, enunciatiue, posset suspicari quispiam de eiusmodi uocum oppositione nunc uerba fieri. sed planum est, quæ sequuntur, magis priori lectioni conuenire: quia hoc modo contrariæ quoque enunciatiue opponi dicerentur: quas ceu diuerso, quam superiores, modo oppositas Aristoteles statim subiunxit.

Quapropter quæ ex rebus uniuersis contradictoriæ constant, idque omnino & totum, earum necesse est alterã ueram esse uel falsam. Itemque earum quæ ex singulis constant, quales hæ sunt, Albus est Socrates. Quæ autem ex uniuersis rebus, nec omnino constant, earum non semper una uera est, falsa altera. Nam hæ simul uera dicuntur, Est homo albus, Non est homo albus. Et hæ, Est homo pulcher, Non est homo pulcher. Nam & si quis turpis sit, non est formosus: & tum cum sit aliquid, id nondum est. Sed hoc statim alienum uideri potest, propterea quod hæc enunciatio, Non est homo albus, idem etiam quod illa simul, Nemo est albus, ualere uideatur. Sed nec idem ualet, nec simul etiam illam declarat necessario.

His uerbis philosophus tradit nobis oppositionem octo illarum propositionum, quæ ex diuisione subiecti oriuntur: ut quæ sint contradictoriæ inter se, quæ uideantur esse, nec tamen sint, intelligamus. ergo quæ in angulis sunt sitæ, quas uniuersales, ut uniuerse & totum nominat, quia alteram e propositionibus uniuersalẽ ut uniuersalem habent, contradictorio

dictorio inter se nomine pugnare ait: ut affirmatio in qua est, omnis cum negatione, in qua sit non omnis: & negatione in qua nullus est, cum affirmatione, in qua sit aliquis. idemque de singularibus censet: ut hæc Socrates albus est, cum hac, Socrates albus non est. at indeterminatas, quas uniuersales non uniuerse appellat, non ait inter se contradictorio nomine opponi, quod non semper distinguant uerum a falso, sed cum habeant eandem uim, quam particulares, in materia cōtingenti simul ueras esse: in qua illę quoq; simul ueræ esse comperiebantur. quippe cum hæc, homo albus est, affirmatio uacans determinatione, uera sit in aliquo Scytha, uerbi gratia, accepta, cum hac non est homo albus, quæ negatio est indeterminata; in aliquo Aethiope sumpta. hæcque, homo pulcher est, de Achille, aut Nireo; cum hac, non est homo pulcher, de Thersite intellecta. cum igitur hęc ita enunciet Aristoteles, eique reclament uiri præstantissimi, ac mihi etiam uenerandi, par utique fuerit, nos quibus magis amica, magisque uerenda ueritas est, quā aliæ res omnes, id quod ipsi quoque nos facere adhortantur, theorema non sicco, ut aiunt, pede, & silentio transire: sed & Aristotelis perscrutanda sententia est, qua propositiones indeterminatas simul ueras esse censet, & quę afferunt, qui ei contradicunt, perpendenda: pręterea uero ipsa rerum natura, & harum ipsarum propositionum per se uis & facultas inspicienda: ut ubi rationes contrarias cognouerimus, resq; ipsas, quibus de agitur, per se fuerimus contemplati, de ipsarum ueritate ferre diligentius sententiam possimus. Aristoteles igitur, ut etiam ante diximus, censet indeterminatas idem ualere quod particulares: ut affirmatio idem quod etiam affirmatio, negatioque idem, quod negatio ualeat. idemque significet, qui ait, est homo albus, atque is qui ait, aliquis homo albus est: & qui dicit, non est homo albus, atque is qui dicit, aliquis homo albus non est, uel non omnis homo albus est. quocirca in qua materia ueræ sint particulares, siquidem in contingenti simul ueræ sunt, in eadem etiam indeterminatæ inter se conueniant. Verum uero hanc uim re uera prædictæ propositiones habeant, nunc sumpto iudicandi initio a communi quadam de eis notione, uideamus. Omnes fatemur, propositiones indeterminatas, materiæ rationem habere ad determinatas: quia cum determinationes assumant, formis proportione respondentes, determinatas ceu quiddam ex utroque compositum conficiunt. quoniam ergo materia, utpote quę informis est, omnibus formam adeptis est inferior, & propius accedit ad ea, quę deteriora sunt, quæq; nondum formam distinctam sunt consecuta, uelut obscuriore ui prędita, neque multum ipsam essentia superantia; patet, indeterminatas propositiones idem quod deteriores inter determinatas ualere necessario. quam ob rem quænam e determinatis propositionibus deteriores sint, consideremus, ut indefinitas idem, quod illas, ualere pronunciemus. inter determinatas ergo affirmationes deteriorem esse uniuersali particularem, nemini dubium est. quam ob rem indeterminatam affirmationem, idem quod particularem affirmationem ualere necesse est. de negationibus uero interpretes inter se certant. & qui Aristotelem auctorem habent, particularem esse uniuersali deteriorem putant: siquidem uniuersale in oppositione propositionum, quæ in quantitate sit, sit particulari dignius, ut etiam in qualitate aiens neganti præstat. qui uero uniuersalem deteriorem esse particulari dicunt, ita sentiunt, quia quantitas in eiusmodi propositionibus non sola sumenda est, sed etiam coniuncta cum contradictoriæ qualitatis complexu. cuius munus est, rerum subsistentiam abolere. cum igitur particularis negatio uniuersalem solum affirmationem tollere nitatur, possitque interdum cum particulari affirmatione conuenire, ut in cōtingētibus, cum hæc, nō omnis homo albus est, simul uera sit cū hac, aliquis homo albus est: si per uniuersalē negationē nulla nis subsistētię relinqui pōt, in particulari uero, nō expertes manemus particularis cuiusdā subsistētię intelligēdę, certe dicunt planum esse, uniuersalem negationem deteriorem esse particulari, necessario. hæc autem ita esse, & & indeterminatam negationem idem ualere, quod uniuersalis negatio, si pro perfecta propositione capiatur, declarat, aiunt, non solum omnium aliorum Gręcorum usus; sed ipse quoque Aristoteles multis locis in libris suis indeterminata negatione pro uniuersali usus est: ueluti cum enunciare uult, motum per se sine rebus quæ mouentur, esse non posse, ait, non est autem motus sine rebus: ac sine determinatione negationem facit: in qua re idem dixit, ac si ita locutus esset, nullus motus est sine rebus. non tamen non omnis. & cum dicendum esset, nullus sensus est, pręter quinque sensus, ait, non est sensus alius, pręter quinq;. ergo etiam cum dicimus, non est homo iustus, idem est, atque id, nullus homo iustus est. si uero quis censeat Anytum intelligendum esse, ut dicatur, non est homo iustus Anytus, uel non est homo albus Aethiops, hancque negationem indeterminatam, non est homo iustus, idem, quod illam, non omnis homo iustus est, ualere putet, & hanc, non est homo albus, idem quod illam, non omnis homo albus est: primum quidem inquiunt, non amplius esse perfectam propositionem conceditur, deinde uero non seruabuntur quę ab Aristotele de negationum & affirmationum oppositione dicta sunt: dictum enim est eas opponi inter se, in quibus idem subiectum, & idem prędicatū sumatur. quod hisce uerbis ipse declarauit: [Opponi autem inquit, contradictorio nomine dico eam, quę eiusdem rei est, & de eadem re dicit, de qua altera, non homonyme, cęterisque omnibus adiunctis, quę contra sophistarum molestas rationes definita sunt nobis.] Si uero affirmatio sit hæc, homo iustus est, ac uera sit propter Socratem; negatio uero hæc, homo iustus non est, uera esse propter Anytū dicatur, profecto alium subiectum faciemus in negatione, quam esset in affirmatione. neque ita contradictio fiet. quocirca si cōtradictionis notionem seruabimus, & indeterminatas tanquam perfectas propositiones assumamus, neque faciamus, ut in singularium speciem decidant, eis, ut sua ui imperfectis subiectos quosdam singulares subaudiendo: necesse inquiunt, est, negationem indeterminatam idem, quod uniuersalem, ualere. quod cum ita sit, & indeterminata affirmatio cum particulari concurrat, ut cum dicimus, homo est quinque cubitorum, quia nos uerum dicere, sic loquendo, existimamus, licet unus solus tanta sit magnitudine, illi propositiones indeterminatas cōtradictorio nomine inter se, non secus, quam affirmatio particularis, & negatio uniuersalis, opponi existimant. si quis uero uniuersalem negationem particulari negatione in malis magis expetendam putet, is primum ignorabit, in logica facultate non rerum naturam, sed ipsarum per se uocum uim considerari: deinde ne ita quidem probare poterit propositiones indeterminatas conuenire inter se. nā planum est, eodem sensu particularem affirmationē uniuersali affirmatione in malis optabiliorem fore. ut enim melius est, omnino non esse, quam ex parte non esse; ita etiam in parte esse, quam omnino esse pręstat. in his ergo affirmationem indeterminatam cum uniuersali affirmatione, ut quę deterior sit, quā particularis, simul ueram esse continget: & tamen in his negationem unà cum particulari negatione, eadem de causa, ueram esse. ergo indeterminatæ etiam in malis eo modo, quo particularis negatio cum affirmatione uniuersali opponentur. hę autem simul conuenire non possunt. itaq; indeterminatę semper uerum falsumque distinguent. si uero quispiam indeterminatam negationem quandoque cum particulari negatione, quandoque cum uniuersali conuenire, si uerbum est apud Gręcos acuta penultima pronunciet hoc modo, *ἄνθρωπος δίκαιος οὐκ ἔστιν*, id est homo iustus non est, ut idē dicat, quod hæc, *οὐδεὶς ἄνθρωπος δίκαιός ἐστιν*, id est nullus homo iustus est, ultima uero acuta, cum hac, *οὐ πᾶς ἄνθρωπος δίκαιός ἐστίν*: id est nō omnis homo iustus est: is primum non persuadere, sed legē nobis ferre dicetur: deinde contra eum dicendū est, esse hoc Græcis inauditum, ut uerbum *ἐστίν*, acutum in ultima habeat: quāuis quocunq; in loco neganti particulæ subiungatur. itaq; si ipse quoque fatetur, cum uerbum est, penultimam acuat, indeterminatā negationem idem ualere, quod uniuersalem, necesse autē esse, ut in eiusmodi propositionibus semper acuatur, certe perspicuum est, eam cum uniuersali negatione conuenire, & cū sua affirmatione contradictionem esse facturam. atque hæc

quidem ratio est eorum, qui Aristotelis sententiæ repugnãt. An uero possumus singulis argumẽtationibus occurrere, ac dicere, minime consentaneum esse, ut uniuersalem negationem particulari deteriorem censeamus. si qualitate non differunt: in comparandis uero inter se propositionibus in sola quantitate, uniuersalem particulari, ut totam parte, nõ adscitis rebus, de quibus illæ determinant, uniuersalem esse particulari meliorem fatemur, ita enim non iam id seruabimus, quod proposuimus, ut iudicium de ea sola fiat differẽtia propositionum, quę in quantitate spectatur. neque ullá essentiam a particulari negatione per se inuehi dicemus, sed uniuersalem affirmationem duntaxat tolli: eamque nihilo minus, quam uniuersalem, negare: sed quandoque de pauciorібus tantummodo: qua de re dicitur quoque illi ratione quantitatis subiecta esse: sicut etiam particularis affirmatio ad uniuersalem affecta affirmationem est. Si uero indeterminata negatione pro uniuersali uti uidetur Aristoteles, nihil mirum uideri debet: propterea quod in materia impossibili idem, quod illa, ut etiam particularis, ualet. constat enim philosophum prædictas propositiones in hac materia extulisse, nullum enim motum esse censet præter res, quæ mouentur, aut nullum sensum, præter quinque, sed impossibile esse. quod si quidam ex ueteribus in materia cõtingenti hanc usurpasse uideantur, ut idem ualeat, quod uniuersalis, & in iis etiam uera sit, in quibus illa uera comperiatur, quod quidem est, idem ualere, planum est, id nõ esse sine ullo discrimine ab illis factum: quia ibi impossibilem pro contingente esse fatebimur: (in sola enim impossibili materia negans propositio uniuersalis uera est, in necessaria uero & contingenti, ut etiam ante diximus, falsa est) sed tum definitam tempore: ut si dicamus, nunc non est uir iustus, aut sapiens: tum uero si intelligamus de ijs, quos ipsi uel ex consuetudine, uel ex sermone hominum cognouimus. nam de quibus nulla ad nos uel ex usu, uel ex testimonio aliquorum notitia peruenit, nisi forte homines maiore odio, quã Cnemo & Timo habeamus, tale quidpiam pronunciare audebimus: quasi illi nullo pacto participes sint eius rei, ad quã obtinendam humana apta esse natura solet: perinde ac contingens sit, ut positum est. sed hoc non est idem, quod negatio uniuersalis. nam qui uel actu, uel cogitatione præfinit indiuidua, quorum prædicatum negat, is sine dubio cõcedit, illud quandoq; in cęteris quandam habere subsistentiam. Ad summam uero, si negationem indeterminatã pro uniuersali usurpemus, ac uere pronunciemus, hæc, Non est habitare domum sine malo, &, Non bona res, multi domini: in qua materia nos uti negatione dicemus? si in impossibili, nihil ad rem. si in contingenti, (nam in hac opus est proferri propositiones si idem ualent) in primis hoc eueniet, ut uniuersales in contingenti non iam falsæ sint: & tamen hac de causa eas contrarias appellamus: deinde plane fatebimur, eos id ipsum confirmare, quod Aristoteles dicit, indeterminatas uidelicet in contingenti materia simul ueras esse: propterea quod si negatione utuntur pro uera, de affirmatione uero neque fuit, neque est ulla dubitatio, quin semper in contingentibus uera sit, ut nec etiam de particulari unquã fuit controuersum: profecto patet simul ueras esse propositiones indeterminatas necessario. Si uero quis dicat, in sola impossibili materia indeterminatam negationem ęque ac uniuersalem, uerum dicere, is primum id petet, quod sit initio propositum: deinde quomodo non forte fieri uidebitur, ut in affirmatione indeterminata fateamur, subiectum, qui idem significat quod illud quod dicitur cum, aliquis, determinatione, nullo etiam singulari actu sumpto, perfectã propositionem, & in materia cõtingenti ueram efficere: in negatione uero neutrum horum concedere? quid enim causæ est, cur hæc, homo albus est, idẽ ualeat, quod hæc, aliquis homo albus est: hæc uero, homo albus nõ est, nõ idẽ, quod hęc, aliquis homo albus nõ est: quæ significat esse hominẽ non album? neq; enim definita indiuidua in indeterminatis subaudienda sunt, ut ueræ simul sint, si nõ etiã in particularibus idẽ usu uenit. quod si hanc, est homo albus, propter Nireũ, uerã esse dicamus, hãc uero, nõ est homo pulcher, propter Thersitem, non tamen hanc ob causam imperfectas propositiones, neque diuersos subiectos facimus, nisi eadem etiam sit de particularibus controuersia, quas & perfectas esse, & simul uerum dicere confitemur. quanquam eas propter diuersas subiecti partes, ueras esse affirmabimus, sicut etiam illas, ut aliquis est iustus homo, aliquis iustus homo non est. si uero uelut absurdum concludamus, quod eæ ita sumptæ contradictionem non faciant, nihil tamen aduersarium iis, quæ ab Aristotele de eis dicta sunt, pronũciabimus. id enim est, quod his uerbis significatur, quoniam quandoque conueniunt inter se, ideo ueram cõtradictionem ab eis nõ fieri. Hæc igitur sunt, quæ pro Aristotele, uel potius pro ea, quę nobis uidetur, ueritate, ceu defensores dicenda esse existimauimus. quodque initio nobis erat propositum, cum nobis copiose suppetant, quæ ad theorematis diiudicationem pertinent, quæcunque nobis in mentem uenere, seiunctis rationum momentis, quæ de eo in utranq; partem deprompta sunt, nunc tractanda esse diligenter censemus. ac primũ quidem, quia particularem affirmationem, quam habere eandem uim cum indeterminata confitemur, ei particulam negantem adiicientes, tollere conamur; id quod duobus facimus modis: negantem enim ipsam particulam uel uerbo est, uel determinationi adiungimus. sed cum eam determinationi præponimus, tum ut determinatam propositionem auferimus. cum uero uerbo est, tum ut idem atque indefinita ualeat: propterea quod determinatam illam sola determinatione superet. indeterminatæ uero negationẽ in solo uerbo est necesse est fieri, sed si ea negatio quæ uerbo est negantem particulam coniungit, particularis est, ut uniuersalis est ea, quę ipsam determinationi pręponit, profecto etiam indeterminatæ affirmationis negatio idem, quod particularis, ualebit. Præterea uero par est, ut eas coniugationes syllogisticas, quę in prima figura fiunt, contemplemur. si enim fateamur, indeterminatam affirmationem idem ualere, quod particularem, & hac in re deteriorem utraq; uniuersali esse in quantitate; & debere conclusionem similem esse alteri ex ijs propositionibus, quæ in ratiocinatione sumptę sint, ac semper sequi ex ea, quę & in qualitate & in quãtitate deterior est; ad hæc uero, cũ ueræ propositiones sint, & earum coniunctio omni reprehensione uacet, conclusionem necessario ueram esse oporteat, quam tandẽ effici conclusionẽ ex minore aienti indeterminata, & maiore negante uniuersali dicemus? nam iis, quæ prędiximus, coacti fatebimur, indeterminatã negantem fore, & item ueram, cum ueræ illæ sint. at quomodo ipsa per se conclusio in contingenti materia uera esse poterit, si idem quod uniuersalis negatio dicat, ut homo iustus est, nullum iustum est iniustum, homo iniustus non est: an hanc cum uniuersali, an cum particulari uerum dicere affirmabimus? at nondum priores rationes, ut pote nihil ueri asserentes, reprobamus. uidentur enim, si mihi dicendum sit quod sentio, ne posterius quidem allatis repugnare; si quis uelut æquus arbiter de his iudicare uelit: dempto hoc, quo maxime utraq; nituntur, negationem indeterminatã alteri solum determinatarũ, & nunquã alteri esse consonam. fortasse uero ipsam etiã pro utraq; capi dicendum est; & nõ ex accidenti: ut in materia impossibili: in qua etiã contingit, ut determinatę negationes inter se cõcurrant: sed ex se pro uarijs enunciantium notionibus. quam ob rem etiam eum propria affirmatione uera esse potest, atque illi contradicere in alia, atque alia sententia, ut diximus, eam pronunciantium: utpote quę per se nullã determinatam uim in quantitate habeat. quocirca utraq; earum disputationũ, quæ pugnare inter se uisæ sunt, multis fortasse uti rationibus idoneis potuit. hæc uero uera esse, quæ dicimus, uel id unum declarat, quod inter omnes constat, affirmationes indeterminatam & particularẽ parem mutuo uim habere: & ob id eas etiam propositiones, quę negantẽ particulam uerbo est, uel actu uel potentia anteponunt. in particularibus uero, quæ ita fit, ut uoce affirmatio quodammodo esse uideatur, quia negans particula determinationi iuncta non sit: sed uim negationis habeat, quod in sequentibus planius ostendemus: ea tum idem quod uniuersalis, tum uero idem quod particularis ualet. quia negans pars & iuncta determinationi aliquis, & iuncta prædicato intelligi potest. sique ad aliquis iuncta intelligatur, idem significabit, quod nullus, aut nemo: si ad prædicatum, idem quod non omnis.

nam

uam cum audimus, hæc, aliquis homo immortalis noo est, certe si illud, non est, ad aliquis, iunctum capiamus, existimamus idem significari, ac si nullus dictum esset. quod euidentius apparet, cum hoc, non est, ante aliquis, statuitur: ut in hoc, Non est inter mortales aliquis, qui liber sit: non est aliquis homo immortalis: eum τις id est aliquis, ad uerbum ἐστι, quod significat, est, toonum suum referat, suumq; recipere tonum noo queas. at cum audimus hæc, aliquis homo in senectute noo canescit, uel quinq; digitorum noo est, si quod dicunt, noo est, ad hoc in senectute nō canescere, aut quinq; digitorum noo esse, adiunctum intelligamus, quod apertius cootingit, si distinctio adhibeatur post hæc uerba, aliquis homo, existimabimus propositiooem idem significare, quod hoc, est aliquis noo talis: & idem quod hoc, non omnis est talis. ut uidetur etiam in hoc, Ac quoddam effutiit uerbum, quod oon quoque dictum præstaret. idem enim est, ac si diceremus, aliquid eorum quæ dicta sunt, dici ooo oportuisse. a priore autem exemplo ueram fieri propositionem in materia impossibili: a posteriore uero, ueram per se in materia contingenti & propter uniuersalem in impossibili iudicamus. si uero in priore, uerbum oon est, ad immortale additum intelligamus, & io posteriore, ad aliquis, illam sane & particularem esse, & uerã propter uniuersalẽ putabimus: ut pote quæ materiæ sit impossibilis: hanc uero uniuersalẽ, & in contingenti materia prorsus falsam. itáq; fiet, ut in oegatione indeterminata significari utrunq; & uniuersale, & particulare dicendum sit, pro sententia eorum, ut sæpe diximus, qui eounciant. præterea si negans particula iungatur uel ut alicui, quod potestate in indeterminata oegatione cootinetur, uel ut prædicato, magis tamen tunc quoque ad uniuersalem uergere existimamus, cum negationis initium ducimus a oegante particula: ut, nõ est homo alatus, uel iustus: idq; siue uere, siue falso dicamus. quocirca omnes fortasse, qui negationem indeterminatam pro uniuersali dicunt, hoc modo ea usi esse uidentur: noo est inquiunt, motus præter res: &, non est sensus, pręter quinq;: &, non est habitare domum sine malo: &, oon bona res, multi reges: &, noo est mortalium quisquam liber. Si uero eadem uia & ratiooe spectãda sint ea, quæ uniuersali affirmationi accidunt, cum eiusmodi quoque propositionum Aristoteles progrediens faciat meotionem: iu hac etiam dicendum est, si oegans particula ante uerbum est, statuatur, possitq; aut determinationi omnis aut prædicato adiuncta intelligi, tunc usu uenire, ut propositio, quæ uelut determinationem omnis auferat, ut omnis homo albus ooo est, idem ualeat quod particularis oegatio. quod euidentius quoque apparet, si oon est, in principio propositionis ponatur, hoc modo, noo est omnis homo sapiens. Si uero uelut prædicatum auferat, idem ualeat quod negatio uniuersalis: ut omnis homo noo sapiens est, & sapiens non est. quæ idem ualet, ac si dicas, sapientẽ esse oeminem. Hæc autem nõ modo in ijs propositionibus quæ ex tertio apprædicato, sed in ijs etiam, quæ ex subiecto & pręddicato cõstant, euenire confirmamus. ut aliquis homo ooo geometræ fungitur munere, uel, non fungitur munere geometræ aliquis homo: & omnis homo nõ geometræ munere fungitur, uel, non fungitur munere geometræ omnis homo. in his enim prima & tertia, quæ apprædicatum apertius habeot, eandem uideotur seruare quantitatẽ, qua primæ affirmationes erant præditæ: ut quæ ex se habeant negantem particulam prædicato iunctam, quæq; non admodum possit alicui alteri parti accommodari: reliquæ uero, qoæ oegantes partes, quæ determinationes eis comitantes adimere uidentur, in contrariam potius quantitatem uidentur declinare. quocirca etiã in oegatione indeterminata eadem rursus afferemus, quæ diximus in particulari, quæ negantem particulam noo determinationi quidẽ, sed prædicato coniunctã habeat: ac neutra earum rationum, ac sententiarum, quæ dissidentes initio uidebantur, a proposito aberrare omnino uidetur. nobis uero permittit ratio, ut indeterminatam pro utraq; determinatarum capiamus. nec tamen ullus ex ueteribus pro particulari ea usus esse cernitur, quod obscurius fortasse id indicet, quo etiã modo declarauimus: quando & ex indeterminatæ negationes, quæ negantem particulam uerbo est, rarius ob eandẽ causam, quam quæ ipsam determinationibus anteponunt, apud ueteres cõperiuntur. si uero indeterminata negans conclusio, quæ ex maiore aieote indeterminata, & minore ouiuersali oegante efficitur, semper cum particulari, & noo cum uniuersali uidetur coouenire, haud mirabile est. necesse enim est in ijs conclusionibus, quæ in prima figura sunt, ut prædicatũ dicatur de subiecto, quod in minore propositiooe sumptum sit, quod non solum nomine, & significatione idem maneat: sed etiam quantitate. ideo fit, ut in hac figura quantitas conclusionis, quaotitatem minoris consequatur. quam ob rem si in illa prædicatum potentia sumptũ sit, ut alicui ex subiectis insit, etiam in conclusiooe alicui eorum inesse dicetur. quod etiam clarios cõspicitur in iis coniugationibus, quæ ex minore particulari aienei, & maiore uniuersali neganti conclusionẽ particularem negantem efficiunt: ut aliquis homo iustus est: nullum iustum iniustũ est: aliquis ergo homo iniustus nõ est: cum quo idem prædicto modo ualet hoc, homo iniustus nõ est. ut autem summatim dicam, negatio in singularibus, quæ ne cogitatione quidem ullam in quantitate differentiam accipiunt, eandem quantitatem quæ in affirmatione est, necessario conseruat. in omnibus uero ijs, quæ subiecto utuntur uniuersali, & ideo ioter uniuersale & particulare ancipites esse possunt, si fuerit in quantitate opposita affirmationi uel actu, uel potentia, erit contradicens: si uero io uerbo est, quod etiam uel actu, uel potentia io propositiooe comprehendatur, noo item: sed in uniuersali, ea quæ interdum simul falsa est: io cęteris uero, quæ coouenire & consonare potest. His ita expositis, Aristotelis argumentationes, quibus conatur ostendere io materia contingenti concurrere inter se indetermiuatas, deinceps consideremus. Cum igitur binę argumentationes sint, altera ex contrarijs progreditur ad probandum, altera uero a non contrarijs. contrariorum autẽ exemplum sumit, pulchrum & turpe: non contrariorum uero, quod generatur, & ens: quæ sane non sunt contraria: si generatio est uia ad essentiam. quod aũt a contrarijs ducitur argumentum, hoc modo tractatur. Capit duas indeterminatas affirmationes, quę uerum dicunt inter se, & prædicatis contrarijs utuntur, altera est hæc, est homo pulcher, altera hæc, est homo turpis: quarum altera uerã est propter Nireum, exempli causa: altera uero, propter Thersitem. dictum uero est, indeterminatas affirmationes idem sine controuersia, quod particulares affirmationes ualere. ergo si simul oeræ sunt hæ, aliquis homo pulcher, & aliqnis homo turpis, constat indeterminatas quoqoe ueras simul fore. Cum igitur alteram ex affirmationibus ita sumptis idẽ ualere, quod alterius negatio probet, conclusit fieri, ut in huiusmodi propositionibus affirmatio cum sua oegatione concurrat. cum hac enim, est homo deformis, uera inquit, erit hæc, est homo non formosus. qui enim deformis est, certe nõ fore eum formosum patet. cum hac uero, est homo noo formosus, hęc, non est homo formosus: qui enim nõ formosus est, planum est eum, non esse formosum. ita fit, ut cum hac affirmatione, est homo formosus, simul uera sit hæc negatio, noo est homo formosus. Videtur igitur, id qnod etiã ante monui, negatio indeterminata, quæ initium a particula negante sumit, ad uniuersale magis declinare: ut pote cum negans particula ad determinationẽ aliquis addita, quæ in affirmatiooe indeterminata poteotia inest, cõmodius intelligatur. uerũ illa quoq; ita utitur Aristoteles tanquã idem ualeat, qood particularis, perinde ac negans particula possit hoc modo nõ determinationi, sed prædicato coniungi. Argumeotum uero quod a noo cootrarijs ducitur, quodq; eodem modo, quo illud a contrarijs, progreditur, hanc uim habet. sumit denuo duas indeterminatas affirmatiooes, alteram, est homo: alteram fit homo. quarum altera uera est, propter eum qui re ipsa fit: altera propter eum, qui adhuc utero continetur. censet igitur, cum ea, qua dicitur, fit homo, simul ueram esse hanc, oon est homo. nam qui fit homo, is oondum homo est. si ergo cum hac, est homo, hæc, fit homo, uera simul est; cum hac uero, fit homo, hæc, noo est homo: constat, cum hac, est homo, ueram hanc fore, non est homo. id quod probandum initio proposueramus. Existit autem hoc loco quæstio, quomodo censuerit Aristoteles hanc oppositionem propositionum appellandam esse contradictionẽ, cum tamen eas simul

esse ueras putet: in analyticisq; contradictionem definiens dixerit esse oppositionem, cuius nullum per se ipsam sit intermedium, & in categorijs, vbi genera contrariorum distinxit, addiderit, quæcunq; vt affirmatio & negatio contraria sunt, a cæteris contrariorũ oppositionibus differre, quod in ijs solis alterum verum, alterum falsum sit. qui ergo fieri potest, vt qui hæc ubique decernit, hic propositionum earum, quæ, ut ipse ait, inter se ueræ sunt, indeterminatarum inquam oppositionem nomine contradictionis vocandam censeat? cum enim dixisset, [quapropter quæ ex rebus uniuersis contradictoriæ constant, idq; omnino & totum,] subiunxit, [quæ autẽ ex vniuersis rebus, omnino cõstant nec,] &c. perinde atq; harum quoq; oppositio appelletur cõtradictio. Ad quæstionem igitur dicendum est, nomen contradictionis, interdum sumi pro pugna affirmationis & negationis semper verum & falsum distinguentium: vt declarãt ea, quæ in categoriis dicta sunt, & contradictionis definitio in analyticis proposita: interdum vero significat latius, & communius omnem absolute oppositionem affirmationis & negationis, quæ eodem subiecto, eodemq; prædicato utuntur. quod ipse declarat, cum deinceps dicit, [non omnem contradictionem veram, aut falsam esse:] quod idem est, ac si diceret, non omnis contradictionis alteram partem verã esse, falsam alteram necessario. quod si in categorijs dictum est, in cõtrarijs affirmationibus & negationibus si una uera sit, falsam alteram esse: siq; falsa sit altera, veram quoque esse alteram, dicemus, non esse Aristoteli in eo libro propositũ, de his rebus accurate disputare: sed philosophum illic egisse de solis propositionibus singularibus, quæ sine dubio repugnantes sunt inter se ea cõtradictione, quæ ita uere & proprie nominatur. post eas autem argumentationes, quibus ueras simul esse indeterminatas propositiones docuit, cum ipse quoq; animaduerteret, se minus probabilia dicere, uisum iri aliquibus, quod indeterminata negatio non cũ particulari, sed cum uniuersali concurrere uideatur ijs, qui statim audiant: ideo adiunxit, sed hoc statim alienum uideri potest, id est primo quoq; intuitu, & nulla adhibita cogitatione absurdum uidebitur theorema, quod de indeterminatis propositionibus traditum est, quia hæc, non est homo albus, quæ negatio indeterminata est, idem ualeat, quod hæc, nullus est homo albus: quod si rẽ uera ita esset, profecto, cum indeterminata affirmatio sine dubio cum affirmatione particulari semper concurrat, indeterminatæ propositiones uerum, falsumq; prorsus distinguent non secus, quam affirmatio particularis, atq; uniuersalis negatio. nunc uero ait neq; idem ab ipsis significari propositionibus, hoc est ab indeterminata & uniuersali, neq; eas simul ueras esse necessario: quasi id diuersum addat ab eo, quod idem significare dictum est. sunt enim propositiones, quæ idem illę quidem non significant, sed tamen simul ueræ sunt, propterea quod se vicissim consequantur: ut si impossibile est, hominẽ alatum esse, & si necessarium est, non esse alatum hominẽ. harum cum vniuersalis uera sit, etiam indeterminata uera erit. id tamen non uicissim retro commeat. Hactenus exposita est tractatio oppositionum quæ inter eas propositiones uersantur, quæ ex subiecti diuisione oriuntur.

Vni autem negationi unam affirmationem contradictorio nomine opponi, hinc intelligi potest, quòd idem negari negatione oporteat, quod affirmatione confirmatum sit, & de eodem, uel eorum aliquo quæ sunt in rebus singulis, uel eorum quæ sunt in uniuersis, tanquam totum, uel non quasi totum: ut Socrates albus est, Socrates albus nõ est. Sin autem aliquid aliud cuidam inesse negetur, aut alij cuipiam, non opponetur hæc illi contrario nomine, sed altera. Huic enim enũciationi, Omnis homo est albus, hæc repugnat, Non omnis homo est albus. Et huic, Aliquis homo est albus, hæc, Nullus homo albus est. Item huic, Est homo albus, illa, Non est homo albus: Ac unam quidem affirmationem uni negationi contradictorio nomine opponi, qualesque essent, dixi. Hoc etiam docui, alias esse contrarias, & quales essent: contradictionemque non omnem ueram esse aut falsam, quaque de causa, aut quando uera esset aut falsa.

Cum omnes propositionũ oppositiones persecutus Aristoteles sit, nunc ut corollarium quoddam infert, nobisq; hoc loco affert, uni uidelicet affirmationi unam solam negationem posse repugnare: plures uero una, nõ posse. at quomodo id ex prædictis concludi dicemus? an quia affirmationi uniuersali uniuerse sumptæ, duæ contradictiones repugnare uidebantur, ut uniuersalis uniuerse, & particularis: quarum particularis cum illa pugnabat, ut quæ re uera ei contradiceret: uniuersalis uero in materia contingenti cũ ea simul falsa deprehendebatur. eodemq; modo cum particulari aiente duæ pugnare negationes, quę prædictæ sunt, uidebãtur: quarum uniuersalis re uera cum illa pugnabat: utpote quæ cum illa uerum falsumq; semper distinguit: particularis uero, cum illa, in materia contingenti concurrere comperiebatur. cum ergo nobis exponat, unius affirmationis unam esse negationem, eiusq; rei causam afferat, [quod idem, inquit negari negatione oporteat, quod affirmatione confirmatum sit, & de eodem]. cum idem dicit, intelligit prædicatum, cũ uero de eodem, subiectum. est enim prædictum sæpe, debere eas propositiones, quæ contradictorio nomine opponuntur, eodem subiecto, eodemq; prædicato uti. deinde quasi nobis ad memoriam redigens diuisionem propositionum a subiecto ductam, addit, [uel eorum aliquo, quæ sunt in rebus singulis, uel eorum, quæ sunt in uniuersis, tanquam uniuerse, uel non quasi uniuerse.] cũ enim ait, quæ sunt in rebus singulis, loquitur de oppositione singularium propositionum: cum ait, quæ sunt in uniuersis, de omnibus absolute intelligit, quę uniuersali subiecto utuntur. quod uero ait, tanquam uniuerse, accipiendum est de propositionibus determinatis: tum quod subiungit, uel non quasi uniuerse, de indeterminatis. deinde singularium exempla subiunxit hoc modo. [Socrates albus est, Socrates albus nõ est.] ac prius quam aliorum propositionum exempla supponat, declarat ad cuius rei distinctionem dixerit, idem negari oportere negatione, quod affirmatione confirmatum sit: atq;, [Sin autem aliquid cuidam inesse negetur, aut alij cuipiam, non opponetur hæc illi cõtrario nomine, sed altera.] id est, si negatio negarit aliud prædicatum, & id, quod affirmarit affirmatio, ut si affirmatio confirmet hominem album esse, negatio uero dicat hominem iustum non esse: certe hęc non erit illius affirmationis negatio, sed alia, & nõ hæc. erit enim illius negatio, quæ dicit hominem album non esse. hæc autem, homo iustus non est, prædicato differt ab illa, homo albus non est. Simili quoq; modo si ab alio subiecto prædicatum negetur a negatione, & non ab eo, quod affirmatio confirmarit, non erit etiam illius affirmationis negatio. huius enim homo deambulat, quis esse hanc negationem suspicabitur, equus non deambulat? constat enim huius, homo deambulat, hanc, homo non deambulat, re uera negationem esse: at equus non deambulat, subiecto ab illa differt. quæ cum media interiecisset, reliquarum propositionum exẽpla subiecit, hoc modo, [Huic enim inquit, enunciationi, omnis homo est albus, hæc repugnat, non omnis homo est albus: & huic, aliquis homo est albus, hæc, nullus homo est albus. & huic, est homo albus, illa, non est homo albus:] quarum uidelicet aliæ determinatæ sunt, aliæ indeterminatæ: tum concludens ea, quæ corollario persecutus est, ait, [Atq; unam quidem affirmationem uni negationi contradictorio nomine opponi, qualesq; essent, dixi.] percurrit enim omnes propositionum species & determinatas & indeterminatas & singulares: idque in omnibus usu uenire ostendit. tum reliqua concludens, quę de propositionum oppositionibus dicta sunt, addidit: [Hoc etiam docui, alias esse contrarias.] alias uero dicit, præter eas quæ contradictoriæ sunt. tum ait, [& quales essent.] ut subaudiamus uerbum dictum esse, quod & communiter hic intelligitur, & item in ijs quę deinceps dicit, erit intelligendum. [contradictionemq; inquit, non omnem ueram esse, aut falsam.] quid autem id nũc significet, paulo ante declarauimus. eius esse sententiam, partes eius quæ communiter appellatur contradictio, & significat quamcunq; oppositionem affirmationis

firmationis & negationis, quæ eisdem terminis utantur, nō omnino uerum falsumq; diuidere. id quod dictum est propter indeterminatas propositiones: quas in materia contingenti simul ueras esse ideo censuit, quod idem, quod particulares propositiones, ualeant. quod apud eum indicāt hęc uerba, [quaq; de causa:] & hoc, [quādo uera esset aut falsa,] de propositionibus indeterminatis est dictū: propterea quod in alijs materiis, præter quam in contingenti, ut in necessaria, atque impossibili ipsæ quoque uerum, falsumque distinguunt.

Est autem simplex affirmatio & negatio, quæ vnum aliquid de uno dicit, aut de re quæ vniuersa est totum, vel non ita. ut, Omnis homo albus est, Non omnis homo albus est, Est homo albus, Non est homo albus: Nemo albus est, aliquis homo albus est, si modo albi verbum vnum idemq; declaret. Nam si duobus nomen impositum sit, ex quibus constare non poßit vnum, non ea vna & simplex affirmatio aut negatio est. Vt si quis equo & homini nomen vestis imponat, vt sit vestis alba, hæc neque affirmatio simplex sit, neque negatio. Sic enim nihil differt, dicas, Homo est equus albus, an, est homo albus, & est equus albus. Quòd si hæ plures sunt, multaque declarant, certe prima vel multa declarat vel nihil: quandoquidem non est aliquis homo equus. Quare ne in his quidem una vera est, altera falsa necessario.

Cum uni affirmationi unam repugnare negationem dixerit, his uerbis quænam una affirmatio, unaque negatio sit, declarat: cum tamen supra hæc quoque nos docuerit, cum diceret, [Vna autem enunciatio est, quæ aut unum aliquid declarat, aut ex una iuncta est coniunctione: multæ uero quæ uel multa, & non unum aliquid significāt, uel carent cōiunctionibus.] Sed illic id fecit, ut unius & multarum enūciationum differentiam innueret, hic uero præceptum accuratius tradit. unam enim esse propositionē dicit, quæ uno subiecto, & uno prædicato, quod ad subiectum attinet, utitur: [aut de re inquit, quæ uniuersa est totum, uel nō ita.] hoc est siue sit uniuersalis ut uniuersalis, siue non: siue etiā sit particularis, siue indeterminata, siue singularis: quanquam singularium exemplum hic nō supposuit. dicimus igitur hanc, homo albus est, unam esse propositionem, si homo unam aliquam naturam significet, sique album non homonymum esse sumamus, sed definitum quid indicet. quod si subiectum aut prædicatum in propositione homonymum sit, non iam unam esse propositionem, sed tot, quot erunt sumptæ uocis homonymæ significationes. si igitur, ut ipse ait, equo & homini nomen uestis imponamus, cum dicamus: uestis alba est, nihil aliud dicemus, quam est equus, & homo albus. & coniunctio, &, opinionem facit, unam esse propositionem, cum hominem & equum copulare uideatur. si uero ablata coniunctione dicamus, equus albus est, homo albus est, nulla iam opinio remanebit, esse unā propositionem. quam ob rem si propositiones ita prolatas multas esse plane constat, profecto ea quoque, quæ parem uim cum hæc obtinet, quæ dicitur, uestis alba est, quam ipse primā appellauit, ut ab hac ad eas, quas diuersis uti subiectis neminem latet, progrederetur: uel nihil, uel multa significat. non enim unum quid potest indicare, ut diuisio huius uocis homonymæ, uestis uidelicet, ī suas significationes declarat; quoniam autem uox omnis necessario uel nihil, uel aliquid significat, sique significet, uel unum, uel plura declarat, planum est, hanc propositionem, uestis alba est, uel significantem, uel non significantem fore: & uel unum quid, uel multa & nō unum significaturam. sed cum reprehensum sit, unum ab ea significari, aliorum duorum alterum necessario consequetur: & nihil eam significare, alienum a ratione est: quamuis id sumptum sit, ut in theoremate expendendo perfecta fieret diuisio. restat ergo, ut solum multa significet hęc propositio, licet ex uoce eē una uideatur, cum subiectum esse unum appareat: propterea quod unum nomen, hoc est uestis, multa id est hominem, & equum significat. cæterum quod ait, [quādoquidem nō est aliquis homo, equus:] uidetur dixisse, quia propositiones hoc modo sumptæ, quandoque non multa, sed unum significare queant, cum scilicet multis rebus ad unam definitionem efficiendam adhibitis, ut generi, & differentijs, unum quoduis nomen quis imposuerit. sit namque animali, rationis participi, mortali, ad mentem & scientiam nato commune nomen uestis impositum, ut ait Aristoteles: num quid igitur, cum dicemus uestis alba est, hanc nō unā, sed multas esse propositiones dicemus? nequaquam: quoniam ex omnibus ijs, quibus nomen uestis est impositum, una certa hominis natura completur, & idem est dicere, uestis alba est, ac si dicas, animal particeps rationis mortale ad mentem & scientiam natum album est: idque idem est, quod hoc, homo albus est. quocirca non dicit multas propositiones ille, qui unum de eo nomine, quod communiter indidit omnibus iis, quæ eandem definitionē perficiunt prædicatum faciet. quænam igitur erit distinctio earū propositionum, in quibus ab imposito rebus illis nomine una fieri, aut non fieri posit propositio? nimirū, quod ubi una fieri non potest, necesse est, ut inter se disiūcta sint, ut de homine, & equo diximus: in quibus uero unam esse licet, hęc interdum etiam uniuerse, omnino uero in parte de se mutuo affirmari necesse sit: ut in homine & animali, & rationis participe, & mortali, & absolute in iis omnibus usu uenire diximus, quæ ad alicuius conficiendam definitionem assumuntur: quippe cum unum quodque horum de re quæ definitur, in uniuerso prædicetur, de singulis quoque definitionem perficientibus in parte affirmari sit necesse. cum enim animal de omni homine, similiq; modo particeps rationis dicatur, planum est, utrunque ipsorum de altero in parte prædicari: quandoquidem & aliquod particeps rationis est animal, & aliquod animal, particeps rationis. eadē est animalis, mortalisque ratio. nam & aliquod mortale est animal, & aliquod animal mortale est. itemq; rationis participis & mortalis, cum aliquid particeps rationis sit mortale, & aliquid mortale, particeps sit rationis: quāuis quædam horum, propter uniuersalia, uera esse contingat. id quod ipse breuiter admonuit, his uerbis, [quandoquidem non est aliquis homo, equus.] quo autem modo hoc præceptum ad cognitionem eius contradictionis, quæ propria & uera nominatur, conferat, docuit, cum hęc subiunxit: [Quare ne in his quidem una uera est, altera falsa necessario.] quod idem est, ac si dicat, quare in hisce cōtradictionibus, in quibus subiectus uel prædicatus terminus homonymus est, non necesse est alteram propositionem ueram esse, falsam alteram. atque id merito. propterea quod nihil prohibet diuersas res a uoce homonyma significatas, esse eiusmodi, ut una particeps sit eius, quod cōmuniter de eis prædicatum sit, una nō sit: ut diximus in ea, Aiax solus cum Hectore pugnauit, & Aiax solus cum Hectore nō pugnauit: & ut uidimus in exemplo, de quo supra locuti sumus, uestis alba est, & uestis alba nō est. fieri enim potest, ut, si forte homo albus sit, equus albus non sit, utraq; propositio uera sit, & utraq; falsa: & uera esse una, falsa altera.

DE FVTVRIS CONTINGENTIBVS.

IN instantibus igitur ac præteritis affirmatio aut negatio uera sit uel falsa necesse est, in iisque, ut dixi, quæ ex rebus uniuersis constant omnino, semper altera uera est, altera falsa necessario. Itemque in ijs quæ ex rebus singulis. In ijs autem quæ sunt ex rebus uniuersis, uō tamen omnino & totum dicunt, non necesse est, de quibus etiam diximus. At uero in enunciationibus quæ de rebus singulis & futuris dicunt, non ita est.

Cum hactenus Aristoteles propositionum diuisionē, quæ a subiecto ducitur, nobis exposuerit, easque propositiones distinxerit, quæ simul ueræ & simul falsæ esse quandoq; possunt, itemque eas, quæ uerum, falsumque semper diuidūt: nunc addit eam differentiam, quæ in eis a prædicato oritur, quæque iterum ad diuidendum, aut non diuidendum uerū & falsum conducit. cum enim prædicatum in propositionibus uerbum esse, necesse sit, uerbum autem diximus tem-

pus

pus adsignificare, tempusque ipsum tripartito distribnimus in præteritum, præsens, & futurum: profecto singulas propositiones in uno horum trium temporum sumi necesse est. itaq; tres cum sint in propositionibus oppositiones ex subiecti diuisione ortę, quarum duæ angulares dictæ sunt, ut omnis, & non omnis: aliquis, & nullus: tertia uera indeterminatarum, & præterea singularium propositionum: recte admodum & diligenter tres species oppositionum, quæ in propositionibus fiunt, simili modo affectas esse in omnibus temporibus ad uerum & ad falsum diuidendum, aut ad uerum simul enunciãdum admonuit. tales autem esse ait angulares, & indeterminatas, singulares uero non item. Sed instituatur nobis oratio de una ex iis tribus oppositionibus, ut etiam quomodo hac in re, quam diximus, singulares ab iis propositionibus differant, intelligatur: cum eadem uidelicet nobis usui esse possint ad singulares propositiones ab aliis duabus oppositionibus distinguendas. Sumantur ergo particularis affirmatio, & negatio uniuersalis. has si in materia necessaria sumpseris, affirmationem semper ueram cõperies, negationem uero semper falsam: si in impossibili, affirmationem falsam, & negationem ueram: at in contingenti, affirmationem, ut pote quæ contingens in parte esse dicat, ut etiam est ei natura tributum ut sit, etiam ueram cõperies: negationem uero, quæ contingens prorsus tollit, quod suapte natura quibusdam insit, quibusdam non insit, necessario falsam. etenim, ut in præsenti tempore hoc, aliquis homo albus est, uerum est: hoc uero, nullus homo albus est, falsum est; ita etiam in præterito, aliquis homo albus fuit, uere dicitur; hoc uero, nullus homo albus fuit, falso. in futuro quoque, eodem modo: aliquis homo albus erit, uerum: nullus homo albus erit, falsum. eadem ratio cõueniet alteri oppositioni earum, quæ in angulis sitę sunt, ut omnis & non omnis. eius enim partes in quacunq; materia sumantur, pari modo ad uerum & falsum diuidendum affectæ esse deprehendentur. Indeterminatas quoque propositiones si in necessaria, aut impossibili materia consideres, in omni tempore uerum falsumque eas distinguere comperies. in contingenti uero, seu ueræ simul sint, ut prius diximus, hoc habebunt, ut in omni tẽpore simul ueræ sint: nec tamen in præsenti, si ita sors ferat, simul uerę sunt, in prętерito uero & futuro non ita se habebunt: seu uerũ & falsum diuidant, cum indeterminata negatio non idem quod particularis negatio, sed idem, quod uniuersalis ualeat, in omni etiam tempore hoc habebunt, ut sibi mutuo contradicãt æque, ac particularis negationis ad uniuersalem negationẽ oppositio. Cũ igitur tres prædictæ oppositiones in omni tẽpore, eodem modo affectæ sint ad contradictionem faciendam, aut non faciendam, Aristoteles ait propositiones singulares ĩ materia necessaria & impossibili diuidere illas quidem non secus, quam aliæ, uerum & falsum determinate in omni tempore, (nam in materia necessaria affirmatio quæ inesse id, quod necessario inest, confirmat, uera est necessario, negatio uero falsa, utpote quæ tollit id, quod inest necessario: in impossibili uero affirmatio falsa est, quæ impossibile inesse dicit: negatio, quæ illud adimit, uera.) sed tamen in materia contingenti negat eas simili modo in omni tempore sumptas uerum, falsumq; distinguere. nam in præterito atque præsenti, utpote re, qua de agitur, exitum consecuta, altera singularium propositionum perspicue ueram esse, falsamq; alteram. Si enim forte lauatur, aut heri lotus est Socrates, uera erit affirmatio, quæ dicet, Socrates lauatur, Socrates heri lotus est: negatio uero quæ id qđ est, uel quod fuit, tollere conatur, plane falsa erit. siq; non lauatur, uel pridie non lotus est, planum est negationem in præsenti ac præterito sumptam necessario ueram esse; affirmationem uero, quæ inesse, aut fuisse dicit id, quod euenit, falsam. at in futuro tempore cõcedit quidem singulares propositiones ita uerũ falsumq; diuidere, sed tamẽ nõ ęque atque illæ, quæ in præsenti, præteritoq; sumuntur: propterea quod non possumus definite dicere utra ipsarum uera, utra falsa sit: cum res nondum euenerit, possitq; & euenire, & secus. Hoc autem theorema, quod hoc loco ab Aristotele tractatur, logicum quidem uidetur esse, sed tamen re uera ad omnes philosophiæ partes est necessarium. nam in ea philosophiæ parte, quæ moralis est, necessario assumẽdum est, non omnia esse, ac fieri necessario, sed quædã esse in nostra uoluntate: siquidem actiones quędam in nostra sint potestate, & in nostro arbitrio sit, ut hæc eligamus, illa non item: & ut quędam agamus, quædam nõ agamus: & quædã sint laudanda, quædam uituperanda instituta atq; consilia: & quædam probandæ, quædam improbandæ actiones: & ad honestas ac bonas hortari homines, & deterrere a cõtrariis dignum putemus. atq; etiam ad naturalem philosophiã utile hoc theorema uidetur: quippe cũ naturalis philosophus etiam quærat, fiant ne omnia necessario, an quædam etiam fortuna, & casu. simili quoque modo ad logicam pertinet: nunc enim quæritur, utrum omnis repugnantia definite uerum, falsumque distinguat: an quædam sit, quæ hæc indefinite diuidat. sed ad primam quoq; philosophiam hoc theorema pertinere comperies. nã & theologus perquiret, quo modo prouidentia diuina ea, quæ hoc mundo continentur, dispenset, atque gubernet: utrum uidelicet, quæ fiunt, definite, & necessario fiant omnia, ut in rebus æternis usu uenit: an quædam etiam sint, quæ ut in contingẽtibus eueniãt: quorum sane generationem in particulares causas, & quarum non sit certus status, necesse est referamus. Non comperies autem, qui nõ admodum indocti sint, & plebeij, qui huius theorematis cognitionem contemnant, sed quosdam, qui perinde ac necessario fiant omnia, causas quare, quę uolunt, non consequantur, uel fato, uel prouidentiæ, eiq; & diuinæ & dæmoniæ tribuere conantur: ut facit is, qui inscite apud Homerum sic loquitur,

,, Non ego causa mali: at sæuus Saturnius auctor,
,, Fataq; funesta, & semper mihi tristis Erynnis.

quosdã uero, quasi quædã etiã sint in nostra uoluntate cõstituta, inuenies aduersus eos contendere, qui omnia necessitati addicũt: ac censere, nos utpote qui proprio motu cieamur, in doctrinam, atque uirtutem incumbere debere. ergo cum hoc theorema tantam uim ad nostram uitam omnẽ habeat, existimo esse necessarium hoc loco, ex rationibus eorum, qui omnia fieri necessario contendunt, eas quæ auditores in nonnullam adducere dubitationem uidentur, exponere, atque confutare. Cum igitur duæ sint, earum altera potius logica est, altera, a re ducta, est multo difficilior. quæ magis logica est, ut ĩ quadam nostra actione, ut in metẽdo, tractatur ad hunc modum: si metes inquit, non forte metes: at non forte metes, sed omnino metes. &, si non metes, simili quoque modo non forte metes: forte autem non metes, sed omnino non metes: atqui ex necessitate uel metes, uel non metes. ergo sublatum est uerbum forte, si non habet locum in oppositione metendi & non metendi: cum horum alterum ex necessitate eueniat: neque etiam in eo, quod utranlibet suppositionem consequitur. & uerbum forte, erat id, quod contingens inuehebat. ergo contingens perit. sed hæc ratio faciles habet explicatus, si ita dicamus, cum dicitis, si metes, non forte metes, forte autem nõ metes, sed omnino metes: quomodo supponitis uerbum metes, ut necessarium, an ut contingens? nam si ut contingẽs, habemus quod quærimus: si ut necessarium, in primis uos petitis uobis pro euidenti concedi id, quod primum in cõtrouersiam est adductum: deinde uerum quidem erit, dicere, omnino metes: non tamen uobis locus relinquetur, ut dicatis, atqui uel metes, uel non metes. quomodo enim, cum horum alterum necessario eueniat, alterum uero impossibile sit, locus ẽt erit, ut dicatis, atqui uel hoc est, uel illud. iacet igitur eorũ tota cõclusio. Altera uero eorũ rõ, quę tantũ habet in se difficultatis, & tam difficulter ei occurri, ac resisti potest, ut multi etiam eorum, qui præstare cæteris ingenio uideantur, in sententiam eorum, qui contingens sublatum uolunt, ierint, ex hac diuisione progreditur. Dij, ĩquiunt, uel definite sciunt euentum contingentium, uel nulla eorum penitus notione sunt prædití, uel infinitam eorũ cognitionem, æque ac nos, habenț. uerum fieri nequit, ut aliquid eorum, quę sunt, ignorent, cum omnia producãt, atque disponant: sintque mentes ab omni materia secretæ atque liberæ: ac potius, si accuratius loquendum est, supra ipsam intellectualem proprietatem ueræ sui ipsorum essentiæ sedem collocarinț. neque enim rerum naturam & ordinem

nem casu constare dicemus, neque consentaneum est, uel ignorare Deos quę producũt, uel ceu quosdam ignauos ac desides illorum cognitionem gubernationemque negligere. Existimare enim operosam, negotiosamque statui deorum uitam, atque expertem insanæ cuiusdam tranquillitatis, quę Dijs minime conuenit, si res singulas ab eis curari dicamus, est eorum, qui diuinæ cognitionis, & potestatis excellentiam, si cum nostra conferatur, minime cognoscũt: & propter huius rei ignorationem ex rebus humanis diuinas æstimandas, & nostram imbecillitatem ad illos transferendam putant: quasi Sol rex omnia, quæ hac mũdi sede cõtinentur, illustrare simul queat, nisi quædam corpora non pellucida, sed solida, nonnullis quandoque obiecta sint, diuina uero potestas corpore uacans, & materiæ omnino expers non posit expedite simul tota cunctis rebus adesse, cũ nihil se ei obiicere, præter nostram inhabilitatem, posse uideatur. quanquam ne tum quidem re uera diuina prouidentia impediatur, quin uel humanas res cognoscat, uel eas curet: sed quod nobis idem accidat, quod ijs, qui in luce Solis uel dormiunt, uel conniuent. ut enim illi Solis calore, qui his rebus ab ipso Sole impertitur, perfruuntur, ni autem luminis suo se ipsi consilio priuant, non quod Sol aliqua iracũdia percitus radios suos ab illis auertat; ita etiam qui ob uitam flagitiosam a deorum excidere prouidentia dicuntur, non sunt ab ea prorsus exclusi. neque enim quisquam, ut hospes Atheniensis apud Platonem ait, adeo est exiguus, qui si imam terram subeat, latere diuinam posit prouidentiam uel minima quæque intueontem: neque ita magnus, ut supra cælum euolare, & prouidentiam cuncta gubernantem, & constituẽtem euadere: sed cum se ipsi a deorum uiribus atque potentijs nobis bona per se distribuẽtibus homines abdicarint, eas necessario potentias nanciscuntur, a quibus per pœnam & supplicium ad naturalem statum reducantur. cum ergo de his inter homines qui sana sunt mente, & non peruersa, communiter constet, eademq; decimo de legibus libro a Platone perspicue demonstrata sint, fieri non potest, ut Dij res nostras ignorent, neq; ut earum incertam indefinitamq; cognitionem, tanquam de euenturis coniectantes, habeant. primum enim, ut nos etiam Timæus docuit, & ipse Aristoteles theologice differens pronunciat, & ante hos Parmenides, qui non solum apud Platonem, sed in suis etiam carminibus id conscripsit, apud deos neque præteritum quicquam, neque futurum est: oeque horum utrunque non ens, tum non amplius, tum non dum: tum quod mutatum est, tum quod suapte natura aptum est ut commutetur, hæc autem ijs, quæ uere sunt, quæq; ne cogitatione quidem mutationem capiunt, minime conueniunt. quod enim penitus immutabile est, id necessario antecedit illi, quod quoquo modo mutatur: ut etiam maneat, dum cõmutat. quocirca in Diis, qui ad ea quæ sunt, principij rationem obtinent, præteritum aut futurũ spectari nullo modo possunt: sed omnia sunt apud eos in uno instanti æuo sita atq; locata: in quo mensure temporum unà cum natura uniuersitatis apparent, eaq; sola quæ in tempore uel subsistentiam, uel actionem habent, dimetiuntur. quibus quidẽ fit rebus ut coniecturalis illa cognitio, quæq; ad extrudendam uitam, quæ mente ac ratione ducitur, tota pertinet, procul a natura deorum amandanda sit. deinde uero quomodo ulla in nobis temperantiæ particula uidebitur, si deorum cognitioni nihil plus, quã nostræ tribuendum esse censeamus: sed ambiguam esse illam, atq; incertam fateri audeamus? eiusdem autem erit mentis, immo uero potius amẽtiæ, brutorum quoq; notitiam cum nostra conferre, eisq; rerũ uniuersarum, & quæ ratione atq; intelligentia cernuntur, comprehensionem impertiri. ad summam autem, si deos rerum omnium necesse est auctores, aut causas adiuuantes esse, quomodo erit consentaneum, aut opera ab ipsis sua ignorari, uel suorum operum effecta, uel quæ ab eis quocunq; modo fiunt: aut præditos ipsos ambigua esse cognitione earum rerum, quæ in sua positæ sint potestate, tanquam ad eos illæ nihil pertineant? neutra autem harum suppositionum nõ possunt oostra a Diis curari ea ratione, quæ diuinæ prouidentiæ conueniat. hoc est, ut prouidentes suapte ui, atque natura curam harum rerum gerãt: & tanquam ex puppi eas regant, atque gubernent: non consultando, ut poetæ aiunt, siquidem consilium est prudentiæ indigentia. neq; modo in hanc, modo in illam partem consultando, & faciendo, cum hoc ab una & simplici, & prorsus immutabili ipsorum actione sit alienum: ijsq; solis conueniat, quos tempus dimetitur, quiq; instituto & electione actiones obeunt; sed ipsa essentia inquiunt: quemadmodmodum Sol, qui neq; consultando, neque se se mouendo, sed ipsa essentia, etiam si semper manens cogitatione comprehendatur, tamen eas res, quæ luminis ipsius esse participes possunt, implet. illorum igitur prouidentia neque ita potest effici, neque si ita fiat, certe de pluuia, aut fructibus seruandis, aut uictoria comparanda, preces eis facere, ut qui rerum euenta ignorent, hominis esset plane stolidi, & a ratione ualde abhorrentis. quod si hæc fieri nequeunt, eaq; nec dicere, nec cogitare fas est, atq; ab ipsa experientia coarguuntur, ut magni diuinarum actionum libri, eaq; quæ, prope dixerim, quotidie fiunt, indicant ijs, qui animaduertere eadem possunt, profecto planũ est, & a Dijs constitui & gubernari contingentia, & eorum euenta ab ijsdem definite cognosci. potius enim uerisimile erat, ab ipsis res æternas despici, utpote quæ destitutę sint ea prouidentia, quæ in eas incumbit, quam eas quarum natura labitur ac fluit: siquidem illæ suapte natura determinatæ sunt, talemq; immutabilem essentiam sunt a Deo consecutæ: at quę ortui sunt obnoxiæ, cũ propter materiæ suæ fluxum in omnis generis mutatione sua natura uersentur, certe neq; esse, neq; contineri, neque regi possunt, nisi multum eius causæ quæ opifex & prouidens est, eorum, quæ eodem modo semper se habent, atq; eius quidem non uniuersalioris & separatæ, atque abstractæ, sed cuiusdam magis particularis, & propinquæ sint nactæ, quemadmodum etiam in genere humano pueros maiore cura, quam uiros indigere, & stultos, quam sapientes, intuemur. quare si Dij contingentia norunt, eaq; definite norunt, ut ne incertam illorum cognitionem, sicut diximus, statuamus: sciuntque ligneum murum esse Athenas a barbarico periculo seruaturum: &, diuinam Salamina natos mulierũ perditurum esse, &, Crœsus Halim penetrans, magnam peruertet opum uim: &, Laius liberos suscipiens domum suam uniuersam funditus euertet: constat fieri noo posse, quin hæc eueniant: sin secus, illos necessario fore mendaces. ergo duorum alterum, aut omnia oecessario euenire, & ut a Dijs cognosci, & prędici dicemus, & contingeos nomen erit inane; aut neque a Dijs cognosci, neque prouideri his rebus ab ipsis affirmabimus. at hoc fieri noo potest, ergo contingens perit. huic ergo rationi, quæ non facile redargui, reprehẽdiq; potest, ut iam diximus, quæque ab ipsa euidentia, ut uatum prædictiones docent, confirmari uidetur, nos occurrentes ex diuini Iamblichi sentẽtia operæpretium esse existimamus uarias cognitionũ mensuras distinguere. dicimus ergo, si cognitio quæ media interiecta est inter cognoscentem, & rem quæ cognoscitur, sit actio cognoscentis in rem quæ cognoscitur, ut aspectus in album, eam modo præstantius quã ferat natura eius rei, quæ in cognitionem cadit, modo deterius, modo pariter rem cognoscere. cum enim mentem nostram actiones ciuiles pertractantem dicimus res singulas cognoscere, eaq; ad uniuersalia referentem, & per illa uelut propria, cognoscere conantem, certe tunc cognitionem esse re cognita præstantiorem affirmabimus; si modo distribui in partes res singulæ possunt, & in mutatione uersantur: ratio autem, qua mens agens cognoscit, indiuidua est, & immutabilis. cum autem ipsa in sese conuertitur, & conuenienter uirtutibus, quę purgantes nominantur, agit, ac sui essentiam contemplatur, tum cognitionem parem & æqualem rei, quæ cognoscitur, habeat necesse est. denique cum ad summum suæ perfectionis apicem euehitur, easque uirtutes tractat quæ in contemplatione uersantur, & quo ordine diuinæ res sint constitutæ animo uoluit, & quomodo omnes ab imo principio producantur, & quæ sit cuiusq; proprietas considerat, tum cognitio erit re cognita necessario deterior. Cum hæc ita se habeant, dicendum est, Deos nosse omnia, quæ facta sunt, quæ sunt, quæ futura sunt, & quę erunt, eo modo, qui Dijs conueniat: hoc est, vna ac certa & definita quæq; transire non posit, cognitione: atque ita

etiam

etiam eos præditos esse cognitione contingentium: utpote qui omnia, quæ in mundo sunt, producant: atq; æternarum substantiarum causæ sint, genitarum uero causæ adiuuantes pro suis cuiusq; illarum actionibus: quique non modo ipsas substantias, sed earum quoque facultates, actionesq; & naturales, & quæ præter naturam sunt, intueantur. id quod præter naturam unà cum necessaria remissione rerum deficientium attributum etiam est ijs, quibus est natura comparatũ ut quandoq; huius sint participes (non primo quidẽ, & præcipue, sed per tenuem, ut appellant, inhærentiam) cognosci tamen a Dijs contingentia melius, quam natura contingentium ipsorum postulet. quocirca cum hæc infinitam sint sortita naturam, possunt euenire, & non euenire: Dij uero qui melius, quam natura ferat contingentium, ipsã cognoscũt, definite etiam eadem norunt: quandoquidem necesse est, ut res quę diuiduę sunt, indiuiduę & sine ullo interuallo, & quę multiplicatæ sunt, unitatis forma: & quæ sunt in tempore, æterne; & genita ingenite cognoscant. neque enim diei patiemur, Deorum cognitionem cum rerum fluxu cõcurrere, eique comparari: neque quicquam apud eos esse aut præteritum, aut futurum: neq; in eis dici, ut in Timæo didicimus, erat, uel erit, quæ mutationem quandam indicant: sed solũ est: idque nõ connumeratum cum uerbis fuit, & erit: neq; ut ab ijs ex altera parte distinctum, sed quod ante omnẽ temporis repræsentationem intelligatur: ipsorumq; constantiã & firmitatem significet: quod magnus Parmenides omni intelligibili cõuenire pronunciat. ait enim, Haudquaquam simul omne fuit, neque erit, sed solum est. neque tamen existimandum est, ea quæ uocamus contingentia, necessarium euentum esse habitura, quod a Dijs definite cognoscantur. nam nõ ideo necessario euenient, quod ea Dij cognoscant, sed quia naturam habent cõtingentẽ, & ambiguam, & finem uel hunc, uel illum habebunt, ideo necesse est, Deos scire necessario, quomodo euentura sint: eademq; res sua ipte natura contingens est, Deorum uero cognitioni non incerta illa quidem, sed definita. Planum autem est, nos quoque nostra cognitione posse interdum contingens definite cognoscere; cum non est proprie contingans, sed ex antecedentibus eius generationis causis necessario cõsequitur. Sphæra autem in parallelo finitore plano quiescens potest ab aliquo moueri, & non moueri, cum tamen planum eundem situm obtineat. at plano inclinato, non potest non mota esse: ideo medicos quoque uidemus, de ægrotantibus utrum ad ualetudinem peruenturi, an morituri sint, perinde ac sit utrunque contingens, nihil audere pronunciare: quandoque uero asseuerantes horum alterutrum prædicere, quasi aliquid prorsus ægrotanti sit euenturum. Quoniam uero nonnulli maiore audacia in huius theorematis quæstione uersantur, ac ne in Dijs quidem esse definitam contingentiũ cognitionem se ostendere existimant, quod oracula quędã afferant, de futuris ambigue pronunciantia: ideo cõtra eos id ipsum dicendum est, quod magnus Syrianus memorauit. primum quidem esse animaduertendum, aliam esse Deorũ cognitionem atque intelligentiam, aliam uero esse actionẽ uatis eius, quæ a Deo cõmota est, quæ sermonem, qui distribui in uarias partes queat, itemq; metra, & ambiguam cognitionem in se ipsa concipit. neq; enim quod lumine perfunditur, idẽ est, quod id, quod lumen infundit: deinde, ambigua responsa sæpe dari, quod ea res audientibus utilitatẽ ferat, ut ita mentem eorum, atque ingenium exerceant. nobis enim Dij utuntur, tanquam a nobis moueamur: atq; hoc modo res nostras gubernant, & omnia nobis pro cuiusq; dignitate tribuunt atque dispensant. sed hæc fortasse audacter pronunciamus, & a proposita quęstione longe erramus. Omnino autem ratio, quæ necessitati cuncta addicit, hoc etiam ait, utrum hoc etiam ipsum accidat hominibus necessario, ut dicamus, uel omnia fieri necessario, uel opiniones de modo rerum generandarũ in nostra esse uoluntate. si enim secundum uerum sit, iam non omnia fient necessario. si primum, quomodo aliqui contrarium opinantur, multa in nostra uoluntate esse sita. est enim hoc omnino a ratione alienum, ut nos a natura, quæ omnia necessitate, ut illi aiunt, coercet, ad ea, quæ a natura fiunt condemnanda, præter naturam moueamur. perinde enim esset, ac si quis medicinã docens hac ratione suos auditores paret, ad eius artis, quam expetiuerunt, tollenda principia. atqui uerisimile est, artificem moliri aliquid, quod præter eius sit artem, non in eo quod talis ipse sit: ut si medicamentum ad perdendum foetum, aut uenenum medicus dederit: utpote qui animo præditus sit, qui motu suo cieatur: ars uero nihil ei ad animi perfectionem conferat: sed in corporis, aut exteriorum curam incumbat. ut uero natura quid suo fini cõtrarium faciat, fieri nullo modo potest. quinetiam non possumus ut monstrorum, sic etiã opinionum causas in materiæ redundantiam, aut defectionẽ referre. neq; enim, etiam si uelint fingere, facile est, diuersarum opinionũ causas ex materiæ differentia reddere: neq; fatum esse causam omniũ fatebuntur: sed de his satis. Vt autem ad uerba explicanda, quæ hoc loco dicuntur, nostra se referat oratio, in primis ostendemus, quæ hic traduntur, cõsequi ex ijs, quæ paulo ante ab Aristotele dicta sunt. proximis enim superioribus uerbis de affirmationis & negationis, quæ non semper uerum & falsum diuidunt, oppositione dictum est. ergo consequens est, ut addat deinceps, quænam affirmatio, quæq; negatio ita inter se cõtrariæ sint, ut uerum falsumq; semper distinguant, non tamen definite, sed indefinite. primum autem tradit, quæ cõmuniter conueniant contradictionibus quæ ex diametro distant in angulis constitutæ, & contradictioni singularium: atque ijs omnibus conuenire, ut uerum falsumq; in præsenti & præterito tempore dispertiant: quod significat his uerbis: [In instãtibus inquit, ac præteritis affirmatio aut negatio uera sit aut falsa necesse est.] docetq; prius, hoc cõuenire angularibus, quas uniuersales ut uniuersales uocat, utpote quarum altera sit uniuersalis propositio: subiunxit idem etiam usu uenire in singularibus propositionibus, quod in angularibus, quod quidem indicant hæc uerba, ut dixi. Admonet quoq; in propositionibus indeterminatis, si in contingente materia capiantur, nõ necesse esse, unam ueram esse, & alteram falsam: deinde addit differentiam propositionũ singularium in futuro tempore, a cæteris generibus contradictionũ: cum ait, [At uero in enunciationibus, quæ de rebus singulis, & futuris dicunt, non ita est.] quibus uerbis nobis indicat, angulares & indefinitas propositiones ita se habere in futuro tempore, sicut in præsenti, præteritoq; habuere: singulares uero non item. cumq; proprium earum propositionũ, de quibus instituta disputatio est, afferret, id summa diligẽtia tradidit; cum dixit, quæ de rebus singulis, & futuris dicunt. nam illo uerbo, futuris, significauit se in materia contingenti hoc intelligere. est enim aliud, ut ipse in libro de ortu & interitu docuit, futurum, & quod erit: quorum primum *μέλλον*, secundum *ἐσόμενον* uocat. nam *ἐσόμενον* significat id, quod omnino euenturum est, ut cum dicimus, erit hiems, erit æstas, erit Lunæ defectio: *μέλλον* uero, quod euenire potest, & secus: ut cũ aiunt, *μέλλω βαδίζειν*, id est ambulabo, & *μέλλω πλεῖν*, hoc est nauigabo. Cum ergo declararit in alijs materijs, ut in necessaria, & impossibili, singulares propositiones simili modo affectas esse, ut sicut in præterito & instanti, sic etiam in futuro uerum falsumq; definite distinguant, in contingenti uero non item, quamuis in hac materia aliæ contradictiones non secus in futuro, quam in facto atque instanti tempore se habeant: addidit, non ita est: ut significaret, quo modo hæ quoq; non ita sint, si in hac suppositione capiantur: quod scilicet uerum & falsum illæ quidẽ omnino, non tamen definite, sed indefinite distinguant. necesse enim est, Socratem lauatum iri, aut non lauatum iri cras. ac neq; utrunq;, neq; neutrum fieri potest. utrum uero horum sit uerum, ante rei euentum cognosci non potest: quippe cum utrunq; eorum & fieri & nõ fieri propter ipsius contingentis naturã possit. id quod nobis breuiter indicauit, cum dixit, non ita est.

Si enim omnis aut uera aut falsa enunciatio est, certe omnia insint aut non insint necesse est. Nam si hic aliquid fore dicat, ille idem neget fore, profecto necesse est vere alterutrum dicere, si modo omnis enunciatio vera est, aut falsa: quandoquidem in eodem simul vtrunq; non intelligitur.

His uerbis uult ei fauere opinioni, quæ contingens aufert: ut ipsam quoad eius fieri possit confirmatam reprehendat. gerit autem personam eorum hoc loco, qui sententiam

hanc

hanc tuentur ac primum uelut sumptiunculam quandam capit: ex ueritate orationum rerum essentiam sequi: ex falsitate uero, essentiæ uacuitatẽ. quã rem apud eum significat, quod ait, [si enim omnis aut uera, aut falsa enunciatio est, certe omnis inest, aut nõ inest, necesse est:] deinde ab effato contradictionis progreditur, atq; singularium & contingentium propositionum in futuro tempore sumptarum alterutram ueram esse necessario: quandoquidem neq; utraq; simul uera esse, neque utraq; simul falsa possit. quod autem dicimus, utranq; simul ueram non esse, ipse aperte significauit his uerbis, [quandoquidẽ in eodem simul utrunq; nõ intelligitur:] hoc est, eiusmodi propositiones nõ idem, quod indefinitæ in contingenti materia sumptæ, patientur. illas enim simul ueras esse diximus: at hæ simul ueræ esse nõ possunt. id quod fit, ne idem in eadem re simul fit, & non fit: ut Socrati lotum iri postero die, & non lotum iri. eas uero nõ posse simul falsas esse, in sequentibus addet. his igitur sublatis, cum sit probatum hac ratione, uerum & falsum ab eis diuidi, ait demonstraturum se, id ab eis definite fieri, si duos quosdam, sumamus, qui sibi diuinandi artem uendicent: qui de re aliqua singulari prædicere conentur, ut de ægroto aliquo dicat alter, eum esse conualiturum, alter non esse conualiturum: planum enim est, alterum eorum necessario uerũ dicere; alterum, falsum. si ergo qui dicet conualiturum, uerum dicat, necesse est, ut ille conualescat: quia posuimus, ex orationum ueritate rerum euenta omnino sequi: si uero qui negauit, uerum enunciet, certe patet, fieri nõ posse, ut ægrotus cõualescat. quam ob rem uel necessario res eueniet, aut euentum impossibile habebit. ergo contingens sublatũ est.

Etenim si vere dicitur, esse album aliquid, aut non esse album: necesse est id esse album, aut non esse album. Et si est album, aut non est album, vere id dictum fuit vel negatum. Et si non inest, id falsum est: quod si falsum, nec inest, Ita necesse est semper vel affirmationem vel negationem veram esse vel falsam. Nihil igitur euenit neque fit forte, temere, casu, nihil in alterutram partem aut cadet aut non cadet, sed ex necessitate omnia fiunt quæcunq; fiunt, non in alterutram partem. Nam aut is vere dixit qui rem confirmauit fore, aut is qui negauit: quoniam æque eodemq; modo eueniet res, aut non eueniet. Quod enim alterutram in partem cadit, non hoc modo potius, quam illo, euenit aut futurum est.

Cum Aristoteles supradictam cõfirmare sumptiunculam uelit, ex orationum ueritate rerum essentiam, & ex earundẽ falsitate, rerum quoque essentiæ priuationem sequi: id ita esse, exemplis probat: quandoquidẽ exempla clariores reddere rationes solent, quæ sine exemplis proferuntur. assumpta autem est coniunctio, etenim, quæ causam reddit, cum ait, etenim si uere dicitur, ut intelligeremus, qua de re nunc esset ei propositum: probationem inquam ante dicti theorematis his contineri. ait autem, si uerum sit de aliquo dicere, ut de hoc uestimento id album esse, etiam album esse necessario: sique uere dicatur, non album esse, non esse etiam album necessario. deinde quædam per hæc adijcit supradictis, censetq; sumptiunculã in se ipsam reciprocari: hoc est, non solũ necesse esse, ex ueris orationibus rerum sequi essentiam, sed etiam ex essentia ueritatem orationũ sequi: adscribo ait, [Et si est album, aut non est albũ uere id dictum fuit, uel negatũ:] simul nos hisce docens, eum non dixit, uere dicitur, sed uere dictum fuit, quod perspicue post adiunget, nõ solum in eo tempore, in quo res eueniunt, & consistunt, uere de eis dici, eas ita habere, ut habent: sed etiam ante euentum ueram esse de eis prædictionem. quod ipse necessario sumit, utpote quod ei ad contingens tollendum adiumento futurum sit: uimq; omnem argumentationis, ut intelligamus, contineat. hoc ergo uelut ex syllogismo concludens, deinceps infert, [Ita necesse est, semper uel affirmationem, uel negationem uerã esse, uel falsam.] subaudiendum nimirum est, definite. idq; merito. si enim necesse est album uel esse, uel non esse, etiã præter hæc non est: sed cum ipsum fit, quæ de eo affirmatio prędicta est, uera definite erit: cum nõ fit, uera erit negatio. hoc igitur intulit iure & merito tãquã conclusionem ex prædictis consequentem: ita necesse est, semper uel affirmationem, uel negationem ueram esse, uel falsam. cumq; uicissim reciprocari ueritatem orationum, & rerum essentiam docuisset, prius quam prædictam conclusionem inferret, medium interiecit hoc, falsitatem orationum, ac rerum inexistentiam inter se conuerti, cum ait, [Et si non inest, id falsum est, & si falsum est, nõ inest.] Quæ cum ita sint, ipseq; iam docuerit, necesse esse, alteram contradictionum inter se, propositionum singularium, & contingentium in futuro tempore definite uerum dicere, alteram falsum: quasi per se consequatur, ut ex ijs quæ dicta sunt contingens adimatur: ideo ait, Nihil ergo est, neq; fit neq; a fortuna, neque in alterutram partem cadet: ut hoc uerbo igitur, significet, necessitate eorum quæ prædicta sunt, contingens aboleri. quod contingens tripartito diuiditur. dicitur enim quod plerunq; euenit, ut hominem quinq; digitis nasci: aut in senecta canescere: rara autem sunt quę non ita fiunt: deinde uero quod raro fit, ut fodientem thesaurum inuenire: denique quod æque fit & non fit, ut lauari, & non lauari, ire & non ire. atque in eo, quod plerunq; euenit, duę quædam causæ uersantur, ut natura & ars. uidemus enim naturam plerunq; recte in suis actionibus facientem: siquidẽ monstra rara sunt: & artes quandoq; finem propositum non assequuntur, propterea quod materia eis subiecta fluat: & tamen plerunq; res suas recte conficere profitentur. nemo enim eis, nisi ita profiterentur, uteretur. quam ob rem orator affirmat se pro maiore parte esse persuasurum: ac medicus plerunq; ægrotantem sanaturum: ac singuli quoque alij artifices se finem suum esse consecuturos pollicentur. In eo uero genere contingentis, quod raro euenit, duo hæc uersantur, casus & fortuna. differunt autẽ inter se, quod id quod a fortuna proficiscitur & pendet, dicitur præter opinionem & raro contingere in ijs, quæ iudicio & consilio geruntur: quod idem est, ac si dicas in hominum operibus: siquidem iudicium atq; consilium in solis hominibus dicitur: quibus a natura tributum est, ut consulerent, & hanc illi rem anteponant: cum neque ij qui nobis sunt præstantiores, consilio indigeant, neque etiam bruta, quæ sunt rationis expertia, consultare possint. ergo quod a fortuna prodit, in ijs dicitur, quæ consilio & iudicio, uti dixi, geruntur: quod uero casu, in ijs, quæ secundum naturam fiunt. nam si quis nostrum domo exeat amici cõueniendi causa, & in aliquem librum uenalem præter spem incidat, cuius prius desiderio tenebatur, eumq; emat, is dicitur fortuna eum librum uenalem nactus esse: propterea quod libri emptio cum aliquo iudicio est, consilioq; coniuncta, quod consilium nos ad profectionem excitauit. idque foris euenit, cum nulla proxima causa id ipsum definite fecerit. nam & qui ad balneum proficiscitur, uel cum supplicatum, uel ad aliquod spectaculum iret, librũ emit. at si ex terræ motu aliqua terræ pars diducatur, & fons, qui ibi prius non esset, exiliat, uel qui esset, euanescat: non iam fons a fortuna factus aut sublatus, sed casu dicetur: sique a loco aliquo sublimi lapis decidat, eumq; situm nanciscatur, ut uerbi gratia ad sellam aptus reddatur, ea sella non fortuna, sed casu esse affirmabitur: siquidem accidens hoc non consilio atque iudicio, sed naturali lapidis impetu, quo superne deorsum delatus est, euenit. at in eo contingenti, quod æquale nominatur, solum consilium atque iudicium est positum: ut progredi, aut non progredi: differere, aut non differere. hocque solum genus contingentis appellatur in utranq; partem cadens: quia nec magis, nec minus ex eo habet essentia, quam inexistentia, sed utrauis contradictionis pars euenire potest. ergo tollens, ut diximus, contingens, [Nihil inquit, neque est, neque fit neque a fortuna, neque in utranq; partem cadit.] hoc est, nullum ergo contingens uel ut raro, uel ut æqualiter iam est subsecutum, neque post unquam eueniet. tum communiter omne contingens auferens, addidit, aut erit, aut non erit, contingens enim omne hoc differt ab eo quod euenit necessario, quodque impossibile est, quia hoc dicimus, solum fore; impossibile uero, solum non fore: contingens uero uel fore uel non fore. nihil ergo inquit, neq; est, neq; fit modo contingentiũ sed ex necessitate omnia: & non in alterutram partem. deinde quasi ad memoriam nobis redigat uiam & rationem,

quam

quam ob rem hæc euenire uisa sunt, addit, [Nam aut is uere dixit, qui rem confirmauit fore, aut is, qui negauit.] si autem alteruter horum uerum dicet definite, ex eo uero, quod altera propositio contradictionis definite uera erat, contingens tolli sequebatur, certe planum est, contingens tum aliud, tum quod eius uelnti centrum est, hoc est quod in alterutram partem cadit, quod pro omni contingenti Aristoteles accepit, ex rerum natura adimi. quod si quam habeat consistentiam, eodem modo inquit, eueniet res, aut nõ eueniet. id enim in alterutram partem uel esse, uel euenire dicimus. quod non hoc modo potius, quam illo res habeat, aut habebit. de eo uidelicet quod factum est, & iam subsistit, dicimus habet: de eo uero, quod faciẽdum est, habebit.

Præterea si quid album sit hoc tempore, superiore tempore fuit verum, album id futurum esse. Ita semper fuit verum, quicquid fit, id aut esse iam, aut futurũ esse. Quòd si semper fuit verum, aliquid esse iam aut futurum esse, certe id non potest non fieri aut fore. Quod autem non potest non fieri, id necesse est fieri. Quicquid igitur futurum est, id fieri necesse est. Ita nihil in alterutram partem cadit, neq; fortuito. Si enim fortuito, non ex necessitate.

Quæ supra minus aperte dixit, vt probaret propositiones in futuro tempore sumptas, de quibus verba fiunt, definite uerum falsumq; diuidere, ex quo per se sequebatur, contingenti nullum locum in rerum natura relinqui, vult his uerbis clarius nobis declarare: ac maiore diligentia, atq; studio rationem producere. quocirca ut alio fere sumpto initio sic ait, Præterea si quid album sit hoc tempore, vt infans nuper in lucem æditus, uerum fuit pridie dicere, editum in lucem iri postridie infantem album: ac non magis pridie, quã quouis tempore superiore: quænam enim sit differentia? quod enim semper uere prædiximus fore, fieri non potest, quin id sit futurum: sicut quod uere negamus fore, non potest esse futurum. impossibile ergo fuit, non fore album infantem, propterea quod de eo facta prædictio in infinito, & antecepto tempore uera fuit. quod enim inquit, non potest non fieri, id impossibile est non fieri: quod autem impossibile est non fieri, id necesse est fieri: ut eò rationẽ adducat, quo fieri omnia necessario concludat, quod erat ei propositum ex apertioribus & magis concessis propositionibus cõprobare: quæ tamen idem ualerent, quod eæ, in quas commutantur. nam hæc, non potest non fieri, idem ualet, quod hæc, impossibile est non fieri: & hæc impossibile non fieri, idem quod hæc, necesse est fieri: ut etiam hæc, impossibile est fieri, idem quod hæc ualet, necesse est non fieri. magis tamen mouemur ab hac, impossibile est non fieri, ut ab euidentiore, quam ab hac, necesse est fieri. quocirca cum medicus, uerbi gratia, dixit, necesse esse ægrotanti uenam secari, si bene ualere uelit, ut id postea confirmet, & magis id ægrotanti persuadeat, adiungit, impossibile esse, ut unquam bene ualeat, nisi ei uena secetur: quam ob rem merito inquit, dicimus fieri omnia necessario, nihilq; neq; a fortuna, neq; ullo alio modo contingentis. Contra hanc argumentationem dicendum est, id quod nunc euentũ obtinuit, & iam est factum, non uere dici ante euentũ, omnino album esse futurum. neq; enim quia tempus in statum ipsum produxit, idcirco putandum est ex necessaria quadam præmolitione factum esse. itaq; ex ijs, qui de eo prædicunt, non uerus erit is, qui album necessario futurum dicit, sed qui hoc totum, ipsum fortuito euenturum enunciat. si ita est, perspicuum etiam est, potuisse ipsum quoque non euenire: siquidem nulla alia ratione uere dictum esset, ipsum fortuito euenturum. ij ergo qui hæc dicunt, non debent id quod adhuc futurum est, ab euentis iudicare, sed id quod nondũ euentum obtinuit, obseruantes, inuestigare, an necessario sit euenturum. neq; enim id poterunt demonstrare, ut nos deinceps Aristoteles plane docebit.

Quin neutrum uere dici potest, neq; futurum quicquam neque non futurum esse. Primum enim si uera sit affirmatio, certe uera negatio non erit: & si hæc uera sit, non erit uera affirmatio. Deinde si fuit uerum, album aliquid simul & magnum fore, duo illa adsint necesse est. Et si cras sit adfuturum, cras aderit. Sin autem nec futurum est, nec minus futurum cras, nunquam, exempli causa, bellum nauale alterutram in partem cadet, quoniam nec fieri nauale bellum necesse fuit, nec minus fieri.

Quia ad contingens tollendum sumpsit, propositiones de quibus agitur, definite uerũ, falsumq; diuidere, id quod sumpsit, quod simul ueræ esse inter se possint, quod significauit, cum dixit, quandoquidem in eodem simul utrunq; non intelligitur: poteratq; suspicari quispiam, non esse necessariũ, uel ipsas non simul ueras esse, uel non diuidere uerum & falsum: siquidem simul etiam falsas esse contingit: ideo nunc ei propositum est ostendere, has etiam propositiones non posse simul falsas esse: quod tantum abest, ut ei, qui ita uelit dicere, ulli adiumento sit ad contingens introducendum, ut etiam fieri nullo modo queat. nam uel ex eadem suppositione ostendetur, rem eandem euenire necessario, & impossibile esse, ut exitum consequatur. ait ergo, id dici non posse, singulares & contingentes propositiones simul inter se in futuro tempore falsas esse: quod innuit his uerbis, Quin neutrum uere dici potest. primum enim tollemus effatum contradictionis, a quo utpote euidentissimo omnes demõstrationes depromuntur: deinde accidet, rem quoq; nõ fore, quod falsa sit affirmatio, quæ futuram illam ait: & item fore, quod falsa sit negatio, quæ eam non fore dicit. atque ita eadem res erit necessario, & nõ erit necessario: quo quid monstrosius? Vt autem hæc concludat, nobis iterum sumptiunculæ mentionem facit, qua dictum est, ex orationum ueritate rerum euẽtum sequi: ac non solum in præsenti, uerum etiam in futuro tempore. nam si quis prædicens, cras puerulum album & magnum in lucem esse proditurum, uere prædicat, oportet cras puerulum in lucẽ prodire, cui hæc ambo insint. ipse uero id, quod inde consequens est, silentio transiens, hoc est, ex falsitate orationum sequi ut res nõ sint, perinde ac sit ab eo supra dictum una cum hoc theoremate, id quod sequitur ex eo, quod omissum est, concludit hoc modo: [Sin autem nec futurũ est, nec minus futurum cras, nũquam alterutram in partẽ cadet:] hoc est, si simul falsæ erũt hæ propositiones, etiam contingẽs tollitur. ac tolletur quidem, quia res simul eueniat necessario, & euentum impossibilem habeat.

Atq; hæc sunt incommoda & alia eiusdem generis, quæ suscipere cogimur, si necesse sit ex omni affirmatione & negatione quæ contradictorio nomine opponantur, siue in ijs quæ ex rebus uniuersis constant, siue quæ ex singulis, alterã ueram esse, alteram falsam, nihilq; in alterutram partem casurum esse in præteritis, omniaq; esse aut futura esse ex necessitate. Eademq; ratione omnis è uita tolletur & deliberatio & actio: quoniam si hoc faciamus, illud eueniet: & si hoc minime faciamus, illud non eueniet. Nihil enim prohibet ad decem millia annorum hunc confirmare hoc uel illud fore, alterum negare, ut ex necessitate eueniat quod in alterutram partem tum ei licebat uere dicere. Neq; uero interest vtrum pronunciarint aliqui cõtradictionem, necne pronunciarint: quippe cum perspicuum sit hoc vel illo modo res euenire solere, etiamsi nihil nec hic confirmet, nec ille neget futurum. Neq; enim quia confirmatum est, aut negatum fore aliquid, idcirco id futurum est, aut non futurum, uel ad decem millia annorum, uel quouis tempore. Quare si ex omni æternitate ea uis & natura rerum fuit, ut una uera esset, necesse fuit eam fieri. Ita omnium rerum ea uis fuit ex æternitate, ut ex necessitate fierent. Si quis enim uere dixerit fore aliquid, id non potest non fieri.

Erat hoc Aristoteli principio propositum, an propositiones omnis contradictionis, quæ in futuro sumpta esset, uerum falsumque definite distinguant. ac multis quidem argumentis ostensum est, inde sequi, ut contingens de rerum natura auferatur: cum alia necessario eueniant, alia impossibilem exitum sortiantur: nihilque esse in nobis: quæ absurda esse,

da esse, & euidentiæ repugnantia deinceps demonstrare oportet. itaque rationem omnem hoc loco complectens Aristoteles, tum propositę ab initio quæstionis mentionem facit, tum quædam adiicit, quæ ex ea sequi docuit, eaque incommoda nominat: quamuis ea esse incommoda nondum probarit: nimirum communibus animorum notionibus utens: & ita, ut statim probaturus absurdam esse eam rationem, qua cõtingens adimatur. quam sane dupliciter reprehendit: ac nunc quidem ostendens quot ex ea incommoda consequantur: paulo post uero coarguens ea, quæ ipsemet falso sumpsit. oportebat enim eum qui contingens in rebus esse statueret, etiam ostendere, quanam natura res ipsa per se, prædita esset. quod qui tollere conantur, in multa impossibilia cadant necesse est. ipsum uero constare atque esse, euidentia demonstrat. præterea prædictam rationẽ, quæ contingens de rerum natura extrudit, omnique necessitati addicit, inualidam esse atque infirmam probandum est. Cũ igitur hactenus exposuerit impossibilia, quæ sequũtur eos, qui contingens sublatum uolunt, ait, si quis uelit omnem contradictionem in quocunque tempore simili modo uerũ & falsum diuidere, & non solum angulares, quas uniuersales in totum & omnino, hoc est, ut uniuersales uocare consueuit, ita esse, ut altera propositio uera, altera falsa definite sit in omni materia: sed etiã singulares, ex quo sequitur, ut contingens auferatur, eum accusaturum esse laborem, quem natura frustra suscepit, ut nos consilii participes faceret. constat enim, si nihil in nostra libertate est, nos frustra ac temere conari, ut de iis consultemus, quæ in nostra potestate non sunt sita: ac simile quidpiam esse facturos, quod faciunt ij, qui quõ exoriatur, aut non exoriatur Sol, consultant. ac dicere nos consilii cõpotes a natura temere & frustra factos esse, omnino est a ratione alienum. id enim ipsum inquit, geometricis necessitatibus est demonstratũ, nihil a natura frustra fieri: idque euidẽtia certius omni demõstratione confitetur. immo uero & ipsi, qui omnia necessitati addicunt, & contingens extrudunt, omnino ipsam naturam esse; quæ omnia, ut ipsi aiunt, definite & necessario ac nihil frustra facit, fatebuntur, quomodo ergo non ridiculum sit, dicere naturam in nostra potestate nihil relinquere, & nos consilii compotes efficere, tanquam nobis integrum sit, facere quidpiam, aut non facere? nam si quis dicat, eam uti intellectu pro instrumento ad rerum exitum, respondebimus, oportuisse nos ad eas actiones per nos met ipsos impelli, ad quas nos natura concitauit: ut usu uenire cõspicimus in iis, quæ naturæ motu agitata ad suos fines certo itinere feruntur. quocirca nos cum in alicuius artis exercitatione naturam imitamur, si modo perfecta in nobis, atque in promptu sit eius artis cognitio, quemadmodum necesse est, ut sit in eo qui naturam sit imitaturus, non consultamus. ergo si necessitate fiunt omnia, omnis inquit, e uita tolletur & deliberatio, & actio: id est, ne pricipia actionum aggrediamur: ut si ex Aegypto Athenas nauigare cogitemus, in portum non erit descendendum, neque nauis perquirenda: neque sarcinę importandæ: ac si nihil horum curauerimus, nihilo minus Athenas simus profecturi necessario. deinde modum quo uti in deliberationibus consueuimus, nobis describit his uerbis, [quoniã inquit, si hoc faciamus, illud eueniet: & si hoc minime faciamus, illud nõ eueniet.] si enim propositum sit ire aliquò, quo & naui, & iumento uehi possis, consulitur, quisnam modus sit optabilior, ut eò proficiscaris: nã cõparatis inter se utriusq; uecturæ bonis & malis, & uicissim compensandis æstimamus. ex quo enim modo maiora bona, aut minora mala consequi uideantur, eum potius expetimus, ac reliquo præponimus. ita etiam Poëta dicit, nosse Achillem, si ad Troiam in bello moraretur, eum cito quidem esse moriturum. sed gloria cumulatum: si a bello abstineret, malletque in patria uitam degere, eum diuturnam quidem uitam, sed ingloriam, esse traducturum: itaq; eum præclaram gloriam anteponere senectuti maluisse. postea uero nobis memorat eam argumẽtationem, quæ tollere cõtingẽs uidebatur: ea erat huiusmodi: cum duo contradictionem prædicunt, alter eorum definite uerum dicet, atque ideo euenit id, quod ab eo dicitur, quod inconsiderate dicere quispiã posset, existimans se posse argumentationem coarguere dicendò, at nihil tale factũ est: neque prædixit ullus de re, tanquam euentura, ut, ét si concedatur illi ut uerum dicat, necessario rem euenisse affirmemus: ob eam rem cum hoc statuisset, reprehendit, ac non recte dici ostendit. neque enim ex eo, quod uerum dixerunt, qui ante rei euentum rem euenturam dixere, ideo rem euenire fatemur, sed contra: ueram esse quæ de re habetur oratio propter rei naturã. nam, ut in categoriis dictũ est, etsi hæc inter se uicissim conuertuntur, natura rei, & uera de ipsa oratio, attamen oratio non est causa, ut res sit, sed rei essentia in causa est, ut uera sit oratio. quapropter si nihilo minus habet exitus rei, etiam si actu non prædicta sit oratio, quæ illam esse euenturam enunciauit, omnes prædictiones, quæ de iis, quæ contingenter fiunt, ante euentum siue actu, siue potentia pronunciantur, ueræ erunt. quod si est, euenit una earum quæque, nec potuit non euenisse.

Et quod factum est, id ex æternitate fuit uerum futurũ esse, quod fieri non potest. Videmus enim rerum futurarum initium & consilio indagari & actione: omninoque in ijs quæ non semper agunt aliquid cernimus illa duo, æque agere ea posse & non posse. in quorum quidem potestate vtrunque situm sit, & vt res sit, & vt ne sit: ita & vt fiat & vt non fiat. Multaque adeo nobis nota sunt, quorum uis est talis. Velut uestis hæc frangi potest & discidi, nec frangetur, sed prius atteretur. Similiterque fieri potest ut non discidatur. Non enim prius atteri posset, nisi fieri posset, ut ne disciderretur. Similis est ratio eorum omnium in quibus eadem uis reperitur: ex quo perspicuum est, nec esse nec fieri ex necessitate quæcunque fiãt, sed alia in alterutram partem cadere: nec affirmationem ueram aut falsam potius quam negationem esse: alia esse in quibus alterũ magis & plerunque fiat, & tamen alterum euenire posse, alterum non posse.

Cum nobis omnia incommoda exposuerit, quæ ex eo sequuntur, quod contingens adimatur, hoc est tolli deliberationes, actionesque de rerum natura, & cætera, quæ his comitantur, ut frustra causam cõferre in alios, quod nobis auxilientur, aut resistant, frustra laudare alios, ut probos: & uituperare alios, ut malos: & nomina uirtutum ac uitiorũ uulgo celebrata, inania esse; (Vbi enim his locus relinquetur, si nihil sit in nostra situm uoluntate, sed nos, ut illi aiũt, ad hæc ipsa peragenda necessitate ducimur, quæ nimirum, & a ratione abhorrent euidenter, & totam hominum uitam funditus euertunt) sibi proposuit hoc loco recta ratione atque uia ex ipsa rerum euidentia ostendere, & in rebus esse contingens, & in quibus uersetur: nempe id nõ esse in sempiternis, sed in iis solis, quarum essentia in ortu atque interitu consistit. ac deliberationem quidem magnam ad res gerendas uim habere, multaque esse in nostro arbitrio, quæ nunquam gesta essent, nisi esset antegressa deliberatio, initaque ratio, ut ad euentum perducta essent, exemplo uestis ostendit: quam arbitratu nostro & discindere, & integram seruare & indiscissam possumus tandiu, dum uel utendo ac gestando atteratur: uel in usum non adhibita reponatur, & tractu temporis computrescat. planum enim est, sæpe in aliis innumeris easdem conuenire rationes posse. quare perspicuum est, omnium eorum quæ ita fiunt, nos dominos esse a natura constitutos, quod docens Aristoteles ait, initiũ rerum futurarum & consilio indagari & actione. ut nomine futuri nunc communius utens, de ea re intelligat, quæ nõdum euenerit, possit tamen euenire, nisi quid impediat: cũ uero dixit actionum, intelligat, nos aggredi principia actionum: quod supra dixit rem gerere. Quibus autem in rebus essentiam contingens habeat, breuiter docuit, cum dixit, esse in iis, quæ non semper agunt aliquid. quod idem est, ac si dixisset, in iis quæ interdum sunt, interdum non sunt. hęc enim media sunt inter ea, quæ semper sunt, & semper non sunt. quatenus enim semper agunt, differunt ab iis, quę semper non sunt, quatenus uero non semper agunt, differũt ab iis, quæ semper sunt, & agunt. deinde quænam sint, quę nõ semper agunt, etiam paucis exposuit, cũ ait, [& ut res sit:

& ut nõ fit:] hoc eſt in ortu & interitu nerſantur. neq; enim quod ſemper non eſt, agere quicquam unquam poteſt. quanam enim ratione, quod ne principii quidem ut ſit, ſuapte natura eſt particeps, agere poterit? neq; quicquam eorũ, quæ ſemper ſunt, poteſt quandoq; non agere. nam ſi eſt ſemper ens, planum eſt, ſemper eſſe perfectum, ſuiq; eſſentiã ſecundum naturam habere: ſiquidem alia ratione eſſe æternum non poſſet: ſed cum tale ſemper ſit, quandam omnino actionem habebit ab eius eſſentia ortam, per quam ipſum ſemper agere neceſſe erit: ut ne puncto quidem temporis otioſum manens irritam inanemq; naturam ſuã eſſe declaret: atq; ipſum fruſtra ad ea quæ ſunt, adnumeretur. quocirca merito ea quæ partim ſunt, partim non ſunt, ab eo deſignauit, quod non ſemper agant. cæterum contingentibus omnibus hoc ineſt, ut poſsint eſſe & non eſſe. quare ante eorum euentum hoc eis conueniet, ut poſsit fieri, & non fieri. ſed quædam eorum æque affecta ſunt, ut ſint & nõ ſint, itaq; etiam, ut fiant, & non fiant: ut quæ in noſtro iudicio, & conſilio ſita ſunt: quæ ipſe in alterutram partem cadẽtia nominauit: quædam uero uel magis eo inclinant, ut ſint & fiant, eaq; plerunq; uocantur: uel ut non ſint, nec fiant, & raro contingentia appellantur: quę ambo cum ipſe nellet ſignificare, dixit, [Alia eſſe, in quibus alterum magis & plerunq; fiat: & tamen alterum euenire poſſe, alterum nõ poſſe.] nam quod ita plerunq; uocatur, euentum plerunq; ſortitur, ita tamen ut poſsit etiam non euenire, quanquam id rarius, quam ut eueniat. quod uero raro, id plerunq; non euenit: ſed tamen ut poſsit euenire, licet rarius, quãm ut non eueniat. Nobis autem permittit ut ad eſſe & non eſſe alterum quod magis & plerunq; fiat, & huic cõtrarium, qđ raro fiat, quod ipſe quoq; alterum uocauit, ad non eſſe & eſſe, prout uelimus accommodemus: & ipſe iiſdem dictiunculis ſignificationes contingentis, quæ inter ſe diſtant pluri mum, hoc eſt plerunq; & raro, complexus eſt. perſpicuum autem eſt, enunciationes, quæ de ipſis fiunt, conueniẽter rebus ueras eſſe, uel falſas.

Ac quicquid eſt in rerum natura, id ſit quandiu ſtat neceſſe eſt. Attamen nec quod eſt, id omne eſſe neceſſe eſt: nec quod non eſt, non eſſe. Neque enim ex neceſsitate eſſe quicquid eſt quia ſit, idem ualet quod omnino eſſe ex neceſsitate. Quod idem contingit in ijs quæ nulla ſunt. Eadem eſt etiam ratio contradictionis, in qua omne neceſſe eſt, uel eſſe uel non eſſe, fore uel non fore. Quanquam non eſt neceſſe eum, qui diſiunctionibus utatur, uere alterum dicere, ut neceſſe eſt nauale bellum cras geri uel non geri, non tamen geri cras bellum nauale neceſſe eſt aut non geri, etiã ſi illud geri aut non geri ſit neceſſe. Quoniam igitur eadem ratio eſt ueritatis & orationum & rerum, certe neceſſe eſt ea omnia quorum ea uis eſt & natura, ut alterutrã in partem inclinent, contrariaque recipiant: eadem ratione etiã contradictione contineri. Quod in ijs etiam rebus fit, quæ non ſunt æternæ, quæque non ſemper nullæ ſunt. Ex his enim neceſſe eſt alterum uerum eſſe, alterum falſum, non quidem hoc uel illud, ſed alterutrum. Et quanquam ad ueritatem alterum propius accedit, tamen non iam uerum eſt uel falſum. Ex quo efficitur, non neceſſe eſſe in enunciationibus contradictorijs alteram ueram eſſe, alteram falſam. Non enim eadem ratio, ut dixi, eſt eorum quæ ſunt in rerum natura, & eorum quæ non ſunt, eſſe autem uel non eſſe poſſunt.

Eſt hoc loco propoſitum Ariſtoteli, id quod reſtat agendum, oſtendere eam rationem, quæ contingens tollit, & infirmam eſſe, & nihil efficere neceſſario. ea autem inde progrediebatur, quæ iam euenerant, ut ex euentis futura indicaremus. cum enim ſumpſerit, ſi album quidpiam nunc eſt, neceſſe eſſe, qui de ipſo dicit, album eſſe, uerum dicere: ac non nunc ſolum, ſed etiam omni tempore ſuperiore uerum fuiſſe, prædicere, illud fore album: perinde ac nihil hoc ab illo differat: quodq; in omni ſuperiore tempore uerum fuit dicere, fore album, id neceſſario fieri: ideoq; omnia quæcunq; fiunt, neceſſario fieri ea ratio cenſuerit: contra hanc rationem nunc argumẽtatur Ariſtoteles, ſummaq; arte progreditur. prius enim quam eas enunciationes, quæ in futuro tẽpore fiunt, diſtinguat, doceatq; quomodo affectæ ſint, ut neceſſario ueræ ſint, uel nõ ſint, diſſerit de iis quæ in præſenti conficiuntur. ſumit] autem earũ differentiam a rerum natura, quoniam oportet ueram orationem rei conuenire neceſſario, quam enunciat. itaq; duplex neceſſarium ſumit quod ſimpliciter & proprie neceſſarium nominatur, quod ſemper ineſt ſubiecto, quaſi ne ſine ipſo cõſtare quidem ſubiectum poſsit: ut uerbum ſemper intelligatur uel de infinito tempore, ut in rebus æternis ſit, ut cum Solem neceſſario moueri dicimus, uel angulos trianguli duobus rectis pares eſſe: uel quoad ſubiectũ extet: ut cũ dicimus, hic ignis neceſſario calidus eſt; uel Socratem animal eſſe: alterum uero non huiuſmodi eſt, ſed cum hac determinatione coniuncta: donec prædicatum ab eo, qui ita ſe habere illud dicit, uere fuerit pronunciatum. non tamen ſimpliciter, ſiue æternum ſit ſubiectum, ſiue caducum. Solem enim a nube aut Luna neceſſario obſcurari, uſq; dum obſcuratur, uerum eſt: abſolute uero, non item. ac te ſedere, aut ambulare neceſſario uſq; dum tibi horum quid inſit, uere dicitur: abſolute uero, hoc eſt proprie, & perpetuo, non item: cum neque ſedeamus, neq; ambulemus ſemper: neq; etiã quoad ſumus eſſentiæ participes. eadem ratio eſt eius, quod neceſſario non eſt. id enim ipſum quoq; duobus modis effertur. abſolute, ut non eſſe diametron lateri comparabilem: aut non ceſſare motum Solis: aut non eſſe hunc ignem frigidum: & cum ita accipitur, donec non fuerit prædicatum, ut neceſſario non ambulare, cum quis non ambulet. hoc enim non eſt abſolute uerum: ſed quoad non ambulet: quia fieri non poteſt, ut qui non ambulet, cum non ambulat, ſimul etiam ambulet. atq; etiam in his propoſitionum ex materia differentias habes. nam quod abſolute eſt, id neceſſarium ſignificat: quod abſolute nõ eſt, impoſsibile: quod uero ſit uſq; dum ſit prædicatum, & quod non ſit, uſq; dum non ſit prædicatum, contingens indicat. quæ cum Ariſtoteles diſtinxiſſet non ſecus, quam in ijs, quę de rebus ſunt expoſita, ait ab orationum ueritate neceſſarium haberi. propterea quod quædam earum uerę ſint neceſſario, ut in eo neceſſario, qđ abſolute dicitur, in quibuſcunq; rebus dicantur, ſiue æternis, ſiue caducis, ſiue quę ſint, ſiue quæ nõ ſint: quales ſunt, quæ in tota contradictione proferũtur, ut Socrates aut ambulat, aut non ambulat: hoc enim totum neceſſario uerum eſt, non modo ſi ſit, ſed etiam ſi non ſit Socrates. &, ignis uel calidus eſt, uel non calidus. quanquam in eiuſmodi alteram contradictionis partem ueram eſſe neceſſario propter rerũ naturam, & non ſolum totam contradictionem contingit. quaſdam igitur orationes ait ita neceſſario ueras eſſe in eo genere neceſſarij, quod abſolute dicitur: quaſdam uero, alio modo, quoad inſit uel non inſit prædicatum ſubiecto: ut Socratem neceſſario ambulare, aut neceſſario non ambulare. atque ita ueras eſſe orationes oportet, ut ait Ariſtoteles, quemadmodum rerum ab eis ſignificatarum natura ferat: propterea quod orationes ſunt rerum interpretes, & explicatrices: quam etiam ob rem earum naturam imitantur. id quod nos etiam ante Ariſtotelem, docuit Plato. ſed dices, quid hęc ad rem propoſitam faciunt, & quomodo hoc pacto coarguitur ratio, qua contingens uidetur aboleri? quia inquam, ſi oratio omnis habeat neceſſario ueritatem in eo genere neceſſarii, quod eſt ſimpliciter & abſolute, merito factum eſt ab iis, qui contingens ſuſtulerunt, ut, cum uiderẽt orationes rerum euentis conſentaneas quæ de iis quæ iam euenerunt, pronunciant, neceſſario ueras eſſe; eas quoq; quæ ante euentum rei euenturas eſſe res affirmarent, ueras eſſe neceſſario ſumpſerint. atque ita re uera accidet, cõtingens adimi. at quoniam hoc, ut diximus, in totam contradictionem cadit, eius uero partibus in quibus prædicatum interdum ſubiecto ineſt, interdum non ineſt, id non conuenit: certe planum eſt, eos non concludere, quod propoſuerunt: ut, quemadmodum ipſe ait, neceſſe omnino eſſe cras pugnam naualem fore, aut non fore. non tamen ſi diuiſionem faciamus, & alterutram ſolum contradictionis partem dicamus, tuto pronunciabimus, fore omnino, uel non fore omnino

re omnino. ergo perspicuum est, oportere orationes, quæ de contingentibus efferuntur, quod ipse tollendis extremis indicauit, hoc est necessario & impossibili, quorum alterũ semper esse, alterum semper non esse dixit, nõ omnino habere alterutram contradictionis partem definite ueram: id quod nobis erat principio propositum ad considerandũ: sed uel ambas pari modo ueritatis, falsitatisq; capaces, ut quæ de contingentibus in alterutram partem cadentibus dicta sunt: uel alteram esse eiusmodi naturæ, ut potius uera sit, alteram uero, ut potius falsa: ita tamen, ut neque ea, quæ uera est, semper uera sit, neq; quæ falsa, semper sit falsa: quod ipse indicauit, cum ait, [tamẽ non iam uera est & falsa.] cõstat enim in contingenti, quod plerumq; fit, affirmationem: in eo uero, quod raro, negationem magis ueram esse.

Quoniam autem affirmatio omnis quiddam de quodam dicit, idq; uel nomen est, uel vacat nomine: quoniamque quod in affirmatione continetur, id & unum esse & de una re dici debet (iam autem de nomine & de eo quod uacat nomine disseruimus. Illud enim non homo, non nomen, sed infinitum nomen appello, quod unum quiddam significat quodam modo nomen infinitum: quemadmodum non ualet nõ uerbum dico, sed infinitum) profecto omne effatum aut ex nomine & uerbo, aut ex infinito nomine uerboq; constet necesse est. Esse autem effatum sine uerbo nullum potest. Nam uerba illa, est, fit, & cætera eiusdem generis, quoniam tempus adsignificant, in ijs sunt quibus certa sunt imposita nomina. Prima igitur erit affirmatio & negatio, Homo est, Homo non est. Deinde hæ, Non homo est, Non homo non est. Tum hæ, Omnis homo est, Non omnis homo est. Postremo hæ, Omnis non homo est, Non omnis non homo est. Eadem est ratio temporum, quæ extrinsecus adhibentur.

Cum omni studio nos docuerit eas propositiones, quæ ex subiecto, prædicatoq; oriuntur, cum definitum subiectũ est: nunc his uerbis addit, quot numero illæ sunt, totidem quoq; esse necessario eas, quæ ex subiecto & prædicato ducantur, cum non definitum, sed infinitum esse intelligatur. ergo subiectus terminus uel definitus uel infinitus, cum idẽ prædicatus sit, diuersas affirmationũ, negationumq; species conficiet: prædicatus uero modo definitus, modo infinitus sumptus, cum idem subiectus maneat, neque affirmationes, neque negationes diuersas efficiet. perspicuum enim est, si ipse sit definitus, propositionem aientem esse necessario: si infinitus, negantem, uel quæ idem ualeat, quod negatio: in singularibus autem negationem omnino contradicere affirmationi: in indeterminatis uero, omnino etiam negationem: sed non tamen omnino contradicere affirmationi, uerum quæ simul cum ea possit quandoq; conuenire: in determinatis uero nec puram, quod ad uocem attinet, negationem, sed eam, quæ idem ualeat quod pura negatio. præterea in particularibus, uel contradicentem, uel ei consonã, ut in ijs, quæ indeterminatæ sunt: in uniuersalibus, uel contradicentem, uel aduersam, vt antea distinximus. quocirca in sola subiecti differentia docet Aristoteles huiusmodi contradictionum species commutari. ne uero quis suspicetur, ne fieri quidem principio propositionem ex solo subiecto, propterea quod unam propositionem, ut supra diximus, unũ habere subiectum, unumq; prædicatum oporteat, atq; unum non nomine quidem, sed significatione, id quod non inest in nomine infinito, quod cum tollat id unum, quod a nomine definito significatur, cæteris omnibus, præter quam illi, conuenit: ideo huius quoq; dubitationis intelligẽtiam philosophus explicat: nobisq; in memoriam reuocat, oportere unum prædicatum in una affirmatione esse, deq; uno subiecto enunciari: idq; docet reperiri etiam in ijs propositionibus, quæ ex subiecto infinito constant, cum ait, [Quod vnũ quiddam significat quodammodo nomen infinitum.] neq; id quod dixit, quodammodo, superuacaneum est, sed additũ, ut indicaret nomine infinito non unam naturam, ut finito, significari. illud enim si homonymum non sit, uel unum genere, aut specie, aut numero significat: quorum unũquodq; finitum est: at infinitum non ita est: ne si in singulari quidem proferatur, vt dicendo non homo, sed communicationẽ solum eorum omnium inter se, quæ præter id sunt, quod a finito indicatur, eo ipso, quod nullum eorum idem sit, quod illud. idcirco dixit etiam in singulari, infinitum. ac merito quidem hoc nomen dixit uacare nomine, ut indicaret, ab eo significari priuationem eius, quod a finito nomine significatur. quoniam huius subiecti nomine uacantis nunc primum mentionem fecit, iure monet, hoc esse illud, quod prius infinitum nomen appellatur: ubi quid esset etiam uerbum infinitum declarauit. series autem contextus ipsius plana est, & si doctrina subiecti nomine uacantis interiecta redditionem multo post eum facere coëgit. est enim huiusmodi: [Quoniã autem affirmatio omnis quiddam de quodam dicit, idq; vel nomen est, vel uacat nomine, profecto omnis affirmatio aut ex nomine & uerbo, aut ex infinito nomine, uerboq; constet necesse est.] hoc uidelicet dicitur de simplicissima affirmatione, quæ ex solo subiecto & prædicato constat: quam hoc sermone inuestigat. quare non est quærendũ quomodo hoc conueniat ijs affirmationibus, in quibus aut tertium apprędicatum est, aut modus adiunctus. sed quomodo subiungat, sine uerbo nullam non modo affirmationem, sed nec etiam negationem fieri: utrum ex uerbis infinitis fieri negationes possint. an dicendum est, quod Alexãder ait, uerbum infinitum & quod de subiecto negatur, & negationem efficit, ratione subiecti eadẽ esse, sed relatione quodam modo inter se differre. ergo hoc, non ambulat, per se prolatum uerbum erit infinitum, tanquam unum consideratum, & nullam partem per se significantem habens, ut ante dictum est: at in negatione hac, Socrates nõ ambulat, non exquisite loqui diceremur, si non ambulat, esse infinitum uerbum uellemus: cum potius dicendum esset, uerbũ per se quidem definitum, sed de subiecto negatiue prædicatum: & particula negãte ab eo seiunctum: ut non ualet hoc loco, non iam ut unum, sed vt duo, capiatur, cum negans particula seiũctum a subiecto prædicatum ostendat. An uero etiam eum ait, [Nulla autem affirmatio, nullaq; negatio sine uerbo esse potest.] intelligere possumus, nomen uerbi communiter sumptum esse & pro definito, & pro infinito: ut nos Aristoteles hic doceat, quod etiam supra est dictum, omnino uerbo opus esse ad orationem enunciantem efficiẽdam: nunc id ipsum de industria addat, ne quis putet, nomina infinita, de quibus præcipue in præsentia agit, satis esse per se pronunciata ad negationem constituendã: præsertim cum speciem quandam faciant, quasi parẽ negationibus uim habeant; quod in sequentibus planius exponet. Vt autẽ id confirmet, quod iam dixit, omnem affirmationem & negationem uerbo indigere, subiungit: [Nam uerba illa, est, fit, & cætera generis eiusdem:] quasi perspicuũ sit, nullũ neq; definitum, neq; infinitum nomen, neq; unum, neque multa orationem perfectam efficere, nisi adsit uel est, uel fit, uel aliquid aliud eiusmodi. Est autem nobis animaduertendũ, hęc, quibus nomina tum finita, tum infinita indiguerunt ad affirmationem aut negationem faciendam, uerba esse: quippe quæ expositam verbi significationem capiant, quod tempus quoddam adsignificẽt: atq; in eis ordinem nobis tribuit prædictæ propositionum differentiæ: easq; inter se conferẽs ait, quæ subiectum definitum habent, priores esse ijs, quæ habent infinitum: quasi simpliciores illæ sint. quæ autem sub eadem specie pronunciantur, primas uelut simplicissimas esse eas, quæ determinatione carent, ad determinatarum comparationem: secundas uero, ceu magis compositas, quę illas determinationibus superant. Ex iis autem quæ sine determinatione sunt, non singulares, sed indeterminatas: ex determinatis uero non particulares, sed uniuersales sumit: quasi uidelicet eadem sit aliarum propositionum ratio. & tamen uniuersalis affirmationis quæ definitum subiectum habet, & quæ infinitum, non proprie negationem eam accepit, quæ illi perpetuo contradictoria est, sed, ut prius dictũ est nobis, eam, cuius esse anceps natura uidetur, quæq; & cum contradictoria, & cum aduersa possit conuenire, idem tamen potius ualeat, quod contradictoria. nam harũ, Non est omnis homo, & Non est omnis non homo, altera idem quod hæc, Non omnis homo est, altera idẽ quod hæc, Non

omnis non homo est, enunciat. id quod fit, quia non erat nunc propositum uelle iterum ostendere contradictoriam propositionum oppositionem, sed solum indicare, propositiones, quæ definitum subiectũ habent, ijs quæ ipsum habent infinitum, priores esse. ac simul fortasse nos docere philosophus uoluit, huiusmodi etiam propositiones in negationũ ordine constitui. Attendendum autem est, exquisita tradita esse nunc exempla ab Aristotele earum propositionum quæ ex subiecto & prædicato constant: ut cum ait, est homo, &, est omnis homo: non autem ut supra dixit, est homo albus, &, est homo pulcher: quæ sane ex tertio apprædicato propositiones erant. id quod fecit, quia illic nondum perfecta harum propositionum erat exposita cõtemplatio. quam ob rem exemplis etiam minus exquisitis usus est. at nunc cum diligenter eam pertractarit, iure subiunxit exempla, quæ ad speciem propositionum, de quibus agitur, sint accõmodata. Iam ex ijs, quæ dicta sunt, cõstat, non idem esse, si nomen definitum & infinitum, ac determinatum, & indeterminatum dicas. nam priora efficit negans particula uel addita nominibus, uel non addita: posteriora uero a determinationibus constituuntur. Hactenus Aristoteles tractationem propositionum, quæ ex subiecto & prædicato constant, produxit. quam ob rem nos quoque de ijs, quæ deinceps sequuntur, alio sumpto initio disseremus.

Enumeratio eorum, quæ in secunda parte sunt tractata.

Subiecti diuisio in singulares, particulares, indeterminatas, & uniuersales. non esse diuidendum prędicatũ in determinatum & indeterminatum. indeterminatas non esse contradictorias. ibidem quoque, quomodo fiat cõtradictio, exponitur. diuisio simul prædicati in præteritum, instans, & futurum. itemq; materiæ, in contingentem, necessariam, impossibilem. in quo etiam tribus rationibus non esse contingens probatur. tum esse, duabus rationibus ostenditur. tum refutantur ea, quæ contingens adimunt. quod reliquum est, diuisionem subiecti in definitum, & infinitum continet.

PARS TERTIA

DE PROPOSITIONIBVS EX TERTIO *Apprædicato.*

Cum vero verbum Est in oratione tertium dicitur, tum duo contrario nomine oppositarum pronunciationum genera nascuntur. Intelligo autem Est tertium nomen vel verbum adiungi, vt in hac enunciatione, Homo iustus est. Ob eamq; causam hæc quatuor erunt, quarũ duo affecta erunt ordine ad affirmationem & negationem quasi priuationes, alia duo non erunt. Illud inquam, est, vel nomini iusti adhiberi potest, vel non iusti. Quod idem fit in negatione. Sunt igitur quatuor. Sed quod dixi, ex hac descriptione intelligi licet.

Homo iustus est.		Homo non est iustus.
	Huius negatio,	
Non iustus est homo.		Non iustus non est homo.

In his enim est, & non est nominibus iusti & non iusti adiunguntur. Atque hæc quidem eo ordine disposita sunt, quem in Analyticis ostendimus.

Hinc ducit initium tertium libri caput, quod de propositionibus ex tertio apprædicato esse diximus: in quo etiam prius, quam Aristotelis uerba declaremus, uidendũ est, quomodo ex affirmationibus negationes fiant: & quomodo eas apta & conuenienti diligentia comprehendentes, numerũ omnem illarum colligamus. perspicuum autem est, non fieri negationem, si negans particula subiecto, quod in affirmatione est, adiungatur: quando ne in ijs quidẽ, quæ ex subiecto & prædicato constant, hoc modo efficiebatur: sed de reliquis duabus, præter subiectum, dictionibus, hoc est de prædicato, & apprædicato quæstio est: ut de iusto, & est. utri Non, addendum sit, ut fiat negatio. constat autem non esse addendum prædicato, sed tertio quod apprædicatũ sit. nam qui dicit, homo non iustus est: hominem quendam non esse iustum ait: at qui dicit, homo iustus non est, is iustum non inesse homini pronunciat. ex orationibus enunciantibus, ut supra didicimus, quæ inesse aliquid dicit, affirmatio: quæ non inesse, negatio est. atque in his uide, ut negans particula uerbo est, iuncta iure negationem conficit. quia enim in hisce propositionibus prædicatum ipsum est etiam nomen, ut iustus, nec potest per se solum subiecto adiunctum orationem absolutam efficere, eis opus est quodam quasi uinculo, quod ea connecteret inter se, perfectamq; orationem faceret, id quod uerbũ est, præstat. hoc igitur erit, quod summã in propositione obtinet potestatem: ideoq; ex eo propositiones huiusmodi nomen ducunt, & ex tertio apprædicato nominantur. quã ob rem si tota tollenda affirmatio est, uerbum ipsum tertium adimendũ est, ut fiat negatio. ergo hæc, homo iustus non est, negatio est: hęc uero, homo non iustus est, affirmatio. uerum quoniam omnis affirmationis negatio quædam est, eadem uia & ratione comperiemus huius negationem esse hanc, homo non iustus nõ est. ex quo fiunt hoc loco duæ contradictiones indeterminatæ, cum subiectũ definitum sit. in simplicibus tamen una sola facta est: siquidem in illis prædicatus terminus assumpta negante particula statim negationem conficiebat: hic uero aliud est affirmationis genus. eadem est aliarum omnium contradictionum ratio: ut singularium, & angulariũ, in omniq; tempore, omniq; materia: quæq; subiectum definitum & item infinitum habent. ergo hæ propositiones duplæ erunt earum, quæ solum ex subiecto & prædicato fiunt. illæ autẽ, ut ostendimus, erant duæ & septuaginta: hæ igitur erũt centum quadraginta quatuor: omnes uero simul ducentæ & sexdecim. His autem præmissis, uideamus deinceps, quem sensum habeant Aristotelis uerba proposita, quæ hoc quidem loco perobscure dicta & per ænigmata sunt, in primo autem libro priorũ extremo clare, distincteq; sunt tradita. ex quo loco sumentes interpretes, eorum quæ hic ab Aristotele traduntur, sententiam consequi, atque eis afferre lucem potuerunt. Cum igitur in his propositionibus, de quibus in præsentia nobis agitur, duæ indeterminatæ contradictiones fiant, earum alteram simplicem ipse nominat, quæ definitum prędicatũ habet, ut quæ uel hoc nomine sit, quam altera, simplicior: alteram uero infinitam, quod prædicatum infinitũ habeat. attamen sodalis eius Theophrastus ex transpositione ipsam uocat, ob eam causam, quã deinceps afferemus. ergo cum simplices propositiones exposuerit, ut homo iustus est, & homo iustus non est, quærendum putat, utra ex reliquis harũ aientem cõsequatur: hoc est, utra simul uera sit: ut in quibus simplex uera est affirmatio, ea etiam, quæ illam consequitur, omnino uera esse deprehendatur. sic enim ex homine dicimus animal sequi. itaq; ubi homo uere dicitur, ibi etiam animal uere dicetur. eiusmodi autem esse comperies, non affirmationem quidem ex infinito prædicato, sed eius negationem. nam ubi uere dicitur, homo iustus est, ut Socrates, ibi falso dicetur, homo non iustus est: uere autem, homo non iustus non est. Socrates autem & iustus esse, & nõ iustus esse, per se non dicetur. at non esse non iustus, dicetur, ut ab eo auferamus non iustum, quod ei non inesse diximus: ac duæ iusti negationes unam eius positionem rursus declarent, eo quod subiectum capax iustitiæ sit. Itaque cum propositiones in tabella exposuerit, quam nos quoq; infra subiunximus, infinitamq; negationem sub affirmatione simplici statuerit, necessario deinceps infinitam affirmationẽ sub simplici negatione collocauit. quæ res fecit, ut Theophrastus has ex transpositione nominarit: propterea quod earũ ordo sit in tabella commutatus: atq; harum negatio sub simplici affirmatione, affirmatio uero sub negatione simplici cõstituitur: uel etiã, quia transposito definito prædicato, & posito infinito factæ sunt. sed planum est, si simplex affirmatio uera sit, negationẽ quoq; ex transpositione omnino ueram fore. nunquid etiã id uicissim retro commeat, ut si infiniti negatio uera sit, simplex quoque affirmatio sit omnino uera, an non? sed in quibusdam prædicta negatio uera est, simplex uero affirmatio falsa: ut in ijs qui prorsus homines non sunt: ut canem si dicas non esse hominẽ, non esse iustum, uere dices. cum enim prorsus homo non sit, certe neq; iustum esse hominem, neq;

non

non iustum esse, planum est. atqui si dicas ipsum esse hominem iustum, falsum erit. quocirca negatio ex transpositione latius, quam affirmatio simplex, patet. ergo affirmatio ex transpositione minus patebit quam simplex negatio. nam si in omnibus affirmatio simplex, uel negatio uera est, similiq; modo affirmatio ex transpositione uel negatio, constitit autem in pluribus ueram esse negationē transpositionis quam simplex affirmatio, profecto affirmatio quoque transpositionis erit uera in paucioribus, quæ reliqua sunt, quam simplex affirmatio. ponamus, exempli causa, omnia quæ sont, mille esse numero: affirmatioq; simplex ex conuenientia uera sit in quadringentis: negatio ex transpositione, quæ in pluribus uera est, sit, uerbi gratia, uera in sexcentis: certe cōstat, ex duabus reliquis propositionibus simplicem negationem in reliquis sexcentis ueram fore, affirmationem uero transpositionis in reliquis quadringentis, in quibus nō uera erat negatio simplex, ueram esse: atque ita in paucioribus, quam simplex affirmatio sit. sed ita uti cogimur propterea quod indeterminatæ contradictorio nomine inter se oppoouantur, si alterutram earum in qualibet re uerā esse censeamus. sed fortasse præstabit, & aptius ad Aristotelis sententiam fiet, si rerum testimonio comprobauerimus affirmationē indeterminatam, quæ infinita uocatur, in paucioribus, quam simplicem negationem intelligi: nam si quis est non iustus homo, hic iustus homo non est: non tamen siquis non est iustus homo, iam etiam est non iustus homo. in eo igitur qui prorsus non est homo, uera simplex negatio est, falsaq; infinita affirmatin. nam prima argumentatio, qua uel ipse Aristoteles ad finem primi priorum uti uidetur, in propositionibus contradictorio nomine inter se nppositis, id quod ibi supposuit, recte progredietur: at in ijs, quæ interdum simul ueræ esse possunt, non ualebit. omnino autem sciendum est, indeterminatas in differentibus subiecti partibus simul dicere, uerū non posse non aliter, quam particulares, a nobis deprehendi, ut ante docuimus: uerum de uno & eodem prædicabuntur, idque uel actu, uel cogitatione, uerum cum eo falsumq; diuidere, iure affirmari. necesse enim est ex ijs quæ sunt, quæq; non sunt, uoumquodq; esse, uerbi causa, uel hominem iustum, uel non esse. patet autem si propositiones, de quibus agitur, hoc sensu contemplemur, uere quoq; esse de eis pronunciaturos, cum latius patere, uel angustius eas serpere dicemus: ut etiam cum animal ad plura, quam honinem, dicimus pertinere: siquidem nihil aliud tum significamus, quam in quibus uere dicitur homo, in ijs etiam animal dici, at non contra. itaq; hæ mutuam hoc modo consequentiā obtinent. Cæterum quoniam alias quoq; propositiones in descriptione philosophus sumpsit, quæ ipsæ quoque simplices sunt, in eo tamen ab ijs quæ simplices uocantur, differunt, quod prędicatum habeant qui nō est habitus, sed priuatio, ut sunt hæ, homo iniustus est, homo iniustus non est, (nam iustum finis quidā est, & forma, & habitus, uel quasi perfectio) ideo hæc propositio, homo iustus est, simplex uocatur. iniustum uero est infinitas & formæ priuatio, iden priuans propositio est hæc, Socrates iniustus est. in his enim priuationem nomino absentiam formæ simpliciter, quæ significetur nō negatione, sed uel nomine formæ, quod assumat in, particulam priuantem, ut io his nominibus insuetus, inhabilis, iniustus, & cæteris huius geoeris omnibus: uel alio nomine, eoq; uel deterioris contrariorum, ut in malo: uel quod ne contrarium quidem sit, ut in nudo. uel eam priuationē intelligo, cui sit natura comparatum, ut redire ad formam possit: ea nimirū significatione, quæ in physicis tradita est, ut immusicum: uel quæ reuerti noo sit apta, ut in categorijs de cæcitate dictum est. nam in omnibus hisce significationibus ratio erit pariter accommodata. quoniam igitur, uti diximus, propositiones priuantes medias cōstituit inter simplices & eas quæ ex transpositione cōstant, uideamus quomodo hę quoq; utrinq; collocatas consequantur. quod ubi erit a oobis inuentum, clara postea erit philosophi sentētia: alioqui uero, nō item. est autem perspicuum neque harum quoq; affirmationem ex affirmatione simplici, sed negationem sequi: nam qui iustus est homo, is iniustus esse noo dicitur: & tamen nō esse iniustus dicitur. idcirco ex priuantibus propositionibus negatio in descriptione sub simplici affirmatiooe: affirmatio uero sub oegatione statuta est. utrum igitur ut in quibus simplex affirmatin, in ijs priuans negatio uera est, sic etiam conuersn ordine res se habet, an non? nam priuans negatio in pluribus uera est: in quibus infinitam quoque oegationem ampliorem esse simplici affirmatione comperimus, hoc est in omnibus, quæ præter hominem sunt, intelligi. ipsa enim priuans inquam negatio, non solum in ijs, quæ sunt præter hominem, simplicem superat negationem, sed etiā in ijs qui sunt homines, uerum oeque habitus, neq; huius priuationis sunt participes: ut qui neque iustum, neque iniustum habitum habent. cæterum ex ijs, quæ ante diximus, planum est, priuantem affirmationem ad pauciora pertinere, quam simplicem negatinnem: ideoq; ambę negationes, & priuans & infinita simplicem affirmationē sequentur, & eandem rationem ad illam habebunt: siquidē probauimus, ambas ad plura, quam illam, pertinere. simili quoq; modo earum affirmationes eandem rationē ad simplicem negationē obtinebunt: quandoquidem eas quoq; ad pauciora pertinere, quam illā, ostendimus. Reliquum nunc est, ut consideremus, an ut affectæ sunt simplices propositiones ad eas, quæ ex trāspositione sunt, ita etiā priuantes ad ipsas ex transpositione se habeant: hoc est, an ut simplex affirmatio minus patet quam negatio, quæ infinitū habet prædicatum, ita etiā priuans negatio minus, quam illa, pateat: & ut simplex affirmatio ad plura pertinet, quā affirmatio infinita, quæ sub ipsa cōstituta est, ita etiā priuans faciat affirmatio. id aūt omne in contrariā partē uerum est: nam neq; priuās negatio ad pauciora pertinet, quā infinita, sed ad plura: oeq; affirmatio ad plura, sed ad pauciora quā illa affirmatin. id aūt ita esse, facile ostēdemus initio probationis ab affirmationibus sumpto: utpote quæ magis definitæ quam negationes, notiores etiā sunt. quare cōstat, priuantem affirmationem ad pauciora pertinere, quam quæ transpositionis est. nam si quis iniquus homo est, is etiā non æquus est. at si quis nō iustus sit, hic non iā erit iniustus, propter mediū habitum, quiq; nō sit aptus natura, ut alterutrius sit particeps, ut in pueris perspicitur. Ex quo fit, ut priuans negatio in pluribus, quam negatio transpositionis uera sit futura. nam in prædictis habitibus, hoc est medio, & puerili, priuans negatio uera est, quia non sunt homines iniusti: at negatio transpositionis falsa est: propterea quod uera eius affirmatio est: sunt enim non iusti homines. quam ob rem simplici affirmationi adscripsimus hæc uerba, minor ambabus; id est negationibus sub ipsa constitutis. eius uero negationi, hæc, maior ambabus, quæ sub ipsa sunt. negationi uero ex transpositione, hæc, maior quam simplex affirmatio: quia maior quam illa sola reperitur: eius affirmationi, ut consequens est, minor simplici negatione: præterea priuanti negationi hæc, maior etiam consequente: quoniam maior ambabus utrinque descriptis comperta est: affirmationi denique, minor ipsam comitante. quare planum est, ex transpositione propositiones eam habere rationem ad simplices, quam etiam priuantes obtinent: simplices tamen non eam habere ad eas transpositionis, quam obtinere priuantes comperiuntur.

minor ambabus,	Homo iustus est:	Homo iustus non est,	maior ambabus.
maior etiam consequente,	Homo iniustus non est:	Homo iniustus est,	minor ipsam subsequente.
maior simplici affirmatione,	Homo non iustus non est:	Homo non iustus est,	minor simplici negatione.
	Est iustus oon homo,	Non est iustus oon homo.	
	Noo est iniustus oon homo,	Est iniustus non homo.	
	Non est non iustus non homo,	Est non iustus non homo.	

Restat autem ut Aristotelis uerba percurramus, atque ostendamus nihil eorum, quæ exposuimus, frustra a nobis esse pertractatum. [Cum uero, inquit, uerbum est, in oratione tertium dicitur.] non ita ait, quasi censeat tria in propositione esse prædicata, & uerbum est, tertio loco situm esse, sed tertiū in propositinne post duos terminos, hoc est subiectum, & prædicatum: sed secundo loco ipsum quoq; prædicetur, & uelut apprædicetur. ergo cum dicimus, ho-

mo iustus est, primo de homine dicitur iustum: quia id proposuimus de ipso enunciandum esse: sed quia hoc non satis erat, ut subiecto adiunctum faceret enunciationẽ, ideo uerbum est, eis additur, quod ea connectit, ut ante diximus, & insuper de subiecto prædicatur. itaq; de eo hoc totum dicimus, est iustus. non omnino tamen quod sit tertium in propositione uerbum est, iam apprædicatur: siquidem in hac, Socrates philosophus est, uerbum est solum prædicatur, non autem apprędicatur: quia hoc totum, Socrates philosophus, pro uno sumitur, & sic subiectum propter articulum, quem Græci addunt: qui non prædicatis, sed solis subiectis adfigi uult. de eo nanq; dicitur, quod est, & nondum mortuus. Sed neque cum dicimus, Sol necessario est, uerbum est, apprædicatur. & tamen eo in loco simplex subiectum est: & necessario, non est prædicatum, sed modus. ac de propositionibus quidem modorum, cum diuersam ab his, quas modo tractamus, speciem habeant, nos in sequentibus ipse docebit. cæterum non dixit absolute, cum uerbum aliquod in propositionibus apprædicatur, sed quodnam aptum sit, ut apprædicetur, diligenter exposuit: id uidelicet esse solum uerbum est: quod ita se habere, suo loco deinceps demonstrabimus. cum igitur inquit, uerbũ est in propositione tertiũ apprędicatur, oppositiones ꝑpositionũ duobus iã modis dicuntur: quæ oppositiones de propositionibus ante traditis uno solum modo dictæ sunt. cum prius quam doceat, quomodo dicantur duobus modis, exemplo declarat, quãdo est, tertium in propositione dicatur, quod ipse nomen, aut uerbum appellauit: siquidem uerbum est, utpote quod tempus adsignificet: neq; quicquã uetat, quin etiam nomen uocetur, eo quidem sensu, quo uoces omnes significantes esse nomina prodidimus. neq; ita probationẽ ullam affert, quare oppositiones huiusmodi duobus modis dicantur: sed nũc, perinde ac perspicuum hoc sit, habita ratione singularis suę intelligentiæ, & summæ cognitionis, solam conclusionem, uel potius quod ex conclusione consequitur, intulit, cũ ait, [Ob eãq; causam (intelligit enim duobus modis oppositiones dici) hæc quatuor erũt.] quod ipse dixit omisso nomine particulæ: quatuor enim particulæ & quatuor propositiones sunt duarum oppositionum, simplicis inquam, & eius, in qua infinitum sit prædicatum. deinceps uero confirmationẽ perspicue adiungit, quod hic duobus modis oppositiones, quæ eodem subiecto utuntur, efferantur, ac quatuor etiam ipsarum particulas esse, cum ait: [Illud inquã est, uel nomini iusti adhiberi potest, uel non iusti, &c.] ubi differentiam & consequentiam propositionum, ut etiam in superiore descriptione, considerandam putat. atq; hæc quidẽ clara sunt: præterquam quod ait, Quare idem fit in negatione: quę significant, quare uerbum non est, quod negationem facit, uel iusto, uel non iusto adiungitur, sicut uerbum est. quocirca hoc duas affirmationes, illud uero binas negationes conficiet. quia uero inter id, quod conclusionem consequitur ut diximus, quod his uerbis continetur, [ob eamq; causam hæ quatuor erũt,] & probationem, quod duæ sint oppositiones, & quatuor earum particulæ ait, [quarum duæ affectæ erunt ordine ad affirmationem & negationem, quasi priuationes: aliæ uero duæ non erunt:] atq; atræ Sphingis uocem, ut Lycophronis uerbis utar, imitatur: magnaq; interpretibus negotia facessit, quidnam paucula hęc uerba significare dicemus? Nostra igitur sententia est, philosophum his uerbis nobis innuere consequentiam propositionũ, quæ pluribus uerbis sit exposita: cum affirmationem negationemq; simplices propositiones uocet; ut exẽplaria & primas formas, quia si prædicatis earum particulæ negantes adhibeantur, propositiones transpositionis fiant. Dico igitur ea prædictis quatuor partibus duarum oppositionum (ante.n.dictum est, quare hæc quatuor erunt) duæ partes, hoc est propositiones ex transmutatione ad affirmationem & negationem, hoc est ad simplices affectæ erunt ordine, hoc est coniugatione & proportione ut priuationes: hoc est quem ordinem, quam coniugationem, quamq; proportionem priuantes propositiones habent ad simplices, quatenus uel ad plura, uel ad pauciora pertinent, eundem habebunt etiam illæ, quæ sunt transpositionis. [duo uero inquit, non erũt.] id est duæ partes illarum quatuor. sed quænam hæ sunt? nimirũ quæ, præter antedictas, reliquæ sunt: hoc est simplices propositiones, non eo ordine affectæ erunt, quo priuationes: quod ipse paulo ante docuit, cum dixit, non erunt. Sed ad quas non erunt affectę simplices propõnes ordine, ut priuationes? an ad alias duas ꝑticulas ex quatuor, hoc est ad eas, quæ ex trãspositione sunt. id enim ante quoque ostensum est, non ut affectæ priuantes sunt ad eas transpositionis in eo quod in pluribus aut paucioribus ueræ sint, ita etiam affectas simplices esse. ergo quæ de consequentia propositionum supra dicta sunt, nobis conducunt ad sententiam Aristotelis intelligendam. Iam uero non ignoramus, diligentiores Aristotelis interpretes aliam afferre explicationem horum uerborũ, quam ipsi magis probant, utpote quæ simplicior sit, quã quæ allata est, nec nos, ut ipsi aiũt, cogat Aristotelis diuinare sententiam. censent enim affirmationem ac negationẽ non simplices propositiones appellari, sed ipsam aientem & negantem speciẽ propositionum: ea quatuor autem duarũ oppositionũ simplicis inquã & trãspositionis, particulis duas quæ sunt transpositionis ita affectas esse ad ipsam speciẽ, & potẽtiam affirmationis & negationis, ut priuãtes propositiones. at quõ illæ affectæ sunt? non dicuntur illæ quidẽ affirmationes & negationes absolute, sed hoc totũ, priuantes affirmationes & negationes: ut ẽt homo mortuus non dicitur absolute homo, sed hoc totũ, homo mortuus. hoc ẽt aiunt, modo affectæ sunt propositiones trãspositionis ad aientẽ negantẽq; speciẽ: siquidẽ nõ sunt affirmationes aut negationes absolute, sed hoc totũ affirmationes infinitę, et negationes infinitę: reliquę uero duę particulę simplicis oppositionis nõ ita affectæ sunt ad aientẽ, negantẽq; speciẽ. qđ hæ suapte natura sint affirmationes & negationes, possintq; his nominibus sine ulla additione appellari. atq; hæc quidem est illorũ oratio. me uero de pristina sententia non deducit, quamuis multum in se probabilitatis habeat explanatio. esse enim absurdum arbitror, cum Aristoteles aperte clamet, uelle se, quæ hic dicuntur, intelligi ex ijs, quæ in prioribus exposita sunt, habeamus autem de prædicta propositionum consequentia admodum perspicua in primo analyticorum extremo Aristotelis uerba, quod ipsi quoq; plane fatentur, ad hæc cõniuere, atq; aliam quampiam eius augurari sententiam. Sed dices, quam ad rem nobis usui erit huius consequentiæ propositionum cognitio? nempe ad transumptionem propositionum, quę in syllogismis sæpe usu uenit. cum enim concessit quispiã, iustum esse Socratem, merito dicemus, ergo iniustum nõ esse, ergo non iustum non esse. siq; concedatur, nõ esse ipsum iniustum, putabimus autem sumendum esse, ipsum iustũ esse, & non iustum non esse: erit fatua transumptio. in his enim nõ recte progreditur is, qui quales propositiones qualibus propositionibus amplius latiusq; pateant prius nõ distinguit. quoniã uero nõnulli putant, has propositiones adhuc perfectas manere, sed solum prædicari, quod in ligno, uerbi gratia, dicamus negationes, ut priuantem & ea transpositione ueras esse, affirmationem uero simplicem falsam esse: ideo contra eos dicendum est, cum in propositione lignũ actu capiamus, ac dicamus, lignũ homo iustus est, re uera fieri prędicatum hoc totum, homo iustus est: sed non iam indeterminatam propositionem remanere: sed ut in ligno simpliciter sumpta, erit uniuersalis. quod declarat articulus, cũ dicunt τὸ ξύλον: qui articulus nim uniuersalis notæ habet: sed ut in hoc ligno, erit singularis. quod si propositionis formam seruauerimus, nihil ei adhibentes actu, nihil uetat, quin & lignum, & equus, & alia scacenta ab ipsa per potentiam cõtineantur: de quibus uere aut falso efferri dicitur. affirmatio enim, qualis est hæc, homo iustus est, quasi aliquid tale esse enunciet, in solis hominibus, & iis quidem iustis, uera esse potest: falsa autem est necessario in iis, quibus uel subiectus, uel prædicatus non conuenit: negatio uero utpote quæ cũ affirmatione pugnet, falsa est in quibus illa uera sit: uera autem, in quibus illa falsa. Aristoteles autem deinceps docebit, huius, est albus homo, non esse negationem hanc, est non albus homo, propterea quod uera esse in ligno queat, cũ in eo falsa sit affirmatio. Præterea cum dicimus, Nireus homo formosus est, non est existimandũ, tria a nobis dici prędicata: quia hoc totum homo formosus tanquã unum de Nãreo prædicatur, & uerbum est, apprædicatum sit: simileque est.

est, ac si dicamus, Nireus animal rationis particeps mortale est. atq; hoc in solis indeterminatis fieri potest. neq; enim in determinatis licet totam determinatam propositionem de aliquo prædicari, ut in indefinita fit. causa est, quia non decet determinationem prædicato adhibere: neque etiam id fit in singularibus: quod indiuidua de aliis dici non queant: ut nec alia quoq; de generibus summis enunciantur. ex his asit emanat etiam quæstionis illius de contradictione explicatio. cum enim de omni re affirmationem aut negationē ueram esse dicimus oportere, non ita loquimur, quod utraque cuiuscunq; contradictionis pars possit tota de quouis pdicari, ut de Socrate, Theætetus sedet, Theætetus non sedet: & tamen alteram tantum ueram esse necessario pronunciamus: id autem & in iis quæ determinatæ sunt, & in singularibus absurdum est, uti monuimus: sed earum partium, quę in propositionibus affirmationem, & negationem faciunt, hoc est, quæ affirmando, & negando prædicantur, utranque de quouis eorum quæ sunt & quæ non sunt, posse prædicari. atque eum eo, de quo prædicantur, absolutam propositionem conficere: alteram tamen earum necessario ueram esse: ut sedet, oon sedet. album est, album non est. uerbum autem illud, de omni, indicat de solis prædicatis id intelligi. quæ uni alicui omninum iuncta propositiões efficiũt, alterã uerã, falsam alterã. Sed quæstio ē de simplicibus affirmatiombus compositum prædicatum habentibus, quomodo infinitam, hoc est ex transpositione affirmationem in eis faciamus, utrum negantem particulam addendo unicuiq; ex nominibus prædicatum componentibus, an uero uni illorum solum: atque hoc quale sit, ne distributiua esse ratio uideatur. mea ergo sententia est, siue omnia e composita prædicentur ui sua & essentia de subiecto ut fit in definitis, siue etiam unum eorum ex accidenti, ut cum dicimus, Socrates homo albus est, omnino oportere negantem partem prædicato anteponi, ut ea, quam inuestigamus, affirmatio fiat: ipsamque particulam ad uniuersum prædicatum, tanquam ad unum, & non solum ut ad partem, cui forte cō iuncta sit, accipiendam esse. nam qui ait, hominem animal non expers rationis esse, uel Aethiopem hominem non album, simili ratione loquitur, atque is, qui dicat, Socratē scientem esse non boni. atque hæc plane affirmatio simplex est, quæ infinitum quiddam, hoc est non bonum, finito prędicato quod est scire, coniungit. ob eamque causam uera fit cum ea, quæ boni scientem ipsum esse enunciat: quanquam uere infinita affirmatio nunquam cum simplici potest in eodem conuenire, ut in primo priorum determinatum est. Eadem ratio est in iis omnibus, in quibus quod prædicato additur, non dicitur quasi subiecto insit, sed tanquam alicui eius actioni substratum sit. neque enim idem est, si dicas, Socratem esse non album, quod est essentiæ, ut si dicas, scire non bonum: quod actionem quandam indicat: aut esse non Alcibiadem, & amare non Alcibiadem. una enim & eadem res esse hoc & simul non esse, nullo modo potest. ut uero eadem res in contrariis agat, non est impossibile. quocirca ut quispiam simul sit bonus & non bonus, fieri nequit. ut autē simul ambo sciat, contingere potest. si uero hæ, homo albus est, & homo nō albus est, prædicatæ de Aethiope, aut uno alio quodam simul conuenire nō possunt, id propterea fieri dicemus, quod album aptum sit suapte natura ut, si ēt homini non iungatur, de subiecto prædicetur & definite, & infinite, duasque efficiat affirmationes, quæ simul conueni re inter se non possint. Omnino autem animaduertendum est, non posse ex una contradictione, aut oppositione infinitæ ad finitam affirmationis, singula quæ ad compositā prædicationem sumpta sunt, considerari. neque enim una omnino esse potest illa propositio, in qua multa prędicata capiuntur. quocirca nihil mirabile est, si quædam ipsorum uere, quædam falso prædicantur, ut in sequentibus distinguemus: sed singula quæ componuntur, an uere prædicentur, intueri per se oportet: atque ita particulares prædicationes uniuersalioribus attexere, easque quæ ex accidenti iis, quæ per se prædicantur. quare prædicatum in ea propositione, quæ uere una est, uel nomen quod unam naturam declaret sumitur, uel oratio idem, quod nomē sine dubio significās, quod nomen uel in usu sit, uel certe omissum ab iis, qui nomina rebus imposuerunt. quam ob rem illud etiam, quod nos statuimus, rectè habet, omnino oportere negātē particulã prædicato anteponi, ut infinita affirmatio efficiatur. sed de his hactenus. Quoniam autem in multis codicibus aiunt scriptum esse, [Illud inquam est, uel homini, uel nō homini adhiberi potest:] scire conuenit, si ita scriptum reperiatur, hoc nomen homo, quod etiam philosophus Porphyrius dixit, non pro subiecto, sed pro prædicato loco nominis iusti, uel albi, sumptum esse: ut in hac propositione; Callias homo est, perspicitur.

Quod ita fiet etiam, si nomine uniuerso constet affirmatio. vt,

Omnis homo iustus est.		non omnis homo iustus est.
	Cuius negatio est,	
Omnis hō non iustus est.		Nō omnis homo nō iustus est.

nisi quod non possunt æque ueræ simul esse enũciationes eæ; quæ rectis lineis ad perpendiculum inter se respondent. Sed tamen ueræ sunt interdum eodem tempore.

Censet prædictam consequentiam in propositionibus indeterminatis a nobis debere spectari: & item in una ex contradictionibus angularibus, ut omnis, & non omnis: ut ēt in hac sumptis simplicibus propositionibus, & iis quæ sunt transpositionis, & priuantibus, usu ueniat, eas transpositionis habere eam rationem ad simplices, quam priuantes habent: simplices uero non iam ad eas transpositionis, quam priuantes, habere rationem. hic ergo etiam sub affirmatione simplici reliquarum contradictionum negationes statuētur: affirmationes uero non item: ac sub negationem, affirmationes collocabuntur. atque ita utraque negatio quę sub affirmatione simplici locata sit, erit quã affirmatio simplex amplior. nam si sint iusti omnes, & quæ non omnes iniustos esse, & quæ nō omnes non iustos esse dicet, uera erit: quia utraque affirmatio harum contraria falsa erit. at si ex hominibus alii iusti sint, alii non iusti, harum negationum utraq; uera erit, & simplex affirmatio falsa. ut enim ad plura quam simplex affirmatio, pertinent quę sub ea sunt negationes, ita etiam, quam simplex negatio, ad pauciora pertinent, quæ sub ipsa sunt affirmationes. quare ad simplices propositiones seruatur proportio earum, quæ sub eis sunt. nam in simplicibus affirmatio in paucioribus uera esse ostensa est, quam infinita negatio: & negatio in pluribus quam affirmatio. in priuantibus autē negatio rursus in pluribus, quam ex transpositione negatio: affirmatio uero in paucioribus, quam affirmatio transpositionis. ita autem se rem habere, hoc in priuantibus & iis, quæ sunt transpositionis, sumpto iterum ab affirmationibus argumento, facile ostendemus. cum enim omnes homines iniusti sint, uera erit ea, quę omnes esse non iustos dicit. patet enim iniustum non iustum esse. at si ex hominibus quidã iniusti sint, quidam medium habitum obtineant, certe propositio, quæ omnes esse non iustos dicet, uera erit. quæ uero omnes iniustos esse dicet, falsa. Eadem ergo in his etiam propositionibus, ut diximus, usu ueniunt, quæ in indefinitis euenisse perspeximus.

Homo iustus est,	Homo iustus non est.
Homo iniustus non est.	Homo iniustus est.
Homo non iustus nō est,	Homo non iustus est.
Omnis homo iustus est,	Nō ois homo iustus est.
Non omnis homo iniustus est,	Omnis hō iniustus est.
Non omnis homo nō iustus est,	Ois homo nō iustus est.

Prædictam propositionum cōsequentiam nobis prius ab Aristotele propositam esse ut in propositionibus indeterminatis clarum fuit ex eo, quod supra dixit, [Quorum duo affecta erunt ordine ad affirmationem, & negationem, quasi priuationes: duo non erũt.] ac nunc quoque censet, eadem a nobis spectari in affirmationis uniuersalis cum particulari negatione repugnantia: nec aliud quicquam aperte indicauit, cum subiunxit, [Nisi quod non possunt æque ueræ simul esse enunciationes, quæ ad diametrum inter se respondent, sed tamen ueræ sunt interdum:] quibus uerbis differentiam descriptionis determinatarum, & indeterminatarum propositionum exposuit. fit enim ut affirmationes in utraque illarum sint inter se per diametrum oppositæ: simplicem dico, & eam transpositionis, uel simplicem & priuantem.

tē. simili quoq; mō negationes. at in iis, quæ īdeterminatæ sunt, in materia contingenti ueræ simul esse inter se affirmationes possunt, itemque negationes, ut quæ particulares uiribus exęquent. in determinatis uero, de quibus nunc loquitur, ut in affirmatione uniuersali, & particulari negatione, fieri nullo modo potest, ut affirmationes in ulla materia simul neræ sint: negationes uero in sola contingenti simul ueras esse accidit. nam quia ex hominibus quidam iusti sunt quidam iniusti, quidā medio habitu præditi, certe has omnes negationes propositas fore ueras usu ueniet, non omnis homo iustus est: non omnis homo iniustus est: non omnis homo non iustus est. quod uero ait, [Sed tamen neræ sunt, interdum,] non ita accipiendum est, perinde ac si dicat omnes, quæ per diametrum inter se respondent, quandoque simul ueras esse, siquidem id fieri non potest: sed quod quædam earū possint, ut ex iis negationibus, quæ, ut diximus, in contingenti materia simul ueræ esse queunt, ea quæ neq; necessaria est, neque impossibilis. atque hæc quidem non modo aperte statui ab Aristotele, sed etiam ad finem primi analyticorum demonstrari comperiemus. Vnde quispiam commotus suspicari posset, soli descriptioni indeterminatarū conuenire qđ ait, [Nisi qđ nō possunt ęque nerę simul esse enunciationes, quæ ad diametrum &c.] illic enim differitur, tanquam negationes indefinitæ alio quoque modo, quā quo affirmationes, simul quandoque ueræ esse possint. non enim in subiecti partibus diuersis solum, id quod affirmationes faciunt, sed etiam in eodem uerum significant: cum tamen id diuersum fuerit a subiecto quod in prima propositione sumptum sit. nam de ligno, uerbi gratia, prædicabis hæc omnia uere, homo iustus non est: &, iniustus non est: &, non iustus non est: cum tamen nulla ex affirmationibus in quauis re, præter hominem, uera esse queat. Sed cum de illa descriptione doceret, non ei addiderit hæc uerba, deq; determinatis propositionibus sit locutus, eas uidelicet in cōsequutione sequi rationem indeterminatarum, subiūxerit, [Nisi quod nō possunt æque ueræ simul esse enunciationes, quæ per diametrū inter se sibi respondent,] nihil aliud a nobis intelligi uoluit, quam differentiam quandam descriptionum tradi, quod, ut ipse ait, non similiter, quæ per diametrum oppositæ sunt, in ijs simul ueræ sint. Verum si non oscitanter audienda uerba Aristotelis sunt, quærendum esse cēseo, quid causæ sit, cur in sola contradictione affirmationis uniuersalis cum negatione particulari ait propositionum cōsequentiam simili modo se habere, ut in propositionibus indeterminatis. an quod in reliquis contradictionibus, ut affirmationis particularis cum negatione uniuersali, & singularium, eadē consequētia non seruetur. nam in contradictione quæ ex his, aliquis & nullus constat, non licet ostendere simplicem affirmationem uel in pluribus, uel in paucioribus dici, quam priuantem negationem. neque enim si aliquis homo iustus est, iam etiam, nullus iniustus est: neque si nullus iniustus, iam aliquis est iustus. quid enim, si omnes medio habitu præditi sint? quam ob rem nihil est, quod ullam consequentiam esse affirmare cogamur. quod si simplices ad eas transpositionis comparar's, negationibus comitari affirmationes comperies, non tamen contra. nam si nullus non iustus est, patet, & omnem quoq;, & singulos particulatim iustos esse: non tamen, si sit aliquis iustus, iam oportebit non iustum esse neminem. iam ne in singularibus quidem prædictam proportionem inuenies. euenit enim ut simplex affirmatio & negatio transpositionis uicissim cōuertantur, Socrates iustus est, Socrates non iustus est: sed ut priuans negatio in pluribus, quam utraque ipsarum sit: propterea quod uel in ipso medio habitu, si ita posueris, uera sit. si uero quispiam sit, qui putet, etiam in singularibus seruari eādem consequētię propositionum proportionem, qđ indiuidua de nullo uere dicantur affirmando, neque de alio ullo, quam de se, neque de sui parte, cum diuidi non queāt de aliis tamen uere negari possunt, ut cum dicimus, Theætetus, Socrates non est, ut etiam de generalissimis nihil uere potest affirmari, & negari quidem non est impossibile, ut cum dicimus, quantitas non est substantia, sique hanc ob rē censeat, has, Socrates non iustus non est, & iniustus nō est, latius patere, quam hanc, Socrates iustus est, quod illam exuperent iis, quæ præter Socratem sunt: is primum sciat, se totam affirmationem ut prædicatam sumere: cum qua totam negationem comparans, in pluribus quam illa sit, eam ueram esse confirmat: deinde consentaneum esse, ut hoc totum, Socrates iustus, uel, non iustus, de aliquo non dicatur negando: nam in hominum multitudine & iustum simul & non iustum quæ actu subsistant spectantes, merito utranque eorum cum hoc nomine homo, de quibusdam affirmamus, atque negamus: cum tamen nullum indiuiduum possit esse utriusque particeps. Socrates autem uere negabitur de Theæteto: & si prædicatum sit homonymum subiecto nō esse hunc, uerbi gratia, philosophum, aut iustum Socratē, cum articulum adhibemus, & cum eo quod adiacet proferimus, nam sine articulo, Socratem iustum non esse, Græci non dicunt: cū neq; hoc loquendi genere scriptores usi sint, neq; etiam ratione ulla nitatur.

Atque hæ quidem duæ contradictoriæ sunt. Aliæ autem duæ cum hoc, non homo, quasi cum subiecto quodam adiuncto, uelut,

Non homo iustus est.	Non homo non est iustus.
Non homo est non iustus,	Non homo non est non iustus.

His autem plures esse contradicentes nullo modo possunt. hæque sine illis, ipsæ inter se pugnabunt, quod illud Non homo tanquam nomen sibi adiungant.

Theorema, quod his uerbis continetur, perspicuum est. ait enim tot etiam esse in propositionibus ex tertio appraedicato, quæ infinitum subiectum habeant, contradictiones, quot in iis erant, quæ ex subiecto finito constabant. illæ autem duæ erant in qualibet propositionum specie, quæ a subiecto nominatur: ut singulares uel indeterminatæ: uel uniuersales, uel particulares: duæ etiam hæ sunt: quarum exēpla quoque tradidit & simplicium, & earum quæ transpositionis sunt: non homo iustus est, non homo iustus non est: atque hæ sunt simplices ex infinito subiecto: non homo non iustus est, non homo non iustus non est: hæque & infinitæ, hoc est ex transpositione, & ex infinito etiā subiecto sunt. uerba autem hæc, [Aliæ autem duæ cū hoc, non homo, quasi cum subiecto quodam adiuncto:] manca sunt. perfecta autem erunt hoc modo: aliæ autem duæ contradictiones opponuntur, hoc est ex contrariis propositionibus conficiuntur cum hoc, non homo, tanquam subiecto quodam, quod in propositionibus sumptum sit, adiuncto huic ipsi, non homo, prædicato & appraedicato: ac prædicato quidem uel definito, uel infinito, appraedicato uero uel aienti, uel neganti. quocirca uniuersas ex tertio appraedicato propositiones ita ex diuisione sumamus. necesse enim est, ut hę uel ambos terminos & prædicatum & subiectum definitos habeāt, uel ambos infinitos: uel alterū finitum, alterum infinitum: idq; dupliciter, & patet, quō id fiat: præterea uel ipsas aientes esse, uel negātes. atq; ita enumeratæ omnes sunt: ipseque merito hoc sibi sumpsit, ne pronunciare ausus sit plures contradictiones nequaquam fore. deinde has etiam propositiones, quæ ex infinito subiecto constant, perfectas esse docens, ait, has sine illis, ipsas per se esse, quæ hoc, non homo, pro subiecto utuntur. ideoque ad enunciandum nihil minus, quam illas ualere.

Atque in ijs etiam omnibus in quibus Est uerbum non copulatur, ut in illis uerbis ualere & ambulare, idem efficit, si ita ponatur, ut si est coniungeretur. uelut, Omnis homo ualet, Non omnis homo ualet. Et, Omnis non homo ualet, Non ualet omnis non homo. Non enim totum hoc, non omnis homo dicendum est, sed negatio ad hominis uerbum addi debet, quoniam omnis non quiddam uniuersum, sed omnino declarat. Quod ex his enunciationibus perspici potest, Valet homo, Non ualet homo: Valet non homo, Non ualet non homo. Inter has enim & illas hoc interest, quod in his nihil prorsus uniuersum totumq; dicitur, in illis dicitur. Ergo significat omnis & nullus aliud nihil, nisi nomen omnino totumq; dici in enūciationibus. Ita cætera eadem omnia conuenit adhiberi.

Quidam eorum, qui hunc locum sunt interpretati, existimarunt, his uerbis Aristotelem dicere, in quibus propositionibus pro nerbo est, aliud uerbum tertio loco apprædicatur, ut ambulare, ualere, ot fit in his, homo iustus ualet, homo iustus uadit, in iis eundem propositionum ordinem, & consequentiam uersari, qui ordo in propositionibus uerbum est habentibus spectabatur. sed ij & ab Aristotelis sententia,& ab accurato nerborum intellectu omnino declinarunt. nam neq; philosophus huiusmodi propositionis exempla nobis uidetur attulisse: neque potest ullum aliud oerbũ, præter est, apprædicari. id quod non modo Aristoteli credendum est, qui supra clare dixit, solum nerbum est, in hisce propositionibus apprædicari; & item in analyticis, cum dixit terminum esse, in quem dissolnitur propositio & prædicatum & subiectum: addiditq;, adiuncto nerbo esse, uel non esse, aut etiam separato: nulliusq; uerbi, præterquam huius, mentionem fecit: sed & oos quoq; deinceps perspicue demonstrabimus: ut etiam prius sumus polliciti; cum quæret Aristoteles, quãdo ea quæ per se, ac separatim prædicãtur unam facere prædicationem inter se iuncta possint, & quando non possint. alij putarunt his nerbis quæri, an ut in propositionibus uerbum est apprædicatum actu habentibus,nomini prædicato, ut iustus, præposita negans particula non facit negationem, sed affirmationem transpositionis, nt homo oon iustus est,ita etiam in quibus uerbum est,potẽtia continetur in uerbo prædicato, cum uerbum illud dissoluatur, ut ante diximus, in suum participium,& uerbum est: & præposita participio negans particula non faciat illa quidem negationem, sed transpositionis affirmationem:etenim hęc propositio,homo uadit, idem plane significat,quod hęc, homo uadens est: quærit, inquiunt, an hanc,homo non uadens est, affirmationem quoq; ex trãspositione, an negationem dicere debeamus. eum tamen oe dignum quidem id sit, quod in quæstionem adducatur. nam quæ fors sit, hanc, homo non iustus est, affirmationem; hanc nero, homo non ualens est, negationem appellemus? præsertim cum ex uerbis Aristotelis oihil tale elici posse uideatur. an igitur erit ad ipsius uerba accommodatius dicere, ut cum nobis ex infinito subiecto contradictiones tradiderit, ac primũ in simplicissimis propositionibus, quę solum ex subiecto & prædicato constabant; tũ uero iis, quæ proxime dicta sunt, etiã in iis, quę ex tertio apprædicato fiunt, & in exemplis, quæ ipse adhibuit, nerbum est pro prędicato prius sumpserit, cũ dixit, Est non homo, non est non homo, &, est omnis non homo, non est omnis non bomo:& in iis, quę proxime supposuit, uerbum est pro apprędicato statuerit, cum ait, Atq; hæ quidem duæ cootradictoriæ sunt,aliæ autem duæ cũ hoc, non homo: uelut est iustus non homo, non est iustus nó homo,est oon iustus non bomo, non est non iustus non homo: cum inquam hęc omnia fecerit, nunc ei propositum sit, ut nos doceat, etiam in iis propositionibus,in quibus pro uerbo est, aliquod aliud uerbum sit non apprædicatum, cum id non posse fieri dixerimus, sed prædicatum,& subiectus etiã termious sit infinitus, eodem modo faciẽdæ sint negationes, quo factæ sunt in iis, in quibus uerbum est, actu prædicabatur. quocirca ut in illis particula negans uerbo est iũcta negationes faciebat, ut non est oon homo, &, non est omnis non homo, ita etiam nunc, huius, ualet omnis non homo, ait esse negationem hanc, non ualet omnis non bomo. est autem plane perspicuum, si ipsarum negationes uere facere uoluerimus, eodem modo in utrisq; nos esse facturos, & in iis in quibus uerbum est actu prædicatur, & in quibus pro uerbo est, aliud quiddam uerbum sit. nunc uero solius uniuersalis affirmationis facta mentione,quę infinitum subiectũ habet, & uerbum ualet de eo prædicato, quærit, quomodo sit eius efficiẽda negatio: ut quasi satis sit in hac id nosse, methodum nobis tradat iis, quæ sæpe dicta sunt, qua in aliis quoq; affirmationibus negationes conficiamus. Videtur autem ad hoc theorema proponendum impulsus Aristoteles, quod uereretur, ne quis existimaret, nihil referre ad faciẽdam negationem, particulam negãtem ab infinito subiecto auferre, ipsamq; determinationi pręponere, id autẽ aperte significat his uerbis, [Nõ enim totum hoc, oon omnis homo dicendum est, sed negatio ad hominis uerbum addi debet:] hoc est, non enim est dicẽda negatio hæc, non omnis homo ualet, huius affirmationis, omnis noo homo oalet: sed noo, quod ipse negationem appellauit, utpote quod negationem conficiat, ad uerbum hominis etiam in negatione addendum est, ut in utraque propositione idẽ subiectus terminus maneat, sicut idem quoq; prædicatus manet: quod habere debent eæ propositiones, quæ contradictorio nomine ioter se opponuntur.

Est non homo,	Non est non homo.
Est omnis non homo,	Non est omnis non homo.
Est iustus non homo,	Non est iustus non homo.
Non est non iustus nó homo,	Est non iustus non homo.

Huius igitur rei causa, ut inquam propositionibus, quæ uerbum est actu habent, eas quæ potentia illud assumunt, similes efficeret, nosq; doceret, contradictiones in utrisque eodem modo esse faciendas, uerbum ualere in participium ualens & uerbum est, dissoluere in exemplis initio uisus est: deinde propositis primum ex finito subiecto propositionum exemplis, ut quæ notiora sint, neque magis adducere queãt ad cognitionem earum, quæ ex infinito subiecto constant, eas subiungit quæ ex illis fiunt, & infinito subiecto utuntur, de quibus sibi agendum proposuerat, ut quomodo in eis negationes ex affirmationibus fiant, intelligamus. nunc uero solum declarat, causamq; affert, cur nõ alio modo negationes efficiantur: cæterum cum dixerit, huius, omnis non homo ualet, non esse dicendam hanc negationem, non omnis homo ualet, eius rei causam statim subiũxit his nerbis,[quoniam inquit, omnis non quiddam uniuersum, sed omino declarat.] quod quid Aristoteli significet, iandiu docuimus, cum hæc ipsa nerba declararemus. nunc uero assumptũ est, ut indicet eundem subiectum in contradictoriis propositionibus sumi oportere: idque nequaquam euenire, cum huic affirmationi omnis non bomo ualet, hanc negationem non oĩs homo ualet repugnare dicamus. debet enim prędicatus in negatione ab iis negari, de quibus in affirmatione prædicatur: quod in proposita oegatione non faciemus. cum enim affirmatio uerbum ualere prędicet de omnibus nõ hominibus, prædicta negatio de hominibus ipsum oegat. determinationes autem uniuersales habere eam uim, & significare, prædicatum inesse in iis omnibus, quæ in affirmatione uniuersali subiecto continẽtur, in uniuersali uero negatione non inesse omnibus, perspicue declarauit, easdem afferẽdo propositiones, quas prius,subiecto modo finito,modo infinito accepto, cum uniuersali determinatione exposuit: quas deinceps sine determinatione exposuit, ut indicaret, hanc determinationem omnis, qua posteriores propositiones a prioribus superantur, eis tribuisse, ut prędicatio de iis omnibus indiuiduis fieret, quæ subiecto continentur: qua facultate careot propositiones determinatione uacantes. quasi uero hęc, omnis homo non ualet, idẽ ualeat quod hęc, nullus homo ualet, & nullus nõ homo ualet,merito concludens ait, [Ergo significat omnis & nullus aliud nihil, nisi nomen uniuerse dici in enũciationibus.] hoc est de omnibus rebus, quæ naturæ subiecti sunt participes, uel affirmat, uel negat prædicatum is, qui uniuerse enunciat. itaq; cum in his solis opposite inter se propositiones distinguantur, cętera inquit, eadem omnia conuenit adhiberi: oos admonens, ut eundem subiectum,eundemq; prædicatũ in propositionibus contradictoriis seruare debeamus.

Quando autem huic enunciationi, Omnis animans iustus est, illa contraria est quæ dicit nullum esse iustum animantem, perspicuum est eas nunquam simul nec in eodem ueras futuras esse: quæ autem his repugnant, possunt interdum: uelut, Non omnis animans iustus est, &, Est aliquis animans iustus.

Cum in sequentibus nobis dicturus sit, uniuersalẽ quandam negationem, negationi cuidam uniuersali comitari,ut simplicem ei, quę est transpositionis, & eam transpositionis simplici, id nunc iure anticipat, ac decernit, ut in propositionibus ex subiecto & prædicato uniuersales ut uniuerse appellauit aduersas, & inter se falsas esse enunciauit, illis uero contradicentes, inter se ueras esse, cum ait, Quocirca hæ simul uerę esse non possunt, at his contrarię simul in eodem

dem

dem uere dici possunt: ita etiam in propositis propositionibus, in quibus est appraedicatur, censet, uniuersales, quae nullam in terminis differentiam habent, simul nunquam ueras esse: neque eas significare, quae simul in eodem possunt conuenire: quae uero illis contradictorio nomine repugnant, concurrere interdum inter se, per uerbum interdum, significans eis conuenire, ut simul uerę sint in sola materia contingenti. nos igitur, ut dictũ est, haec uerba, eas nunquã simul, nec in eodẽ ueras futuras esse, distincte intelligimus: ut cũ ad ipsas orationes, tum ad uerba ab eis significatas ipsa traducamus. accidit enim, ut haec simul cõueniant. nam si orationes simul uerae sint, etiam quae in eis praedicantur, in eodẽ simul insunt, idque uicissim. & planum est, eo quod orationes simul uerae sint, causam esse, ut etiam res simul insint. alij uero uerbum neque, quia bis sumptum est, superuacaneum esse putauerunt. itaque utrisque uerbis simul, & in eodem, aiũt circunscribi id, quod eiusmodi propositionũ oppositionem designat. possunt enim inquiunt, simul uerae esse propositiones, nõ in eodem sumptae, ut omnis homo bipes, nullus equus bipes. itemq; in eodẽ quidem uerae, sed nõ simul: ut cum dicimus, omnis homo, de aureo seculo intelligentes, iustus est: nullus homo, de ferreo seculo loquentes, iustus est. cum tamen Aristoteles initio nos docuerit, quas inter se opponi propositiones censeat: hoc est eas, quę eiusdem de eodem sunt, & quae haec consequuntur, possitq; temporis commutatio in singularium natura spectari, in uniuersalibus uero, nullum obtineat locum: nisi fortasse fabulosa figmenta ad euertenda ea, quae plane & perspicue demonstrata sunt, adhibere uelimus.

Quae eadem enunciationes consequuntur: haec quidem, Nemo est iustus, huic, Omnis homo est non iustus: & haec, Est aliquis homo iustus, huic opposita est, Non omnis homo est non iustus. quandoquidem sit aliquis iustus necesse est.

In principio tractationis propositionum, quae ex tertio appraedicato constant, didicimus, quomodo totae ipsarũ contradictiones ordinem inter se, cõsequentiamq; obtinerent: itemq; earum particulae comparatae inter se sunt: ut uniuersalis simplex affirmatio cum negatione transpositionis particulari: utpote quae illam sequeretur, & in pluribus quoq; uersaretur: at affirmatio uniuersalis ex transpositione cum simplici negatione, ut quae eodem modo, quo illa, affecta sit: nunc uero tradit nobis Aristoteles eas propositiones, quae eandem habent quantitatem, mutuo autem se cõsequuntur, non tamen totam contradictionẽ cum tota comparans, sed, ut dictum est, unius solius propositionis cum una propositione consonantiam spectans. ait ergo huic, omnis homo est non iustus, comitari hanc, nullus est homo iustus: huic autem, aliquis homo iustus est, hanc, nõ omnis homo est nõ iustus. planum enim est inquit, si uerum sit, non omnem hominem non iustum esse, aliquem hominem iustum esse necessario. si uero falsa sit haec, aliquis homo iustus est, non uera haec erit, non omnis homo est non iustus, quod positum est: sed quae illi repugnat, omnis non iustus. quam ob rem particulares non secus, quam uniuersales, se uicissim consequuntur. Aristoteles autem quarundã modo propositionum se se consequentium exempla subiungens, a theoremate discessit. at dux noster, deque nobis optime meritus regulas nobis singulari quadam arte tradebat, quarum cognitione cuicunq; propositae propositioni consequentem inueniremus. nam cum propositiones ut totae, & ut partes habent, considerentur, ipse illarum oppositiones ita sumebat, ut differentiam ipsarum uel in partibus, uel in totis contemplaretur. cum uero propositionũ duae partes sint, subiectus terminus & praedicatus, duo quoque sunt, quae in eis totis, ut totis, spectantur, qualitas ipsarum & quantitas. ideo fit, ut quatuor modis propositionum oppositiones sumantur. nam si eas a subiectis distinguas, eas uel finitum, uel infinitũ habere subiectũ dices: a praedicatis uero, uel simplices, uel ex transpositione. si a quantitate diuidas, alias uniuersales, alias particulares, alias infinitas, alias deniq; singulares esse inuenies. ex qualitate uero, quasdam aientes, quasdam negantes comperies. Quae cum ita sint, iubebat nos in propositam intueri propositionem, quomodo in his omnibus conditionibus affecta esset, si eius consequentẽ inuenire cupiebamus: ac dicere, eam denique esse consequentem, quae illi & in subiecto termino & in quantitate similis esset: in reliquis duobus differens. proponatur inuenienda consequens huius, omnis homo iustus est, uel animal est, ut uera sit oratio nostra: praesertim cum huiusce propositionis exemplum Aristoteles nõ adiungat. ergo quoniam subiectum finitum habet, estq; simplex, & uniuersalis, & aiens, oportebat, ut eam consequatur propositio, quę finitum habeat subiectum, nõ tamen simplex sit, sed ex trãspositione: quae sit ipsa quoq; uniuersalis, sed non affirmatio, uerum negatio. quaenam ergo erit propositio finitum subiectum habens, ex transpositione, uniuersalis, negatio? nimirum haec, nullus homo non iustus est, uel non animal est. haec ergo illi comitatur. simili quoq; modo alterius cuiusuis, siue ea finitum, siue infinitum subiectum habeat, consequentem comperies. Praeterea hae regulae nobis etiam usui erunt ad ea, quae post dicturus est philosophus de consequentia propositionum, quae ex infinito subiecto constantur. ergo in determinatis non solũ accidit, ut negationes affirmationibus comitentur, sed etiam ut negationibus affirmationes: quod ipse etiam indicauit, qui cum particularem negationẽ exposuisset, addidit, [Quandoquidẽ sit aliquis iustus necesse est.] at in ijs quae non sunt determinatae, & si negationes ex affirmationibus cõsequuntur, tamen affirmationes non omnino comitantur negationibus: idque iure fit. nam in eis quia subiecti indeterminati sunt, negans propositio conuenire in aliquid aliud potest, praeter quam in id, quod a subiecto significatur: ut canis nõ est iustus homo. in determinatis uero ex quibus Aristoteles quoque deprompsit exempla, id iam euenire non potest: propterea propositionem nõ seruamus determinatam: sed praedicato quoque determinationem adhibemus. ut cum dicimus, canis nullus homo iustus est. cum ergo de ijs solis indiuiduis, quae a subiecto continentur praedicatus uniuersalis in determinatis dici possit, fit, ut earum propositionum, quae hoc modo capiuntur, utraq; ex altera consequatur. In eo autem, quod ait, [Et haec, est aliquis homo iustus, huic opposita est, Non omnis homo est nõ iustus:] planum est, dici oppositam uniuersali affirmationi, quae principio enumerata est: quae erat talis, omnis homo non iustus est: cui contradictorio nomine opponitur haec, nõ omnis homo nõ iustus est. Si uero quispiã quęrat, quomodo conueniat prędictae regulae de propositionum consequentia, in ijs, quae nõ sunt, ut in hircoceruo: nam simplex uniuersalis negatio in eo uera est, quae exempli causa, nulli hircoceruo inesse iustum pronunciat: uniuersalis uero affirmatio ex transpositione falsa est, quae omni hircoceruo inesse non iustum enunciat: cum tamen haec quoque uera esse debeat, si praedictae regulae omni reprehensione uacabant: is primũ audiat Aristotelem non modo dicentem hoc loco simplici affirmationi particulari comitari negationem particularẽ ex transpositione, & cum ea necessario reciprocari, cũ ait, [& haec, est aliquis homo iustus, huic opposita est, non omnis homo est non iustus. aliquis enim sit necesse, est:] id est, iustus: si uera negatio est: sed etiam cum aget de consequentia propositionum ex infinito subiecto, clamantem idem significare uniuersalem affirmationem transpositionis, quod uniuersalis simplex negatio. haec enim, inquit, omnis non iustus non homo est, idem significat, quod haec, nullus iustus non homo est: cum eadem in uniuersalibus propositionibus determinatum subiectũ habentibus spectentur. nulla enim in subiectis differentia est in ijs propositionibus, quae se mutuo consequuntur: deinde intelligat is, se repugnare communibus sententijs, qui dicat esse aliquid eorum quae sunt, aut quae nõ sunt, quod neque hoc, neq; non hoc, ut neque bonum, neque non bonũ esse queat. ex omnibus enim ijs, quę ita affirmantur, quae definita sunt, in illis solis sunt uera, quae ipsa accipere natura apta sunt, quando actu illis impertiuntur: in caeteris uero omnibus pręter quam in illis falsa sint necesse est: infinita uero cõtrario modo affecta fore in ueritate & falsitate planum est. haec enim, non iustus non solum de hominibus iniustis, & medium habitum obtinentibus, uel nondũ natura aptis ad participandum, uere dicitur, sed etiam de lapide, exempli causa, & de hircoceruo, qui crebris usurpari

sermo-

sermonibus solet. quod si monstrum esse putet, uerbum est, de aliquo eorum, quæ oon sunt, uere dici, existimetq; id, de quo hoc prædicatur, ad essentiam omnino traduci, is primú discat, se male transferre ea, quæ dicta sunt ad probandum huiusmodi propositionem non esse negantem, ut ostendat non ueram esse. merito enim non esse negatio dicitur, propterea quod prorsus esse aliquid negat, licet infinitum: non tamen ob eam causam nel falso ipsam dici, uel efficere ut sit res, de qua prædicatur, asseremus. nam si nerbum est solum per se de eo quod non est dicatur, ut hircoceruus est, aliquid utiq; dicetur: nunc uero totú hoc illi inesse dicitur, hoc est, ut non tale sit, ut non iustus, sed nō, ut absolute sit: siquidem hoc loco nerbum, est, de hircoceruo ex accidenti prædicatur. quemadmodú in sequentibus de propositione, quæ ait poetam esse, qui non amplius sit Homerus, dicemns. nihilo tamen minus uera erit in his propositio, quam in aliquo eorum hominum, qui sunt, sed non capaces, aut nō præditi iustitia sunt, ut si dicamus, lapis non iustus est, uel Anytus non iustus est. si uero quærat, cui non existenti hireoceruo non iustum inesse dicentes uerum dicamus, respondebimus, ei quem mente concipimns, de quo opinabile, & nominabile prædicantes, quanquá finita sunt, nere dicemus. nam quod nullo modo est, id neque opinabile est, neque nomine appellari potest, neque ulla alia nomenclatura uocatur, neque in singulari, neque in ullo alio numero proferri, ut Eleates hospes affirmauit. neq; enim, ei quod neutiquam est, unitatem aut numerum coniungere, est lino linum copulare: de quo tamen prædicare aliquid conamur, id nobiscum ante animo prius cogitare necesse est. atq; nel in ouda phantasia totam habeat cōsistentiam, uel ante etiam nostram cogitationem, ipsum per se consistat. ad summam non ignoranda sunt ea, quę in tertio de prima philosophia diuinitus scripta sunt, diuinam inquam, re uera esse primi entis potentiam, quæ extenditur non modo usque ad materiem prorsus informem, sed etiam usque ad priuationes, & negationes, & ad ipsum non ens, siquidem ipsum non ens, boe etiam esse, non ens dicimns. si uero ex eo, quod neque affirmatio infinita eodem modo, qno simplex negatio, neq; affirmatio simplex quo infinita negatio reciprocare queat, dinersam illarum uim se putet ostendere, æquius sane id existimabit, propterea quod diuersa sit qualitas propositionú. nam quo tandem pacto negatio eadem cum affirmatione sine ullo discrimine fiat? sed neqne id censuerit quispiam, neque propterea similes esse illarum conuersiones consentaneum est, quod ipsę nerum in eisdem dicant. etenim uniuersalis negatio cum absolutam earum rerum, quas significat, distinctionem declaret, ideo in se ipsam conuertitur. est enim disiunctum, quod disiunctum est, ut ab omni lapide iustum, & ab omni iusto lapis. attamen affirmatio uniuersalis non iam hoc, sed contrarium profitetur, & quandam prædicati eum subiecto compositionem præ se fert, uel si infinitum quidpiam subiecto coniungat. tamen non potest ipsa in se connerti, qnandoquidē cogitur dicere ei omni, quod infinite principio prædicatú est, subiectum inesse: quod quidem partieeps sit illius infinitatis, cum eo tamen pariter extendi non posit. neque enim cōsentaneum est, ut quoniam non iustum inest omni lapidi, iam etiam omni nō iusto lapis insit. latius enim quam lapis manat non iustum. Quod si ea afferat, quæ in principio tertiæ sectionis dicta sunt de simplicium propositionum consequentia, itemq; earum, quæ transpositionis sunt, & item priuantium, in quibus docuimus simplieem hanc negationē homo iustus non est, in pluribus diei, quam hanc infinitā affirmationem, homo non iustns est, is sciat, nos enunciasse, non ipsam per se infiniti prædicati negationem in pluribus dici, quam affirmationem infiniti, ut iustus oon est, &, non iustus est, siquidem id est falsum, sed sumentes totas propositiones prædicatas, nos prędictā negationem in pluribus dici, quam affirmationem deprehendisse: propterea quod negatio uera etiam sit in ijs, qui omnino homines nō sunt: ut de cane, si enuncies, ipsum nō esse hominem iustum: affirmatio uero falsa. non quod nō iustum de eo prædicetur, sed quia ea quæ sunt præter hominem, homines esse non iustos enunciat. Probabilius autem fuisset, quærere, quomodo hæc conuenire posint ijs, quæ primo analyticorum extremo cōtinentur: nempe subiectum quiddam illi esse, quod est nō equale, idque esse inæquale: illi uero quod nō est æquale, nihil esse. ad quod respondebimus, Aristotelē in ijs id statuere, in quibus uerbum est per se prædicatur. sed hæc illis cōdonentur, qui propter ingenij tarditatem facile decipiuntur. ijs uero qui ingenio ualent, oon uidebitur esse necessarium, ut longior de his iuuenilibus molestijs habeatur oratio. Cum igitur hæc ita distinxerimus, planum est, ijs regulis, qnas tradidimus, etiam in propositionibus indeterminatis locú fore: si non totas propositiones prædicatas capiamus: sed solam prædicatorum eum suis subiectis relationem attendamus. quicquid enim non est iustum, id esse nō iustum necesse est: & quicquid est non iustum, id necesse est non esse iustum: cum esse, si de eo quod non est, dicatur, ex accidenti prædicetur. & quidquid est non iustum, necesse est non esse iustum: quę sane sapiens bospes Eleates in Platonis Sophista plane & aperte pronunciauit.

Illud etiam perspicuum est, si vere licet negare in singulis enunciationibus ei qui rogatus sit, vere etiam eundem posse dicere, vt, Estne sapiens Socrates? Non. Non est igitur sapiens Socrates. In vniuersis autem non est vera ea quam dixi, sed negatio, vt, Num omnis bomo sapiens est? Non. Omnis igitur bomo sapiens non est. Hoc enim falsum est, at illud verum, Non omnis igitur bomo est sapiens. Atque bæc quidem illi repugnans est, illa contraria.

Hoc præceptum consequens est ei, quod proxime tradidit, sidemq; ab eo capit. prius enim nos docuit, cum qua nera affirmatione quæ simul ueta sit futura negatio, quæ eiusdē esset cum illa quantitatis: nunc uero declarat, qua mentiente affirmatione simplici quæ transpositionis affirmatio quæ in eisdem termiois & eadem quantitate dieatur, nera sit necessario, & qua, fieri nullo modo posit. aitq; si simplex affirmatio in singulis rebus falsa sit, affirmationem transpositionis necessario ueram fore. in uninersalibus nero uniuerse sumptis unà cum simplici affirmatione eam qnoq; transpositionis falsam esse. præterea ad cōgresiones dialecticas accommodatum præceptū reddens, nosq; attentiores faciens, ne ex eo quod in propositionibus quibusdam accidit, ita in omnibus, qnę eodē modo proferuntur, similiter habere rem facile concedamus, perinde orationem instituit, ac si propositiones per interrogationē efferantur. itaq; loquitur, quasi ad eum uerba faciat, qui simplicem quampiam affirmationem singularem interroget: [ut, est ne sapiens Socrates?] uerum fuerit negare, si ita sit cōstitutum: hoc est negantem partem respondere, & dicere non. de ipso quoque affirmare uerum erit omnino. hoc est anteponēda negatione prædicato, ut transpositionis fiat affirmatio, & dicatur, Socrates igitur non sapiens est: uel non iniustus, uel non penniger, ut re ipsa uera sit oratio. ad eum uero, qui aliquam simplicē uniuersalem affirmationem interroget, ut, est ne omnis homo sapiens, uerum est negare, & respondere, non. rursus tamen interrogationem, responsionemq; componere, atque unius affirmationis ex transpositione speciem designare, ut omnis igitur homo non sapiens est, non iam uere dicetur. huius rei causa est, quod in singularibus idem ualet affirmatio transpositionis, quod simplex affirmatio, ut ex regulis panlo ante declaratis intelleximus: sique falsa sit simplex affirmatio, negationem ueram fore necessario: & item eam quæ eiusdem potestatis est, quæ est transpositionis affirmatio. at in uniuersalibus affirmationem transpositionis non idem ualere quod negationē, quæ simplici affirmationi contradicens est: sed idem quod eius contraria. nam qui dicit, omnis homo noo sapiens est, idem dicit atque is, nullus homo sapiens est: cum nomen sapientis ab omnibus singulis separet: non autem ab eo duntaxat aufert, quod est de omnibus prædicari: quod fecit is, qui dixit, non omnis homo sapiens est. quoniam ergo necesse est contrarias simul falsas esse, ideo diximus affirmationem ex transpositione idem nalere, quod negatio quæ simplici affirmationi contraria est, ut conuenit ijs regulis, quas de consequentia propositionū exposuimus. ideoq; necesse est, nt hæc cū illa falsa sit, quod in singularibus propositionibus contingere non poterat

quan-

doquidem in eis affirmationi una sola negatio opponitur, quæ illi contradicens est: contraria uero, nulla. ex duabus uero negationibus uniuersali affirmationi repugnantibus, quæ illi contraria est, cum ea falsa simul erit, & item affirmatio transpositionis, quæ parē illi uim habet: ea uero quæ contradictorio nomine illi repugnat, uera erit. quam ob rē ait uerum esse, non omnis ergo homo est sapiens. sed quid dicemus de cæteris affirmationibus, ut de indeterminata, ut de particulari? dico eas perinde se habere, ut singularis: propterea quod nulla unà cum iis falsa sit, sed uel simul uera, uel cum utraque ipsarum uerum, falsumque diuidere. cum ergo hæc interrogatio, est ne homo penniger, falsa sit, neque hæc, homo igitur non penniger est, neque hæc, aliquis homo igitur non penniger est, quæ affirmatio transpositionis est, falsa erit.

Quæ uero ex nominibus & uerbis infinitis inter se repugnantes sunt, qualia sunt hæc, non homo, & non iustus, ea uacare nomine & uerbo tanquam negationes uideri possunt, sed tamen non ita est. Nam cum necesse sit semper uerum aliquid uel falsum negationem declarare, qui hoc totū non homo dixerit, nihilo magis atq; adeo minus, quā qui solum hominis uerbum pronūciauerit, uere aliquid aut falso dixerit, nisi quid adiungat.

Cum propositiones ex infinito subiecto ad finem secundi capitis nobis exponeret, indicauit, ut nos quoque ibidem adnotauimus, nomina infinita posse afferre suspitionem, ne sint negationes, non tamen esse, quod significauit, cum dixit, Esse autem affirmatio sine uerbo nulla potest. in his autem cum iam duplicem nobis propositionum differentiam tradiderit, alteram uero sit deinceps allaturus ex finitione & infinitate subiectorum, alteram ex finitione & infinitate prædicatorum, merito ueritus est, ne particula negans nominibus adiuncta in subiectis infinitis, & uerbis in prædicatis infinitis, induceret aliquem ex simplicibus hominibus ad credendum, ipsa nomina infinita, uerbaque infinita per se pronunciata negationes posse conficere. itaque errori statim occurrit, qui inde oriri potuisset, declarans quantum īter hæc & negationes intersit. [Quæ uero inquit, ex nominibus, & uerbis infinitis inter se repugnantes sunt.] quod breuitatis causa imperfecte extulit, siquidem neq; dictum est, quænam sint repugnantes, neq; quibus repugnent. perfecta autem erit sententia ad hunc modum, uoces quæ nominibus & uerbis infinitis continentur, repugnantes iis, quæ insunt finitis, illarum finitarum esse negationes uideri possent. ac nominum infinitorum uoces, esse negationes sine uerbo, illæ uero infinitorum uerborum, esse negationes sine nomine: ut ex ambobus & nomine & uerbo fieri uera negatio debeat. sed tamen inquit, non sunt re uera negationes. id quod aperte concludit in secunda figura ad hunc modum, negationes, quæ enunciantes orationes sunt, necesse omnino est aut ueras esse, aut falsas: infinita nomina, ut non hō, uerbaq; infinita, ut non iustus, neq; uerū, neq; falsum quicquam possunt significare, hæc igitur negationes nō sunt. ea uero nec uerum, nec falsum significare, perspicue confirmauit ea cum nominibus, & uerbis infinitis cōparās, idq; usu argumētationis, quæ a maiore ducitur. si enim finita, quæ naturam quandam certam significant, & in hac ipsa re aptiora infinitis sunt ad aliquid ueri aut falsi significandū, si hæc in uocibus simplicibus spectari suapte natura possunt, nihil tale indicant, ut sæpe ante docuimus, ergo infinita, quæ naturas a finitis significatas tollunt, neque ullam aliam ipsa introducunt, sed omnibus & quæ sunt, & quæ nō sunt, possunt pariter accommodari, multo longius absunt, ut uerum quid, falsum ue significent. id quod ipse indicauit, ea minus quam finita, uerum falsumque declarare, cū ait, [nisi quid adiūgat.] nam si uel infinito nomini uerbum aliquod adiunxerimus, ac non solum quod ratione prædicandi uerbum appellatur, ut iustus, sed etiam quod præterea tempus aliquod adsignificet; uel infinito uerbo, quod ita nominetur propter uim prædicandi, ut non iustus, nomen, & uerbum in tempore pronunciatum, uel uerbo non ambulat, aut etiam omnibus uerbis infinitis in temporis alicuius significatione prolatis, nomen solum addiderimus tum perfectam orationem, quæ uerum falsumq; recipiat, effecerimus.

Nec uero pronunciatum hoc, Est omnis non homo iustus, idē quod superiora illa declarant: nec illud quod huic repugnans est & contradicens, Non est omnis non homo iustus. Atque hæc, Omnis non homo est non iustus, par illi est, Nullus est iustus non homo.

Quæ dicuntur hoc loco cōiuncta esse superioribus debebant, quæ de propositionibus sese consequētibus dicta sunt, ubi dixit, consequentes etiam hæ sunt: quandoquidem cum illic nobis explicarit cōsequentiam propositionum, quę ex subiecto finito constant, hic quomodo propositiones infiniti subiecti se se consequantur, declarat. sed seriem doctrinę diremit proxime quidem distinctio infinitorum nominum, uerborum, & negationum, prius uero etiam cum docuit, quænam ex infinito prædicato affirmationes necessario ueræ essent cum simplicibus affirmationibus mentiētibus. qđ iis, quæ de consequentia dicta erant, contrarium esse quodammodo uidebatur: cum tamen cū illis sit cognatum, propositionesque alias ex utrisq; terminis finitis, alias ex subiecto finito, & infinito prædicato accipiat. cum igitur illis expositis consequentiam nobis, ut diximus, earum propositionum, quæ ex infinito subiecto constant, explicare debuisset, necessario tū pp ea, quæ iā dixerat, tū pp ea, quæ sequebātur, de ipsis uocibus infinitis disseruit, ut quā uim haberēt, intelligeremus: quocirca his expositis, cū adiungat quę ex illis cōsequebantur, docet, qūo infiniti subiecti propositiones se mutuo consequantur. ac primum indicat, hoc esse diuersum propositionum genus ab eo, in quo finitus subiectus est. nā quod ait, [idem quod superiora i] intelligēdum est, de propositionibus finitum subiectum habentibus, quarum prius consequentia exposita est. nam qui idem significabunt, quæ ex finito, & quæ ex infinito subiecto conficiuntur? deinde unam propositionem afferens, quæ utrunq; terminum & subiectum & prædicatum infinitum habet, ut omnis non homo non iustus est, eique comitari dicens hanc, nullus non homo iustus est, ad alterius theorematis tractationem se contulit. Quod si quis uelit alteri cuius propositioni earum quę ex infinito sunt subiecto, consequentem inuenire, ei facile id suppetet usu earum regularum, quę expositę supra sunt nobis. Constat autem fore, ut quæ post pceptionem consequentiæ propositionum, quæ ex subiecto finito constant, dicta sunt, cum simplex affirmatio in eis mētitur, affirmationem transpositionis modo ueram, modo falsam deprehendi, in iis etiam, quæ subiectum infinitum habent, non secus quam in illis conueniant. id quod Aristoteles tanquam perspicuum uidetur transisse silentio.

At uero nomina & uerba si transponantur aut traijciātur, idem ualent. uelut, Est albus homo, Est homo albus. Si enim secus sit, certe eidē affirmationi multæ sunt futuræ oppositæ negationes. At unam uni esse oportere demonstrauimus. Huius enim, est albus homo, negatio est nō est, albus homo. huius autē, Est homo albus, si idem quod illa, Est albus homo, non declaret, negatio erit, uel hæc, Non est non homo albus, uel illa, Non est homo albus. Atqui hæc, Non est non homo albus, huius est negatio, Est & non homo albus. altera autem huius, Est albus homo. Duæ igitur sint unius necesse est. Ex quo intelligitur, si nomen, & uerbū transponantur, traijcianturq; in oratione, eandem oīno affirmationē, & negationem futurā.

Hoc quoque theorema consequens est ex iis, quæ tradita sunt nobis prius. cum enim de consequentibus, hoc est de simul inter se uerum enunciātibus propositionibus disseruisset, nunc nos esse docendos putauit, quasdam propositiones esse, quæ diuersæ quidem esse uideantur, ac simul uerū dicere, re tamen uera nullam habeāt inter se, nisi in uerbis, differentiam: eiusmodi autem sunt trāspositæ, quas ipse nomina & uerba, hoc est subiecta & prædicata uocat: ut declarant exempla, quæ subiungit, ut est homo albus, &, est albus homo. in his enim propositionibus cū in solo subiecto, & prædicato sit facta mutatio, dixit ipse nomen uerbumq; transponi:

transponi: appellatque transpositionem, ordinis mutationem, quæ ad pronunciationem pertinet, hoc est, ut unum ante aliud nos in propositione proferamus, aut ante hoc illud dicamus. huiusmodi enim nominum uerborumq; commutatio nihil uariat propositiones in significatione, plurimum tamen discriminis in concinnitate locutionis hic ordo nominum atque uerborum affert. neque enim ita suauis oratio est, si dicas, In Piræum descendi heri, ac si dicas, heri in Pirçum descendi. quam ob rem docent rhetores non modo in uerbis & nominibus deligendis, sed in apta quoque illorum constructione, collocationeque maximam esse curam adhibendam: sed in significatione, de qua philosophus agit pcipue, hoc illo nihil interest. Dicitur alia quoque nominum uerborumque transpositio, cum a finitis ad infinita fit transitus, quæ propositiones prorsus euariat, uerũ hæc ab Aristotele non traditur nobis hoc tempore: neq; huc illa facit. diligenter sane solum nominum, & uerborũ trãspositionem eandem seruare propositionem asseruit, ut homo iustus est, homo est iustus: iustus homo est, iustus est homo: est homo iustus, est iustus homo. negans uero particula per se ipsa transposita omnino propositiones commutat: ac subiecto adiuncta, affirmationem ex infinito subiecto facit: prædicato uero addita, affirmationem, ex transpositiooe: uerbo est, uel in propositionibus determinatis iuncta determinationi, negationem. quod si cum termino, cui cõiuncta erat in prima propositione, ipsam transponat, ita etiam propositio eadem manebit, quia uerbum transpositum fit infinitum, non tamen propter ipsam negantem particulam id fiet: ut non est homo albus, homo non est albus, homo albus non est. atque hæc quidem plana sunt. Probat autem Aristoteles in hac quæstione proposita, easdem esse has propositiones, est homo albus, &, est albus homo, in secundo hypotheticorum modo, ut sublato consequenti, tollatur antecedens: si enim inquit, prædictæ propositiones eædem non sint, certe eidem affirmationi multæ sunt futuræ negationes: sed hoc fieri non potest, ut prius probatum est his uerbis, Vnius autem affirmationis unam esse negationem planum est, ergo hæ propositiones inter se non differunt. Sed unde euenit, ut si propositiones, de quibus agitur, diuersæ sint, multæ unius affirmationis sint futuræ negationes? quooiam inquit, si hæc diuersa est affirmatio, est albus homo, ab hac, est homo albus, diuersę quoq; earum negationes erunt: si unius affirmationis una negatio est: sed huius, est albus homo, negatio est hæc, non est albus homo: huius ergo, est homo albus, alia quædam erit negatio. igitur uel hanc, non est homo albus, uel hanc, non est non homo albus negationem dices. sed hæc, non est non homo albus, est negatio huius affirmationis, est non homo albus. simili quoq; modo quamcunq; præter hanc, non est homo albus, sumpseris, eam cuiuspiã alterius affirmationis esse negationem comperies. quare necesse est, hanc, nõ est homo albus, negationem esse huius affirmationis, est homo albus. uerum hæc, non est homo albus, huius quoq; affirmationis, est albus homo, negatio est: non propterea quod, ut quidam putant, uerum & falsum cum ea non in hac solũ, aut illa, ut in quibusdam propositionibus, uelut contrariis, aut particularibus usu uenit, sed absolute in omni materia, perpetuo distinguunt: (hæc enim sunt eorum, qui obliuioni mandarunt quæ de his Aristoteles memorauit) sed quoniam hæ solis determinationibus a determinatis differunt. huic autem, omnis est albus homo, contradicens est utraq; harum sine dubio, non omnis est albus homo, nõ omnis est homo albus. idem fit in determinationibus Aliquis, & Nullus. quocirca in indeterminatis quoque id ita erit: non in eo, quod cõtradicant, sed quod utrauis nihil minus habeat, quam reliqua, ut sit eiusdem affirmationis negatio. quare, vt dicebamus, unius affirmationis est albus homo, duæ negationes erunt, ut non est albus homo, & non est homo albus. poterat id quoq; paucioribus concludi dicendo, duarũ affirmationum prædictarum unam fere negationem, ut non est albus homo, in eo quidem sensu, quo uni affirmationi binas repugnare negationes dicimus. sed Aristoteles uidetur affirmationem, quasi terminus quidam formaq; sit, unam sumpsisse, rationemq; eo adducere, ut incommodo urgeat, ut cum eodem, ceu cum forma, duæ priuationes pugnent. Dubitarit fortasse quispiam, quod iam a nobis ut controuersum quæsitum est, quomodo contingat, ut uniuersalis aiens propositio in se ipsam conuertatur, siquidem uerũ sit hoc præceptum, quod Aristoteles nobis tradit. nam cũ hac affirmatione, omnis homo animal est, simul uera erit hęc, omne animal est homo, cum solum ordo prædicati & subiecti in eis commutetur. ad quem dicemus, censeri potissimũ ab Aristotele, fieri transpositionem terminorum in sola pronunciatione, & utriusq; unam & eandem uim conseruandã esse: hoc est, ut subiectus post transpositionem maneat subiectus, & item prædicatus. neq; enim subiectum & prædicatum diiudicamus, quod primum, aut secundum in propositione cum dicamus, sed ex illis distinctionibus, quas olim de eis exposuimus, nempe ut alter sit, quo de agitur, alter qui de illo dicitur: & alter uel habeat, uel capere articulum apud Græcos, aut determinationem aliquam possit, alter non item. ergo in propositionibus ab Aristotele expositis homo in utrisq; subiicitur, siquidem de eo sermo est, album uero prædicatur. at in his, omnis homo animal, omne animal homo, neq; idem subiectus, neque idem prædicatus est, id quod determinatio modo uni, modo alteri termino iuncta declarat. deinde quod de particula negãte disserebamus, si per se transponatur, commutare propositiones, sed cum parte propositionis, cui prius iuncta erat, quocunq; modo transpositam seruare eandem propositionem, idem etiam in determinationibus dicimus euenire. nam per se transpositę propositiones interdum inuertunt, & falsas ex ueris faciũt: ut in iis exemplis, quæ posuimus, clarum est: at cum terminis, quibus primum adiunctæ erant, transpositæ, easdẽ propositiones conficiunt: ut omnis homo animal est: est omnis homo animal: animal omnis homo est: est animal omnis homo: & quibus aliis cunq; modis coniungi inter se possunt. Ergo, ut ante diximus, uidetur quandoq; in negationibus transpositione huius, non est, diuersam fieri significationẽ: sed primum quidem cum secundam eodem sensu, quo primam, proferimus, nulla erit significationis uarietas: deinde uero Aristoteles de affirmationibus locutus est: in quibus uerbo est, in eodem loco conseruato, solum subiectum & prædicatum commutauit: perinde ac fieri eadem in negationibus debeant, si ne cogitatione quidem sit uarianda propositio.

Dicere autem & negare unum aliquid multis, aut multa uni conuenire, non una & simplex affirmatio & negatio solet, nisi unum ex multis declaretur. unum autem appello, non si nomen unum sit impositum, nec ex illis unum aliquid efficiatur (uelut homo fortasse, & animal est, & bipes, & cicur) sed si unum quiddam ex his constet. itaq; quoniam ex homine et alboet ambulatione nihil efficitur, si quis quid de iis enunciet, non una pronunciatio sit, sed multæ, etiam si uox una esse uideatur. Itemq; multæ sunt, si de uno quodam hæc dicantur omnia.

Quomodo una re uera propositio ab ea discernatur, quæ una uidetur, non tamen una est supra quoq; nos docuit, cum dixit, [una autem affirmatio & negatio est, quæ unũ de uno declarat.] at nũc de eodem etiam præcepto agit. nec tamẽ eadem iterat: neque quod prius de simplicissimis propositionibus disseruerit, nunc de iis, quæ ex tertio apprædicato fiunt, loquatur, fortasse enim non esset id absurdũ, in utroq; genere propositionum ostendere predictam orationũ enunciantium distinctionem eodem modo fieri: uerum, si quod sentio, mihi dicendum sit, cum disseruerit prius de iis inficiationibus, quæ ad aliquam interrogationem adhibentur, quando iunctæ interrogationibus affirmationem transpositionis ueram efficere possint, quando non possint, uult quod illic rudius est dictum, nunc diligentius exponere, ac nos cautiores reddere, ne factæ interrogationi prompte una responsione respondeamus. neq; enim quotiescunque una uideatur, re uera etiam una fuerit. itaq; ad id dignoscendum, uidelicet quænam una dialectica sit interrogatio, quæ non una, debent in promptu esse regulæ, quæ ad unam & non unam propositionem discernendam pertinẽt, siquidem dia-

lectica interrogatio est propositio quædam. quocirca uidetur Aristoteles hoc præceptũ de integro pertractare. quod declarat, cum præceptionem, qua nos docet, quando non una responsione interrogationi respondendum sit, uelut horum conclusionem inferat, cum ait, [Quocirca si dialectica interrogatio responsionis petitio est, &c.] profecto una ad hæc responsio non potest adhiberi, quandoquidem ne una quidem interrogatio est. ac de sententia, & ordine eorum, quę nobis nunc proposita sunt, hæc satis. De eis autem nõ dicit, quæ prius iam dixit, (nam hoc esset, eadem plane inculcare) sed aliam differentiam quandam nobis tradit eius propositionis, quæ re uera una est, & eius quæ una solum uidetur. ut autem quæ dicenda sunt, facilius intelligamus, dicimus, quia necesse est, terminos qui ad propositiones efficiendas adhibentur, uoces quasdam esse, & res quasdam significare, ideo quatuor ipsorum fieri differentias: nã uel ambabus hoc est uoce & significatione simplices sunt, uel in neutra, uel in alterutra: idq; constat fieri dupliciter. si igitur in ambabus, uterq; terminus simplex sit, una perspicue propositio erit, ut cum dicimus, bomo animal est: si in sola significatione, non tamen in dictione, una etiam ita erit: licet minus obtineat, ut una aperte sit, propter uarietaté quę in uerbo, aut in alterutro termino, uel in utraq; spectatur: ut cum dicimus, bomo animal particeps rationis mortale est: uel animal particeps rationis mortale, substantia animata sentiens est: si uero in sola dictione termini simplices sint, hoc est, cum homonymi sumpti sint uel ambo, uel alter eorum, non iam una propositio erit. sed differentiam, quæ inter eas in hac re est, prius quoq; nobis indicauit, cum dixit, [Nam si duobus nomen unum impositum sit, ex quibus constare non possit unum, non ea una affirmatio, aut negatio est, ut si quis equo & homini nomé uestis imponat.] reliqua igitur una differentia est, qua termini & dictione, & significatione multiplicati assumuntur uel rursus, ambo, uel alter solus. sed cum Aristoteles existimarit uerosimilius esse, ad censendam unam esse propositionem, quæ non una sit, ponere solum alterum ex terminis in ambabus, hoc est dictione & significatione, uarium, cum alter terminus re uera unus sit, quam si utrosq; posuisset: & quod simul ab hoc reliqua suppositio quæ utrunque terminum nullius simplicitatis participem statuit, a maiore declaretur, in hac orationem deducit. nec censet unam fieri negationem, si unum de multis, aut multa de uno uel affirmando, uel negando prædicentur: nisi usu ueniat, inquit, ex multis uel prædicatis uel suppositis unum fieri: ut iterum in sola dictione uarietas spectetur: significatio uero simplex usq; sit: ut in definitionibus esse diximus. cum autem Aristoteles hoc subiungat, [unum autem appello, non si nomen unum sit impositũ, nec ex illis unum aliquid efficiatur:] factũ est, ut quidam interpretes existimarint id esse illi coniungendum, nisi unum ex multis cõponatur. quasi per hæc philosophus declaret, quomodo habere se debeat illud unum quod constare ex multis dicitur. nempe unum omnino nomen habere, nec tamé nomine solum unum esse debere, ut quando de eis homonyme prædicatum sumatur, sed ita sit præcipua sui significatione: putentq; id quod nunc dicitur, nihil ab eo, quod prius dictũ est, differre, ut siquis equo & homini nomen uestis imponat, eademq; de eisdem iterum dici arbitrentur. Sed præstabit fortasse dicere, ac magis erit sequentibus consentaneum, ut cum bis fecerit unius mentionem in iis, quæ proxime recitata sunt, cum ait, [Dicere autẽ & negare unum multis, aut multa uni cõuenire:] & cum postea subiunxit, [nisi unũ ex multis cõponatur,] ut quod prius sumptum est, actu sit sumptum in propositione, & perspicue re unum esse debeat: posterius uero, ut quod non actu quidem sit sumptum, debeat tamen ex multis componi, quæ actu assumpta sint: si modo futura sit una propositio: nunc ad utranque unius sententiã referat: ut illis uerbis, [Vnum aũt appello,] nos doceat ei fuisse a principio propositũ tradere nobis cautiones unius, de quo bis memorarat: iis uero, quæ postea addit, [non si nomen unum sit impositum, nec ex illis unum aliquid efficiatur,] bis mentionem unius faciat, non tamen de uno & eodem termino: ut suspicari quispiam posset, differat, ac distinguat quomodo uno & eodem sumpto, uel non uno & eodem multas pro una propositiones fieri contingat: sed quod doceat alterum, quod ait, non si nomen unum sit impositum, sumptum esse de uno termino, qui re uera & uoce & significatione sit unus: alterũ uero, quod ait, [nec ex illis unũ aliquid efficiatur,] de altero, qui in uoce multitudiné actu habeat. Si enim nnum aliquod subiectum, aut prædicatum nomen statuatur, unamq; rem aliquam significet, nec unum quidpiam constet ex iis multis, quæ de illo prædicantur, aut quæ illi subiiciuntur, non iam una erit propositio: sed quot quot numero erunt prædicata uel subiecta. Id auté esse, quod ipse uult innuere, apertissime declarat iis exemplis, quæ affert: cum hominem ut unum quiddam subiectũ capiat. de quo prædicẽtur primum multæ uoces rerum earum significatrices, quæ de subiecto per essentiam prædicãtur: aptæq; natura sunt, ut ad ipsius definitionem efficiendã simul copulentur: deinde uero multæ quoq; uoces simul, sed quæ res eas significent, quæ ex accidenti insint subiecto: ob eamq; causam coalescere inter se non possint. atque eam, quæ ex uno subiecto, & prędicatis quæ coniungi simul queãt, constat propositio, non solum uoce, sed etiam ui & facultate unam esse: cum nos ea multa inter se iungentes de uno subiecto prędicemus. at quæ ex uno quidem subiecto, sed prædicatis quæ coniungi simul apta non sint, fiat, eam non esse uere unam, etiam si nos operam demus, ut illa accidẽtia in unum uoce componamus, ut omnia simul de subiecto prædicentur. ita enim fiet, ut propositio quidem una esse uoce uideatur, potestate uero nullo modo particeps sit unitatis. quæ cum ita exponat, nullibi uidetur in his uerbis homonymi prædicati, aut subiecti meminisse. cum auté prius, uti diximus, de iis, quæ per essentiam prædicantur, mẽtionem faciat, ea differenter de subiecto prędicari posse docet: quandoq; enim non solum uoce, sed etiam significationibus ut multa prædicantur, nec unam, sed multas propositiones efficiunt: quandoq; autem in sola uoce multitudo cernitur, & una re uera sit propositio. animal enim & bipes, & cicur, per essentiam prædicata de homine, quæ etiam ipsius complere definitionem possunt, exempli gratia accepit, ut declarat uerbum fortasse, quod additum est, sed si unũ quiddã ex his constet. perinde ac cum dicimus, homo & animal est, & bipes, & cicur: multa prædicata coniunctionibus uincta sumpta sint, quæ multas faciant propositiones. Simile enim quidpiam faciemus, ac si dicamus, homo animal est, homo bipes est, homo cicur est: quo sane modo multæ eodem subiecto utentes propositiones plane & perspicue efferuntur: cum uero sine coniunctionibus prædicata capiamus, eaque mutuo connectamus, ac deinceps proferamus, homo animal, bipes, cicur est, neque illorum continuitatem, quæ cõplere definitionem possunt, medio silentio intercidamus, unumq; sumptum sit prædicatum, una re uera propositio cõficitur. His expositis, deinceps addit, quæ de aliquo ex accidenti prædicantur, enunciatq; ex iis unam nunquam fieri prædicationem, unamue propositionem, licet ea deinceps prædicata efferantur, ut in definitionibus factum est. non enim ut animal, & bipes, & cicur ad unam constituendam naturam commiscentur, ita etiam multa accidentia uel inter se mixta, aut cum ipsorum communi subiecto, unam efficere naturam possunt. quam ob rem, qui ait, homo albus ambulans est, is non unam propositionem dicit: cum non prædicatum unum sit, ut in sequentibus declarabitur: ac simile est, perinde dicamus, homo albus est, homo ambulans est. sed nec qui dixerit, Socrates homo albus ambulans est, unam pronunciarit: propterea quod ex iis quoque non unum prædicatum efficitur: ceu multis accidentibus homini attributis. uerum de his post agetur diligentius.

Quocirca si Dialectica interrogatio responsionis petitio est, ut uel propositio explicetur, uel pars altera contradictionis: propositio autem unius est pars contradictionis, profecto nunquã ad hæc unum responsum adhiberi potest. quandoquidem, ne si uera sit quidem, una interrogatio est. Sed de his in Topicis diximus. Ex quo id etiam perspicuum est, quid est non esse dialecticam interrogationem. Nam & optio danda est, ut ex interrogatione utram uelis partẽ contradictionis

tradictionis

traditionis alter eligat: & qui interrogat, ante constituere debet, sit, nec ne sit hoc homo.

Veteres duo esse genera interrogationis prodiderunt, alterum dialecticę, & percunctatricis alterum: aiuntque dialecticam interrogationem esse, ad quam licet respondere aut etiam, aut non solum: & signis annuere, uel renuere tātummodo: ut, est ne animus immortalis? ut satis facias ei, qui hoc interrogauit, satis erit solum annuere, aut renuere: cum is qui interrogat, alteram solum, ut etiam par, est, repugnantię partem dicat. nam respondendo etiam, uel annuendo, fatemur partem repugnantiæ, quæ interrogata sit, siue sit negans, siue aiens, ueram esse. sępe enim negatio quoque interrogatur, ut, an animus non est immortalis? in quo genere si dicas non, & renuas, interrogationi repugnabis: & alteram repugnantiæ partem esse fateberis. si quis uero totam repugnantiam interrogando pronunciet, ut, est ne animus immortalis, nec ne? oportet quidē eū qui respōdet, dicere aut etiam, aut non: sed si affirmationem probet, dicet etiam, & affirmationem huic ipsi particulæ addet hoc modo, etiam immortalis est: quia nisi addatur affirmatio, incertum erit, ad utram partem interrogationis repugnantiæ illud etiam responderit: si negationem, dicet non, & ipsam quoque negationem particulæ non adiūget hoc modo, non est immortalis. atque eiusmodi quidem esse dialecticā interrogationem tradunt: percunctatricem uero esse aiūt, ad quam neque etiam, neque non liceat respondere: sed ahis uerbis, ac quandoque longa oratione uti debet is, qui rogatus est, ut respondeat: siquidem hæc eorum est, qui aliquid ab aliquo nolunt edoceri: ut quando uenisti? quod tibi est nomen? ubi habitas? unde patet, immortalem eē animum? cur magnes lapis ferrum trahit? qui autem ita interrogatur, ei integrum est, ut quicquid uelit eorum, quæ accōmodari interrogationi possunt, quæ sane innumera sunt, uel uere, uel falso respondeat. at cui dialectica proposita interrogatio est, is repugnantiæ, cuius pars est ea interrogatio, quæ sit, uel affirmationem, uel negationem & nihil præterea, respondet. Quæ cum ita sint, iure sic loquitur Aristoteles, [Si dialectica interrogatio respōsionis petitio est,] nō cuiusuis, sed uel propositionis, id est ipsius partis repugnantiæ, quæ pars actu dicta sit ab eo, qui interrogauit, & proposuit ei quem interrogat ad iudicandum. id qđ fit, ut dixi, cum is qui respondet aut dicit etiā, aut annuit. [Vel pars altera inquit, cōtradictionis,] quæ uidelicet non sit actu pronunciata ab eo qui interrogauit, sed potestate in interrogatione contineatur: ut negantes responsiones declarant. his enim significamus, nobis reliquam partem repugnantiæ, & non eam quæ interrogata sit, placere: ut quę potestate sit in interrogatione ad iudicandum proposita. ergo si nullo modo adhibeatur interrogatio, patet nullā quoque responsionem fore. quæ si ita sunt, debeatq; is, qui ad dialecticam interrogationem respondet, unam solam propositionem afferre, quæ uel actu, uel potentia ab interrogāte proposita sit, una autem propositio unius contradictionis pars est, unaque contradictio, ut prius diximus, eiusdē est de eodem, neque ullo homonymiæ modo utitur: si hæc ita se habeant omnia, quorum quędam Aristoteles statuit, quædam ut pote quæ ex iis, quæ statuta sunt, consequantur, omisit, [certe ad hæc inquit, nūquā unum responsum adhiberi poterit.] dicit autē ad hæc, de quibus proxime loquebatur, hoc est ad interrogationes, quæ nobis propositiones quasdam afferunt, quæ unius quidem speciem gerāt, re uera tamen multæ sint: ut declarant cautiones, quæ de eis paulo ante explicatæ sunt. cur uero eiusmodi interrogationibus non una responsione occurri oporteat, causam statim subiunxit: [quandoquidē inquit, una interrogatio nō est:] quam ob rem usu uenit, ut qui ad talem interrogationē respondet, uerum & falsum simul pronunciet pro uaria significatione propositionis uel in subiectis, uel in prædicatis, qui uel sint homonymi, ut ante diximus: uel diuersis nominibus appellētur, quæ actu in propositiōe sint adhibita: ut in iis, quæ proxime exposita sunt, eueniebat. quomodo .n. una responsione ei respōdebit, qui ita interrogabit, an Aiax singulari certamine cum Hectore pugnauit? uel, an Socrates albus ambulans est? si usus ferat, ut alterum eorum, quæ interrogantur, ei insit, alterum non insit. hæc autem nos etiam, ante Aristotelem, docuit Plato: Socrates enim in dialogo, qui Gorgias inscribitur, Polo uitio uertit, quod cum interrogaret, uiderentur ne ei oratores uniuersa quæ uelint, quæque esse optima existiment, sicut tyranni conficere: quasi multas ita interrogationes proponeret, propter ignorationem differentiæ, quæ inter uoluntatem, & existimationem uersatur. quoniam autem sæpe fit, ut ad omnes interrogationis significationes eadem sit uera responsio, ut, an Aiax ad Ilium militauit? &, an Socrates albus ambulans est? si ei ambo hæc forte insint: ideo nos docens, ne forte & casu, sed ex arte rectas responsiones adhibeamus, addit, [ne si uera quidem sit.] quę uerba cōiungēda sunt cum his, [profecto nūquam ad hæc unū responsum adhiberi poterit,] quia licet uerū sit, una oratione assentiri ei, qui roget, an Aiax ad Ilium militarit: tamen hoc respōdendi genus cauendum est, ne transire dialectica præcepta assuefiamus: significandumque omnino est, illum multa simul interrogasse, quod minime decebat: sed contigisse, ut ad ea omnia, quæ interrogatione continentur, eadem conueniat responsio. quare ne ad eum quidem, qui quærat, an homo & animal, & bipes, & cicur sit, una est adhibenda responsio, cum hæc una propositio non sit: quibus de rebus in octauo libro topicorum copiosius disseruit. Quoniam uero de interrogatione dialectica inter se contendunt Aphrodisieus interpres, & diuinus Iāblicus, quod alter sequens hæc uerba putet interrogationem dialecticam esse solum unius partis contradictionis: alter uero secutus ea quæ in procemio analyticorum sunt, totius contradictionis eam interrogationem censeat, (Est autem inquit in prioribus, dialectica propositio, si interroget disputator, contradictionis interrogatio: sin ratiocinationem conficiat, eius quod uidetur, & est probabile, sumptio) planum est ex iis, quę dicta sunt, quam simus de hac controuersia sententiam laturi. altera enim sola contradictionis pars actu interrogari debet, si ei uere occursurus sit, qui solum aut etiam, aut non respondeat: altera tamen etiam potentia proponitur. quamuis enim quasdam apud diuinissimum Platonē interrogationes inueniamus in quibus tota cōtradictio actu quęritur, ut quæ in Phædone habetur, vtrum uero ad prudentiam comparandam corpus impedimento est, nec ne? quod intuens magnus Iamblichus totam contradictionem dialectica interrogatione contineri pronunciauit: tamen scire conuenit, non eo consilio progredi in collocutionibus Socratem cū sodalibus suis apud Platonē, quo is, qui ex Aristotelis sententia dialecticus appellatur. is enim eo solum spectat, ut eum, qui cum differit, uincat, & ad repugnantiā compellat: Socrates uero & corrigit eos, qui secum differunt, si peccent, & finem sibi proponit, non uictoriam, sed ueritatis comprehensionem. itaque licet totam contradictionem ab eo pronunciari comperias, tamen id ab eo fieri uel exercendorum colloquentium causa inuenies, uel statim explicantem, ad utram contradictionis partem responderi censeat oportere: uel cum is qui disputat, non solum dicit aut etiam, aut non, sed declarat, ad utram contradictionis partem respondeat. Ad summam uero dialectica propositio primo & præcipue adhibetur dialectici syllogismi causa. quæ cum ipsius pars est, non habebit adiunctam dubitationem an: & alteram solum partem contradictionis assumit, quæ pars probetur ei, qui contra disputabit. quoniam uero eo inferior est, quam demonstratiua, quod non ab ipsis rebus, sed ab iis quæ concedit is qui contra differit, sumatur, idcirco per interrogationem proponitur ei, qui cum sermo est institutus, ut de illorum ueritate ex sua sententia diiudicet: nec solum ipsa, sed etiam, ut dictum est, reliqua pars contradictionis: assumitq; particulam an, ut forma interrogationis efficiatur. Sed quid est, quod tanquā corollarium addit his uerbis? [Ex quo, inquit, id etiā perspicuum est, quid est, non esse dialecticam interrogationē.] unde id sequi censet? certe patet, sequi ex iis, quæ de interrogatione dialectica dicta sunt, eam esse responsionis petitionem, uel propositiones, uel alterius partis contradictionis. Si enim dialectica interrogatio talis est, ut concedamus

& permittamus ei, qui cum disserimus, utram uelit contradictiouis partem respondeat, interrogatio uero qua quæritur quid est, non est huiusmodi, sed rei naturam doceri atq; explicari postulat, planum est, quid est non esse interrogationem dialecticam. sed si omnino uoluerimus quæstiouem quid est, in dialecticam interrogationem formare, oportet nos ipsos definitionẽ rei quæ uobis esse uideatur, actu proferendo interrogare, hoc modo, utrum homo est animal, bipes, cicur? si affirmatiouem uelimus interrogare: uel, utrum homo nou est animal, bipes, cicur? si de uegatioue quærere in animo habeamus: quod ipse breuiter indicauit, cum addidit, [sit, uec ne sit hoc homo.]

Sed quoniam alia coniuncta & copulata sic dicuntur vt vnum fiat categorema ex his quæ separatim dicuntur, alia nõ: quæ hoc loco distinctio & dissimilitudo est, quærat aliquis. Nam & animal de homine separatim vere dicitur, & bipes separatim, atq; ea pro vno habentur. Item homo & albus quæ eadem vnum sunt. At vero non si quis sutor sit, & bonus, continuo sutor bonus esse dicatur. Si enim quia vtrunq; verum sit, esse coniuncta ambo debeant, permulta incõmoda suscipere cogemur. Nam cum hominis albiq; nomen de homine vere dicatur, ergo etiam totũ: rursus cum albi nomen, etiam totum. Ita erit homo albus albus, in quo ad exitum nunquam perueniet oratio. Itemq; erit musicus albus ambulans, eademq; sæpe connexa & repetita, nihil in quo cõsistant habebunt. Præterea si Socrates, Socrates sit & homo, etiam Socrates Socrates homo sit necesse est. Et si homo ac bipes, sequitur vt sit etiam Socrates Socrates bipes. Illud igitur perspicuum est, absurda multa consecutura necessario, si quis coniunctiones omnino contendat fieri oportere. Nunc quemadmodũ hæc constituenda sint omnia, videamus. Eorum quidem quæ dicuntur, & eorum de quibus alia dicuntur, quæ forte temere dicuntur, aut de eodem, aut alterum de altero, ea omnia nõ vnum efficiunt. Velut in hoc, Homo est albus & musicus, nec vnum ex albo fit & musico, siquidem vtrunq; accidens est. nec si quis albus est, idem musicus sit, idcirco ex albo musico fit vnum. Forte enim temere aliquis musicus & albus dicitur. Ita non vnum quiddam ex musico & albo efficitur. Quocirca ne sutor quidem bonus omnino dicendus est, sed tantummodo animal bipes, quod non ex accidenti dicantur. Atque etiam vnum quiddam non constat ex ijs omnibus quæ in altero reperiuntur. Itaque nec id quod album est, album est, nec homo, homo animal vel bipes, quod in homine & bipes & animal continentur.

Cum supra dixerit, ex ijs diuersis, quę de eodem prædicantur, alia posse coniungi, atq; unam ex omnibus prædicationem fieri, alia uero nou posse, uullamq; uobis illic regulam tradiderit, quomodo ea discernamus, sed statim ad exponendum theorema aggressus sit, ad quod ea præceptio erat accommodata, hoc est, nou esse adhibendam unam responsionem ad eam quæstionem, quæ re uera uõ esset una, uult uunc id, quod illic pręteremissum est, adiungere. itaque sumens ut clarum & perspicuum, ex multis nominibus & rebus quę de uno & eodem dicuntur, quædam coniuncta inter se, & quasi cognata sic dici, ut unum ex omnibus ipsis categorema fiat, ut de animali, bipede, cicure diecbamus: alia non: ut de albo & ambulante dictum est: censet quæri, quænam sit dissimilitudo: hoc est, quæ causa sit huius differentiæ, & quam ob rem alia coniunganrur, alia nõ item. Prius autem quam inuestiget causam, ostendit huiusmodi differentiam re uera esse in ijs pluribus, quæ prædicantur, quæ iu eo uersatur, ut suapte natura apta sint ut copulentur, uel nou sint apta: propterea quod consequens est, ut prius rem esse, quã quare sit, perdiscamus. quædam ergo apta esse, ut ad uuam prædicationem efficiendam couiungantur, ostendit sumeus animal & bipes, quæ uon modo separatim, sed etiam simul de homine prædicantur, cum ipsum esse animal bipes enunciamus.

itemq; hominem & album, quæ & separatim, & coniuncte de hoc homine prædicantur, ut quando Socratem esse hominem album dicimus. esse uero quædam, quæ copulari nullo pacto possint, ostendit hypothesi, quæ sutorem quendam sumit, qui in arte quidem non excellit, sed moribus bonis prędítus sit: qualis fuisse uidetur Simo is, qui Socratis familiaris erat. de eo enim & sutor, & bonus separatim uere dicentur, at coniunctum ex ambobus, hoc est, sutor bonus, nõ iam uere dicetur. bouum enim de quouis hominum singulorũ per se prædicatum, ut de homine prædicatur, & ipsius uitæ genus significat: at iunctum cum sutore, & ita prædicatum, uon refertur ad uitæ homiuis genus: sed ad artis præstantiam. quocirca Gorgias apud Platonem nou orator simpliciter, sed hoc totum, orator bonus a Socrate uoluit appellari: ut se ipsum ab ijs, qui uitiose arte uterentur, hac ratione distingueret. quoniam autem erat uerisimile, ut qui simpliciores essent, arbitrarentur, quæ separatim prædicantur, simul quoque iuncta prædicari oportere, & existimarent nos forte ac casu dicere, id in quibusdã cõtingere, in quibusdã uero nõ contingere, conarenturq; disceptare cõtra id, quod de sutore & bono dictũ est, ideo proposita theorematis necessitate ostendit, quot incommoda suscipere cogantur ij, qui ita credunt: aitq;, [Si enim quia utrunq; uerũ est:] in quo subaudiendum est, eorum quæ separatim prædicantur: [esse cõiuncta ambo debeant:] hic etiam subaudiendũ est, si uerum est, etiam categorema quod ex utrisq; iunctum est, uerum sit oportet: [per multa inquit, incõmoda suscipere cogemur.] nam qui ita opinabitur, uugari eũ oportebit, & præterea ab hominum sensu abhorreutia & superuacanea quædam, & stulta dicere. si enim de Socrate & homo & albus uere dicantur, etiam utrunq; simul de eodem uere dicetur, ut Socrates est homo albus. sed si omnia quæ separatim prædicantur, possunt etiã coniuncta prædicari, si rursus huic compositæ prædicationi asciuerimus album per se de Socrate prædicatum, oportebit etiam, ex ambabus prædicationibus composita & simplici unam totam prædicationem conflari: ut dicamus, Socrates albus homo est: atque id in infinitum. quod est plane & perspicue nugari. præterea si musicus, & albus, & ambulans uon solum separatim, sed etiam simul de Socrate dicuntur, si ad compositam ex ijs prædicationem, album quoque ipsum per se prædicatum sumamus, dicemus, Socrates est musicus albus, ambulãs albus. itemq; si musicus per se prædicetur, dicemus, musicus albus ambulans albus musicus. sed hęc, ut ipse ait, sępe iuncta pręterquã quod nugatoria sunt, & garrulam disciplinã ostendunt, prædicationem quoque ob omni sensu cogitationeq; abhorrentem faciunt. his autem tertium ipse incõmodum adiungit, prædicari de eo, quem cernis hoc, Socrates est, & homo est. quare dicendum erit, qui cernitur Socrates, homo est. præterea de Socrate prædicabuutur recte separatim homo & bipes, nõ tamen etiã totum, hoc est, homo bipes. sunt enim hæc a ratione aliena, & prorsus superuacanea: siquidẽ euidens est, Socratem esse hominem uecessario, & hominem esse bipedem. quamuis enim, ut diximus, uel omuino uel ex parte quadam coalescere inter se possint quæ per essentiam prædicantur, ut geuus & differentiæ formarum effectrices, uou tamen quouis ordine inter se iunguntur & copulantur. neq; enim præpouemus quæ magis particularia sunt, & magis uniuersalia, & quæ ex illis necessario consequuntur, posteriore loco statuemus: sed contra, magis uniuersalia magis particularibus antepouemus. Cum igitur hac ratione harum rerum distinctionem esse necessariam demonstrarit, ipsam deinceps addit. cum ait. [Eorum quidem quæ dicuntur] de quibusdã subiectis, quæ ipse significauit, cum dixit, [& eorũ de quibus alia dicuntur,] id est subiecta de quibus enunciantur prædicata: eorum inquã quæ dicuutur, alia per se de suis subiectis prædicantur, alia ex accidenti, de quibus primum agit. siue autẽ ambo prædicata de subiecto ex accidenti capiantur, siue alterum de subiecto, & iu quo habere esseutiam natura apta sunt, alterum uero de altero dicatur, certe nullo modo una fiet prędicatio. quamuis enim musicus & albus de Socrate ex accidenti dicantur, non tamen unam ex eis factam esse prædicationem comperies: ac ne si musicum quidem de Socrate, albumq; de musico prædicatũ

sumas,

sumas, una fiet. hanc autem hypothesin assumpsit Aristoteles ad cautelam, quia necesse est, album in primis de Socrate dici non secus, quam musicum: non per essentiam quidē, quia accidens est: sed tamen secundum naturam: quia accidentibus ita natura comparatum est, ut in suis subiectis consistant, & de eis dicantur: sed album non iam dicetur de musico in primis, neq; secundum naturam: sed re uera ex accidenti: quia utriq; accidit, ut simul in eodem subiecto conueniant. necesse est denique hypotheses, quas Aristoteles disiunctas extulit, se uicissim sequi. siue enim de eodē subiecto duo accidentia dicantur, certe etiam de se mutuo ex accidenti dicentur: siue alterum essentiale sit, alterū accidens, tum accidens de essentiali secundū naturam dicetur; essentiale uero de accidenti, præter naturam: ut homo de albo ex accidenti re uera dicetur. siue etiā a principio sumamus, alterum eorum, quæ complent prædicationē, de qua quærimus, utrum una sit, an secus; ex accidenti de reliquo prædicari, necesse erit, ut prius ipsum per se de subiecto prædicatum esse, sumptum sit. hoc enim est, quod nunc quæritur, quænam separatim prædicata, possint etiam coniuncta prædicari. ac fortasse uerba non intelligenda sunt, quasi disiunctæ sint ab Aristotele pronunciata: sed quod dixit, aut, pro &, accipiendum: ut etiam apud Homerum, Iuuenis ue, senex ue: pro iuuenisq; senexq;. & quemadmodum quosdam libros inscribere ueteres solebant, Nicocles uel Lysimachus: &, Phædo, uel de anima, nō ut distinguerent ea inter se, sed ut nobis integrum essee, utro uellemus nomine uti. ut quod ait, [aut de eodē, aut alterū de altero,] idem sit, ac si dixisset, & de eodem, & alterum de altero. quid igitur causæ est, cur ea quæ ita prædicantur, non apta sint, ut copulentur? quia naturam omnino diuersam atque inter se disiunctam habent: ac quandoq; ad diuersas categorias pertinēt: nec misceri inter se ad unam naturam efficiendam possunt. quæ si ita se habent, certe patet, recte a nobis dictum esse prius, nihil esse, præter uerbum est, quod in propositionibus apprædicari possit. ut ambulare: nam in hoc, homo iustus ambulat, si uerbum iustus, dixeris prædicari: & ambulare, apprædicari: certe hæc propositio non una est. ambo enim ex accidente de homine prædicantur, nec apta natura sunt, ut ad unam prædicationem faciendam misceri, iungiq; possint. uerbum uero est, ceu quod non iam per se de subiecto tantum prædicatum, ut ambulare, & qualibet alia uerba, sed solum assumptum, ut prædicatum subiecto copuletur, solum aptum suapte natura est, ut prædicato coagmentetur, ipsumq; apprædicari dicatur, & ut unam prędicationem, & ob eam ipsam causam integram propositionem efficiat. Vtrum ergo, dicent aliqui, is qui dixerit, Hippocrates bonus medicus est, uel Zeusis bonus pictor est, unam prædicationem enunciauerit: quia utrunq; eorum, hoc est bonum, & ars subiecto accidit. an in his aliud est bonum quod separatim prædicatur, aliud uero quod ei arti, quæ in manuum opere est, copulatur? nam quod per se dicitur, quod etiam prius memorauimus, ipsos animi mores indicat: quod uero arti coniungitur, non item: sed uidetur quasi genus quoddam artis, aut eorum qui artes exercent, capi. in omnibus enim categorijs bonum spectatur: sed quod in qualitate est, unà diuiditur cum ijs, quibus est natura cōparatum, ut sint eius participes. ergo bonum aliquod sit oportet, quod animo consideretur, quodq; uel in moribus animi, uel de cognitione dicatur. hæcq; cognitio uel scientiam, uel artem pariat. ut igitur dicimus qualitatem genus artificis esse, ita etiam bonum quod in qualitate est, genus sit eius boni, quod est in artifice, necesse est. hic ergo bonum per se de medico, deq; pictore, denique de artifice prædicatum unam merito prædicationem efficit: quemadmodum colorem qui cernitur, album esse dicimus. potest enim etiam per se ex accidenti prædicari, quando de aliqua eius specie dicitur. substantia quoque ex accidenti dicitur, cum de accidenti prædicatur, ut cum dicimus, hoc album lignum est. sed de his rebus in primo posteriorum disputatum est copiosius. atque hoc bonum non erit de ijs, quæ præcipue de subiecto dicuntur: sed si modo dicatur, ex accidenti prædicabitur, propter artem, quæ de eo præcipue prædicatur. quocirca si solum captum sit, non poterit prædicari, quo etiam modo nec per se etiam bonum de subiecto prædicatum, præcipue de arte prædicabitur, sed ex accidenti: ut in hoc, sutor bonus. ita fit, ut ei iunctum unam facere totam prædicationem nō queat. Iam uero quomodo ex homine & albo unam fieri prædicationē dicemus, si neque ambo de Socrate per se dicuntur, sed alterum de altero ex accidenti? an quia ambo non accidunt subiecto, quādo alterutrum ipsorum de altero potest præter naturam, planeq; ex accidenti prædicari. ea autem, quæ hoc solum modo prędicantur, Aristoteles reprobat: utpote quę coalescere inter se non possint. album uero, quod suapte natura iungi homini potest, eiusq; significat qualitatem, non essentialem quidem, sed eam quæ in extremitate est, quatenus simpliciter quale dicitur, merito cum ipso unam prædicationem facit: quæ unam essentiam significat, non simplicem, sed eam, quæ quædam nominatur. Cum autem ita de ijs disseruerit, quæ ex accidenti prædicantur, nec copulari inter se possunt, dixeritq; ob id non simpliciter uerum esse illud, [ne sutor quidē bonus,] hoc est non semper uere dicitur: quoniam ea interdum concurrere, haud mirabile est, inducit, [sed animal bipes: nō enim ex accidenti dicatur:]. quasi dicat, quæ non ex accidenti, sed per se dicuntur, ea & copulari inter se, & unam efficere prædicationem possunt: non tamen si quoquo modo sumantur, nec quouis ordine inter se coniuncta: quandoquidem quæ iam in alia prædicatione aut actu, aut potentia sumpta sint, non iterum capiemus, ne uel nugari, uel inania quædam & superuacanea dicere cogamur, quod est etiam eadem temere inculcare, ut si dicamus, homo est animal bipes, non iam iterum bipes per se assumemus, propterea quod in prima prædicatione sit actu sumptum: itemq; si dicamus, Socrates est homo, non capiemus aliam prædicationem, ut quæ priori coniungi debeat, ut bipedem, aut animal esse: causa est, quia horum utrunq; potentia in prioro prædicato hominis sumptū est.

Vere autem dicitur & aliquis & simpliciter homo esse homo, aut quidam homo albus, albus homo esse. nec id verum est semper. Tumq; id falsum est denique, cum id quod adiunctum est, aliquid repugnans continet, ex quo etiam repugnantia consequantur. Vt si mortuus homo, homo esse dicatur. At si nihil tale copulatum reperiatur, totum vere dicitur: aut certe si adsit tale aliquid, non semper id verum est, si non adsit, ne tum quidem semper vere dicitur. Velut Homerus aliquid est, vt poëta. An vero sit, nec ne sit, quæstio est. Nam ex accidenti de Homero illud est in hac enunciatione, Poëta est Homerus, dicitur, non per se. Quam ob rem in quibus dicendi rationibus repugnantia est nulla, si pro nominibus definitiones adhibeantur, dicaturq; non ex accidenti, sed per se: in ijs omnibus, illud aliquid adiunctum etiam omnino vereq; dicetur. Nam non ens, quia opinabile est, nō vere aliquid esse dicitur: quippe cum non opinemur esse id, sed non esse.

In his quæritur theorema, quod ei contrarium est, quod proxime est declaratum. nam supra quæsitū est, quando quę separatim prędicantur, simul quoque possint prædicari: hic uero, quæritur, quando quæ coniuncta prædicantur, separata quoque prædicari queant. quod autem ait, [vere dicitur, & aliquis,] significat prædicationem coniunctam ex iis quæ simul prædicantur cum addit, & simpliciter, eam intelligit, quæ simplex est, & sine additione pronunciatur: quandoquidem additiones ubique arctant, magisque particularia reddunt ea, quæ declarantur ab iis, ad quę additiones ipsæ adiuntur: ut cum dicimus animal, ei addimus, particeps rationis, tum mortale, tum grammaticum, aliud denique, atq; aliud. planum enim est, angustius reddi quod significatur a quacunque additione. ideo ait, [Vere autem dicitur & aliquis, & simpliciter,] hoc est, de quo composita dicendi ratio fit, de eo uere dicitur prædicatū sine additione: ut dicimus Aristarchum non modo hominem grammaticum, sed etiam simpliciter, & absolute hominem, & absolute grammaticum: & Gallum non modo album hominē, sed etiam absolute album, & absolute hominem. quoniam autem id non semper ita est, quippe cum hominem mortuū

hoc totum, hominem mortuum dicimus, nec possumus sine additione hominem enunciare, quod hō sit animal particeps rationis mortale: animal autem, substantia animata sentiens: mortuus uero neque animatus sit, neque sentiens, sed cōtraria: & adulterinum denarium, ac lapideam nauim dicimus hoc totum enunciando, at denariū, uel nauim absolute non dices: patet, hic quoque distinctione quadam opus esse, qua doceamur, quando ea, quæ simul prædicata sint, separatim dici posṡint, quando non posṡint. hanc ergo regulam non ita accurate Aristoteles prius tradit: posterius uero diligentius eam persequitur. ac primum quidem, cum ait, quando in eo, quod simplici prædicationi additum est, oppositio quædā sit, quæ repugnet ei, cui facta sit additio, eaque siue appareat in ipsorū nominibus, ut cum eunuchū, hominem simul, & non hominem dicimus, & uespertilionem auim simul & non auim, & pumicem lapidem simul, & non lapidem, & iudicem principem & simul non principē: siue in ipsorum definitionibus deprehendatur, ut in homine & mortuo: tunc fieri nullo modo potest, ut quæ simul prædicata sint, separata quoque prædicentur: cum uero nulla eis insit mutua repugnantia, tunc fieri poterit: deinde nero prædictam regulam, nempe quando ea, quæ coniuncte prædicata sint, distingui non posṡint, recte esse expositam, & traditam affirmat, cū ait, [Aut certe si adsit tale aliquid, nō semper id uerum est.] distinctio enim post uerbum aliquid adhibenda est. id est, cū oppositio insit in eo quod priori prædicato adiectum est. (id enim, cum iam dictum sit, hoc etiam loco subaudiendum est) tum adiungendum est, quod ab illo est quasi consequens, non uerum semper esse, id est, ex necesṡitate non uerum esse, sed falsum, distingui dicendi rationem quæ coniuncta sit. Alteram uero, quæ ait nisi oppositio insit in ijs, quæ simul prędicata sint, fieri posse ut distiuguantur, non semper ueram esse confirmans, sed alterius cuiusdam distinctionis indigere, ostendit, cum statim reprehensionem subiungit: Homerum enim, totū hoc, poëtam esse dicimus, quia eius poema est, absolute uero ipsum esse, nō dicimus; quia uerbum est de Homero sine medio dictum, non intelligitur de Homeri poëmate, sed de Homero homine: sed hic Homerus non est: at si coniūctū sic efferas, Homerus poëta, & est de Homero dicatur, tum poeta pręcipue & primo & per se de ipso dicetur, per se inq̄ non per substantiam, sed secundum naturam: uerbum uero est, de poëta quidem per se, de Homero uero ex accidenti. itaque si quod per se prædicatum est, exemeris, nihil id recte exponetur, quod ex accidenti enuncietur. atqui nulla inueniri potest inter poëtam & uerbum est, repugnātia: neque sua ui & natura in nominibus, ut in uiro & non uiro: neque in eorum definitionibus, ut in homine mortuo. quibus quidem sit rebus, ut uere dictum sit nobis, non semper uerum esse, cum iis, quæ simul prædicantur, non insit repugnantia, posse etiam singula per se prædicari. quam ob rem Aristoteles repetito altius orationis principio regulas recēset, quæ ad hanc dicendi rationem pertinent. ait autem, cū in definitionibus nulla repugnantia sit inter ea, quæ simul prædicantur, & prædicata non ex accidenti, sed per se de subiecto dicantur, tunc omnino usu uenit, ut quod coniūcte sit prædicatum, etiam sine coniunctione enuncietur. Illud etiam perspicuum est, si quis uerbum est, in hoc Homerus poëta est, hoc est, simul prædicantur, acceptum putet pro ἦν id est fuit, ut ueteres sæpe ἦν pro est adhibere sunt soliti, ut τί ἦν, pro, quid est, & in definitionis natura explicanda dixit Aristoteles, τί ἦν εἶναι. hoc est, quid est natura rei, eum quoque uerbum est, de Homero dici per se, contra sententiam Aristotelis esse concessurum. Quod autē ad uerba attinet, qđ ait, [cū id, qđ adiunctū est, aliquid repugnans cōtinet, ex quo repugnātia cōsequatur,] non iō dictū est, qđ quædā cōtraria consequatur repugnātia, quædā non: sed pro eo quod est, ex quibus omnibus contradictoria inter se oppositio consequitur: ut quæ est omnium communissima, neutrum autem oppositorum est id ipsum, quod alterum est. Deinceps uero quasi reprehendens eorum sententiam, qui opinabantur, si uerbum est cum opinabili prædicetur de nō ente, ut cū dicimus, nō ens opinabile est, iā ēt per se de eo posse prædicari, & uere a nobis dictum iri, nō ens est, perinde ac fit in alijs, in quibus dicendi ratio coniuncta potest etiam separatim fieri, addit, [Nam non ens, quod opinabile est, nō uere aliquid esse dicitur:] cum causam adiungit, quare non uere dicatur, cum ait, [quippe cum non opinemur esse, sed non esse.] quoniam enim de eo quod non est, hoc ipsum opinamur, quod non est, certe patet, id merito a nobis opinabile appellari: non tamen ob eam causam esse illud confitebimur. Videtur autem inuehi in ea, quæ in Sophista, & in quinto Politiæ extremo Plato memorauit, ipsorumque non ens non esse opinabile dixit. Scire tamen conuenit, cum ille multos gradus non entis nobis tribuisset, & eius quod supra entia est, quod idem est, ac si dicas, supra omnem speciem, (neque enim aliter & formas omnes a materia separabiles & inseparabiles, & ipsam omnino informem materiam in postremis produxisset) & eius quod in uarietate spectatur, estque in omnibus rebus, ideoque non minus quam ipsum ens esse dicitur: & eius quod ortui obnoxium significat: ut tamen inferius sie quam id, quod & uere ens, & supra omnē mutationem locatum est: & eius, quod de materia prædicatur, propter omnium formarum delapsum ex ea dissimili ad primum similitudine, quæ in ore omnium uersatur: eumq; unam quādam ex non entis significationibus esse dicat, quę in postremis sit, quod de iis dicitur quæ nulla ex parte, & nullo modo sunt: id nec dici posse, nec opinabile esse nititur comprobare. nam quod dici potest, quodque opinabile est, id numerari potest, ut etiam prius dictum est nobis, & dictione aut opinione dicitur posse dici, aut opinabile esse. idq; ex ïis quæ ad aliquid referuntur propter relationem, quam ad dictionem, aut opinionem habet, esse perhibetur. itaq; quoniam eorum, quæ ad aliquid referuntur, si alterum sit, alterum quoque esse necesse est; dictio autem & opinio est, per quam affirmatur dici posse, aut opinabile esse, ergo ēt hac ratione, quod nullo mō ens est in ipsa erit de se dictione, atque opinione. Cum igitur Plato hæc enunciet, quæ redargui non possunt, & Aristoteles recte iudicans, ut par est, ne quidam, qui senteutiæ Platonicæ magnitudinem, grauitatemque non assequerentur, existimarent, quod nullo modo est, si dicatur opinabile esse, aut dici posse, ex eorum numero fieri quæ sunt: non eo modo, quo diximus, sed tanquam per se consistat, ideo ait, non uerum esse, si dicatur, ita fieri ens id, quod non est, quod opinabile esse dicitur: ut quod etiam sine relatione, qua ad nos affectum est, constet, atque cohæreat: quale censet esse id non ens, quod ex uarietate est: quodque in rebus omnibus, quæ sunt, dissipatum esse ait: neque est eo, quod ens uere nominatur. Hactenus Aristoteles præceptionem propositionum ex tertio apprædicato prouexit: multaque & ea quidem pulchra de eis præcepta nobis tribuit. atque etiam plerisq; uisus est, nullum in iis explicandis ordinem tenuisse. quam ob rē quidam hunc librum inter commentarios potius statuendum esse putauerunt. nos tamen in id studium præcipue incubuimus, ut in singulis capitibus explicandis omnia esse consequentia ostenderemus. sed iam ad propositiones modorum aggrediamur.

PARS QVARTA

DE ENVNCIATIONIBVS *Modorum.*

HIS autem expositis, nunc quemadmodum inter se affecta sint enunciationes, quæ de eo dicunt, quod posṡit fieri aut non posṡit, deq́ue eo quod euenit aut non euenit, de eo denique quod imposṡibile, quodq́ue necessarium est, disseramus. Quam enim uim habeant, magna quæstio est.

Cum ad perfectam contemplationem eorum, quæ sunt nobis in hoc libro proposita, restet adhuc propositionū, quibus modus additus est, pertractatio, eam hoc quarto libri capite Aristoteles persequitur. in quo hæc duo solum theoremata nos docet, quomodo negationes affirmationibus opponantur:

ponantur: & quomodo uariis affectæ modis propositiones sese consequantur. Nobis autem, si distinctam atque exquisitam earum, quæ modo traduntur, propositionum habere cognitionem uelimus, ac facilius quæ hic a philosopho scripta sunt, intelligere, antequam uerba interpretamur, dicẽdum est, quid sit modus, & utrum sit modorum numerus finitus, nobisq; cognitus, nec ne: quosq; & quot modos Aristoteles eligat ad harum propositionum præceptionem, & cur hos potius, quam alios: & quid inter eas, quæ materiæ nominantur, & modos intersit, cum illarum nominibus appellentur: & utrum ullus modus relictus sit, qui ad hanc tractationem esset assumendus: præterea quomodo in his propositionibus negationes ex affirmationibus fiant, quod primum ab Aristotele considerari diximus: denique quomodo harũ quoq; propositioonum numerum diuisione percipere ualeamus. Modus igitur est uox significans, quomodo prædicatũ subiecto insit, ut celeriter, uelut cum dicimus, Luna celeriter restituitur: uel recte, ut Socrates recte disserit: aut ualde, ut Plato Dionem ualde amat: aut semper, ut Sol semper mouetur. Modorum numerus non est natura quidẽ infinitus, sed tamen comprehendi a nobis non potest: sicut etiam neque subiectorum, neque prædicatorum uniuersalium, quæ tamen comprehendi numero non possunt. Aristoteles autẽ quatuor solos capit, quibus ad propositiones modorum declarandas utatur, ut necessarium, ut posibilem, ut contingentem, & præter hos, imposibilem: quos sumit, ut maxime uniuersales, & ad ipsam rerum naturam accommodatisimos. quid autem posibile differat a contingenti, & quod proprie posibile nominatur, nomine solum a contingenti differre, quod uero absolute posibile est, latius manare, quam quod proprie contingens appellatur, quoniã nos Aristoteles docebit, intelligemus. nunc uero perinde atq; idem ualeát, quid intersit inter modos & materias, quas etiã in necessariam, imposibilem & contingentem distinximus, uideamus. Dicendum ergo est, materias in ipsa natura rerũ in propositione sumptarum considerari. necesse enim omnino est prædicatum uel semper, uel nunquam, inesse subiecto, uel interdum inesse, interdum non inesse. quocirca eas uocari materias diximus: perinde ac sine eis ne cõstare quidem propositiones posint: modos uero in eo ipso, quod a nobis pronuncientur, & extrinsecus terminis propositiones complentibus adhibeantur, constare dicimus. ex quo fit, ut sæpe sit uera propositio in materia, sed propter modum, qui additus est, falsa sit. hæc enim propositio, Sol mouetur, uera est. cui uero additum sit contingenter, & dicatur, Sol cõtingenter mouetur, propter modum solum falsa est. ita etiã hanc, Socrates ualet, aut albus est, quæ uera interdum est, modus necessario additus falsam facit, cum dicimus, Socrates necessario ualet: aut necessario albus est. neque tamen existimandum est, solos modos materiis proprios & accommodatos propositionibus adiungi. nam ut de singulis subiectis quidquid cuiq; libeat, prædicari potest, fiuntque ueræ quædam propositiones, quædam falsæ, sic etiam propositioni, quæ modo caret, quem quisq; uelit modum poterit adiũgere: sed euenit, ut propositiones tum ueræ, tum falsæ efficiantur. Quæ cũ aperta sint, consequens est, ut an alius præter hos modus cognatus iis, & alio in loco ad propositionũ præceptionem ab Aristotele sumptus, in hac uero, in quam nunc incumbimus, sit omissus, nec ne, deinceps uideamus. pleriq; enim ex Aristotelis interpretibus censent hunc modum esse existentem, quem inesse uocant, quem ipse in analyticis ante necessarium, & contingentem connumerauit. at hi mihi uidentur omnino nec ueritatem, nec Aristotelis sententiam assecuti: nam inesse modus non est, sed cum propositiones ita diuisæ sint, ut uel modum habeant, uel non habeant: dico propositiones modo uacantes informari ab ipso inesse: nimirum in ea intuens, quæ supra de negationũ modo uacantium & affirmationum oppositione præcepta sunt, cum ait, Quando autem quod inest, negari potest non inesse: & quod abest, alicui dici potest abesse, &c. ubi docuit illarũ oppositiones ex uerbis inesse & non inesse effici: quod idem est, ac si dicas, esse & non esse: qua sane ratione contradictoria omniũ propositionum, quibus modus non adiũgitur, oppositio hoc loco fieri perspicue censetur: siue actu, siue potentia uerbum est, habeant: cum propositiones cum modo hoc genus oppositionis non admittant: sed ipsis modis inter se opponantur. ideo cum in hoc capite propositum Aristoteli sit, uobis propositiones modorum exponere, in primis quærendum esse existimauit, quomodo inter se contradictorio nomine opponantur: perinde ac nihil prius de modis dixerit, neque inesse aut non inesse quicquam commune cum modis habeant. quibus ex rebus id uideor esse consecutus, ut inesse, modus non sit: tum quia modum esse dicimus, qui quomodo prædicatum subiecto insit, significat. quomodo ergo consentaneum sit, ipsum inesse modum uocare, qui existẽdi qualitatem declaret? ad hoc accedit, quod & propositam propositionum tractationem, & eam quæ in analyticis de syllogismis instituta est, imperfectam esse confiteri cogemur: cum hic omnes uniuersales & rei accõmodatos modos non esse assumptos dicamus, & illic non esse rationem nobis commonstratam, quomodo ex omni propositionum genere, sed earum solum, quæ modum habent, syllogismi conficiantur: cum tamen ibi Aristoteles ex omnibus absolute diuisionem faciat his uerbis: Quoniam autẽ propositio omnis uel rem rei inesse, uel necessario inesse, uel contingere inesse declarat, &c. Id igitur cum ex iis, quæ dicta sunt, perspicue demonstratum puto, tum uero pluribus aliis argumentis concludi potest. Sed nec solum, ut cũ dicimus, animal solum sensibile est, aut solum ambulans, est modus, ut quidam aiunt: non enim subiecto cõiungeretur: sed potius distinctio est: non simplex tamen, hoc est aiens, aut negans: nec quæ subiecto cuiquam siue finito, siue infinito copulari potest: ut singulæ earum quatuor determinationũ, quæ ad propositionum tractationem adhibitæ sunt: sed quæ actu de uno, quod in propositione dicitur, potentia uero de aliis tam quæ sunt, quam quæ non sunt, enunciationem efficit. quare mixta est ex altera ex determinationibus aientibus, & ex sola uniuersali de negantibus. nam qui dicit, solum animal sensibile, aut ambulans est, nihil aliud significat, quam quod animali inest id, quod de eo prædicatum est: siue omni, ut sensibile; siue alicui, ut ambulans: ac nulli alij præterquam animali id inest. quam ob rem huiusmodi propositio non est proprie una: quippe pluribus subiectis perspicue utatur, ut animali, & non animali: idemq; affirmet de altero horum in uniuerso, uel in parte: de altero uero in uniuerso neget. ideoq; non necesse est, quod de prædicato uniuersali prædicatur, ut animatum, ut cum dicimus, omne sensibile, aut omne ambulans, animatum solum esse, iterum de eo subiecto, quod in prima propositione sumptum sit, prædicari. ipsum enim de animali in primo aut tertio primę figuræ modo prædicari necesse est: non tamen etiam de solo: siquidem non iam necesse est, ut de iis, quæ præter animal sunt, quasi minor propositio negans sit facta, negetur. Ergo solum proprie sumptum, id est, ut nomen, in quocũq; ex tribus generibus dicatur, non erit modus, sed, ut dictum est, determinatio: & subiecto coniungitur, eiusq; a cæteris omnibus, quæ præter ipsum sunt, distinctionem declarat. quamuis enim quandoq; cum prædicato dictum uideatur, ut in hac, Socrates solam uestem attritam induit, id erit simile simplicibus determinationibus, ut omnis homo est ad omnẽ scientiam natus. si uero pro aduerbio sumatur, ut idem significet, quod tantummodo, tunc modus erit, nõ subiecto, sed prædicato coniũctus: significatq; subiectum esse eius sincere & non cum opposito, particeps. quare Deum esse immortalem solummodo dicimus: animam uero rationis participem, & corpus quod in orbem mouetur & immortalia & non immortalia esse perhibemus: quorum alterum ratione substantiæ, alterum eis propter actionem attribuimus: uel ambo etiam propter substantiam, sed alia atque alia immortalis significatione. nam & Timæus homonymam cum immortalibus nostri substantiam rationis participem appellat, corpora tamen cœlestia non omnino immortalia. uerum ne tum quidem, solum, aut solummodo, quod pro eo capitur, plus quidquam habebit, quam multi, atq; innumerabiles modi, ut recte, & sapienter, ut hoc loco ad propositã præceptionem propositionum assumatur. quomodo autem ex propositis affirmationibus negationes fiant, ea sequentes, quæ de ijs Aristoteles memorauit, latius exponemus;

nunc

nunc uero inueniendi numeri causa earum propositionum, quæ modú habent, paucis admonentes dicimus, in iis quoq; negantem particulam præstantissimæ propositionum parti adiungendá esse, ut affirmatione sublata fiat negatio. præstantissima autem pars harum propositionum est modus ipse, a quo nomen trahút, perinde ac ipsas informet: ut huius, Socratem ambulare possibile est: erit negatio non hæc, Socratem non ambulare possibile est, siquidem hæ repugnátia simul uera erit: quia possibile & euenire, & non euenire contingit: sed hæc, Socratem ambulare nó possibile est. & huius, Socratem musicum esse, possibile est; non hæc, Socratem non musicum, neque hæc, Socratem musicum non esse possibile est, sed hæc, Socratem musicum esse non possibile est. id quod merito fit: quoniam enim possibile modus est, modus uero qualitatem quandam essentiæ significat, certe oportet, ut essentia eadem remanente, quæ in terminis subiectis, & prædicatis, & apprædicatis spectatur, sit ne, an non sit qualitas iudicari: fieriq; ab ea, si ponendo proferatur, affirmationem, si negando, negationem. eadé ratio est aliorum modorum, ut necessarij, & impossibilis. una enim eadéq; oppositionis regula sit oportet omniú earú propositionum, quæ sunt eiusdem generis. Cum autem hęc ita se habeant, necesse esse affirmamus, unumquenq; modú propositionibus uel quæ ex subiecto & prædicato, uel quæ ex tertio apprædicato constant copulari. sed earum quæ ex subiecto & prædicato fiunt, quatuor esse differentias necessitas cogit. ná uel ambos terminos finitos habebunt, ut Socratem ambulare possibile est: uel ambos infinitos, ut non Socratem non ambulare possibile est. uel subiectum finitú, & infinitum prædicatum, ut Socratem non ambulare possibile est: uel contra, ut nó Socratem ambulare possibile est. earum uero quæ ex tertio apprædicato, octo erunt: ná uel ambos terminos & apprędicatum finitos capiemus, uel omnes infinitos: aut duos quidem finitos, & alium infinitum; uel contra, unum finitum, & duos infinitos. sed si duo finiti sint, & unus infinitus, propositiones tribus modis coniungentur. nam uel primos duos terminos finitos sumemus, hoc est subiectum, & prædicatum, uel extremos, ut subiectú & tertium apprædicatum, uel duos postremos, ut prædicatum & apprædicatum: si uero unum solú finitum capiamus, tres quoq; propositiones fieri continget, uel cum subiectus finitus sit, uel cum prædicatus, uel cum tertius apprædicatus: atque octo propositionum exempla perspicua sunt. In singulis igitur, ut diximus, duodecim modis singulares fieri contradictiones contingit: ac totidem indeterminatas: pręterea uero & uniuersales, & particulares: omnesque simul esse duas de quinquaginta. has autem ex prædicatorum in tribus temporibus differentia triplicantes, & item triplicátes eas, quæ ex materiis fiunt, in unoquoq; modo quadringentas triginta duas contradictiones fieri comperiemus: cú uero præcipui modi sint tres, quia possibile uel cú solo contingenti concurrit, uel usq; ad necessarium extenditur, non tamen extra tres assumptos modos excidit: usu uenit, ut omnes contradictiones modorum numero sint mille ducentæ nonaginta sex. prius autem iam ostendimus eas, quæ ex subiecto & prædicato constant, esse duas & septuaginta: quę uero ex tertio apprædicato oriuntur, centum quadraginta quatuor. ergo omnes, quæ in libro de interpretatione, cótradictiones tradútur, erunt mille quingentæ ac duodecim: propositiones uero altero tanto, quam hæ, maiores: ergo tria millia propositionum & uiginti quatuor erunt. Cum igitur omnia ea, quæ proposueramus, simus persecuti, ipsam deinceps Aristotelis dictionem consideremus.

Si enim ex ijs quæ illis continentur eæ inter se contradicunt quæ ex uerbis est, & non est, constant. uelut si huius, Est homo, negatio est, Non est homo: non illa, Est non homo. Et si huius, Est homo albus, hæc, Non est homo albus: non illa, Est homo non albus. (Nam si de omni re uel quod ait uel quod negat dicitur, certe uerum est, lignú hominem non album esse. Quod si ita est, in omnibus ijs etiam in quibus est uerbum non adiungitur, quod pro illo est dictum erit, idem ualebit, ut huius effati, Homo ambulat, non hæc, Ambulat non homo, sed illa, Non ambulat homo, futura negatio est. quoniam utrum hominem dicamus ambulare, an ambulantem esse, nihil interest) si inquam ita se res habeat in omnibus: profecto huius, Fieri potest, non hæc, Potest non fieri: sed illa, Non potest fieri, negatio sit, necesse est. Atqui res & fieri & non fieri eadem potest. Quicquid enim diuidi & ambulare potest, id & non diuidi potest, & non ambulare. Cuius ratio est, quod non semper id omne re ipsa est, quod hoc pacto fieri potest. Ita ei etiam conueniet negatio. Nam potest non ambulare quod uim ad ambulandum habet: & non cerni, quod sub aspectum cadit. At fieri non potest, in eodem uere enunciationes contradicētes dicantur. Non igitur huius pronunciati, potest fieri, illa, potest non fieri, contradicens est: præsertim cum ex his efficiatur, ut aut idem de eodem dicamus simul & negemus, aut certe ut non ex uerbis Est & Non est, quæ adiunguntur, affirmationes nascantur & negationes. Quod si fieri non potest, hoc profecto sequendum est. Ergo huius enunciationis, Potest fieri, negatio est, non hæc, potest non fieri, sed illa, non potest fieri. Eadem ratio est eius quod contingit. etenim eius negatio est illud, Non contingit. Quod idem fit in cæteris, cuiusmodi sunt, potest non fieri, necessarium fieri. Vt enim in illis est & non est uerba additamenta sunt, illa autem albus & homo subiecta: sic in his est & non est pro subiectis habentur: hæc autem, potest, & contingit, accessiones sunt, quæ quidem ita quid uerum sit quidue falsum, ut in illis est & non est, definiunt. Huius autem, potest non fieri, negatio nó est quæ sequitur, Nó potest fieri, sed hæc, Non potest non fieri. Et huius, potest fieri, non illud, potest non fieri, sed hoc, non potest fieri. Quocirca quod fieri potest, & quod potest non fieri, alterum alteri consequitur, quod idem & fieri & non fieri potest. Non enim pugnant secum & contradicunt, Quod fieri potest, & quod potest non fieri: sed, quod fieri potest, & quod fieri non potest: quoniam dissident a sese & contradicunt, nunquam in eodem uere dicútur. Eodemque modo de his, quod potest non fieri, & quod non potest non fieri, iudicandum. Similiterque huius, Necessarium est, negatio est non illud, Necessarium non est, sed illud, Non necessarium est. Huius autem, Necessariú non est, illud, Non est non necessarium. Itemq; huius, Impossibile est fieri, non illud, impossibile est nó fieri, sed illud, Nó impossibile est fieri. Huius uero, Impossibile est nó fieri, illud, Non impossibile est non fieri. In summa, Est et nó est poni ut dixi, modo subiecti debent, hæc autem quæ negationem & affirmationem efficiunt, ad illa ipsa uerba est & non est addenda sunt. Atque eæ demum contradicentes existimandæ sunt enunciationes, in quibus potest & non potest, contingit & non contingit, impossibile est, & non impossibile est, necessarium & non necessarium, uerum & non uerum collocantur.

Quemadmodum ex affirmationibus modorum negationes fiant, his uerbis declarare uult, ut diximus: ac quod quispiam de eis probabile esse forte censuerit, id minime uerú est: in his inquam propositionibus pariter negationes fieri, ac factę sunt in ijs, quę modo uacant. ideo ipse id anticipans reprehendit prius, quam quomodo uerę fiant, exponat. in affirmationibus enim sine modo, & quæ sine determinatione nominantur negationes factę sunt, cum particula negans iuncta esset uerbo est, quod uel actu, uel omnino potentia in propositionibus sumptum esset. id auté in propositionibus modorum non habere locum declarat: conaturq; multis rationibus ostendere, id esse re uera probabile: ne aliqui, auditis hisce rationibus, eas esse ueras putent, & eodem modo in his propositionibus, quo in illis, fieri contradictiones arbitrentur. itaq; ait, [si.n.ex ijs quę illis continentur,] id est

nocibus

uocibus & propositionibus eæ inter se contradicunt, quæ ex uerbis est, & non est, constant. id quod propter breuitatem dixit non plene & cumulate, cum tamen dicere uellet, nam si ex iis, quæ ex uocibus & propositionibus inter se iunctis, & connexis fiunt, eæ pugnant inter se ad contradictiones efficiendas, quæ ex uerbis esse & non esse oppositionem nanciscuntur: uel potius ita, ne tam multa extrinsecus subaudire cogamur: si ex connexis, hoc est ex iis propositionibus quę ad faciendas cōtradictiones cōiunguntur, eæ opponuntur inter se, quæ ex uerbis esse, & non esse distinguuntur. ac prius quam id quod consequitur adiungit, id est, idē fieri in propositionibus, quibus modus adiunctus est, adiunctis statim propositionum modo uacantium exemplis, ac prius earum, in quibus uerbum est, actu inest, deinde earum in quibus potestate intelligitur, atque inter eas, quæ actu uerbum est, habent, præposita ea quæ ex subiecto & prædicato constat, ei quæ ex tertio apprædicato fit, ostendit in omnibus non alia ratione fieri negationem, nisi uerbo est particula negans adiungatur. atque in ijs, quæ cum tertio apprędicato fiunt, coarguit eorum sententiam, qui putant, negationem fieri, cum negatio non ad uerbum est, sed ad prædicatum adiungitur. ita ut huius, homo albus est, hæc esse negatio dicatur, homo non albus est. nam si concedamus inquit, axioma contradictionis, fateamurque de quacunque re, quam quis capiat, affirmationem, aut negationem ueram esse oportere, oportebit etiam, harum propositionū, homo albus est, homo non albus est, si in ligno capiantur, alterutram ueram esse: siquidem contradictorio nomine opponuntur: nec simul unquam falsę esse possunt. quocirca cum perspicue falsa sit affirmatio, qua dicitur, lignum hominem esse album, necesse est ueram esse negationem, qua lignum hominem esse non album dicitur. si uero hoc plane absurdum est, certe patet, huius, homo albus est, negationem fore hanc, homo albus non est, quæ uerbo est negantē particulam addit. Idem in propositionibus intelligi iis, quę potentia uerbum est, habent, declarat, ut in hac, homo ambulat: ut uerbum ambulat in suum participium & est resoluamus, nobisq; integrum sit ratiocinari, ut si in resoluta propositione, & est actu habente particulam negantem uerbo est adiungentes negationem facimus, sic in ea quæ potestate ipsum habeat, negans particula ei propositionis parti addenda sit, quæ ipsum uerbum est contineat. quæ cum in omnibus propositionibus modo carentibus ita esse docuisset, subiunxit, [Si inquā ita se res habeat in omnibus, profecto huius, fieri potest, non hæc, potest non fieri, sed illa, nō potest fieri, negatio sit.] perspicue autem ex similitudine qua ad alias propositiones affectæ sunt, censet concludi, etiā in iis, quæ modum habēt, fieri negationem, si negatio uerbo est, & non modo, copuletur. tum reprehendit eos, qui ita putant, aperiendo differentiam propositionum quæ modum habent, quæque modo uacant. ea autem est, ut quæ in uerbis est, & non est inter se pugnant, ex determinationibus, quæ prius sunt expositæ, non possint simul ueræ esse, uel simul falsæ inter se: in iis uero, quæ modum habent, in possibili & contingenti ita opponuntur, non mutuo contradicentes, sed simul ueræ deprehenduntur, quæ uero modis anteponunt negantem particulam, eæ contradictionis effatum seruant: ut neque unquam simul ueræ, neque unquam simul falsæ sint. Causam uero, cur propositiones in possibili & contingenti in uerbis esse & non esse, simul ueræ sint, a rebus ipsis sumptam affert: quam rationem ipse nominat, ut etiam Plato in Gorgia uocat: Ego autem inquit, artem non uoco eam rem, quæ ratione uacet. Dico autē inquit, id omne quod ita fieri potest, hoc est, qđ nō in necessario intelligitur, quod in sequentibus dicetur, sed in solo contingenti, non semper agit, neque est semper, iam enim non esset contingens: sed uim habet, ut simul fit, & nō fit, & ut fiat, atque non fiat, quemadmodum prius quoque determinatum est. quo circa enunciationes, quæ de iis dicuntur, ambæ uerę erunt, & quæ esse posse, & quæ non esse ait: itemque qua dicitur posse fieri, & qua, posse non fieri. quare censet cauēdas esse huiusmodi oppositiones, utpote quæ repugnantiam non efficiant. ea re fit, ut in omnibus propositionibus modorum, si ante modum negans particula statuatur, dicat effici negationes: ut nos arte progredientes & in omnibus una atque eadem regula utentes, & negationes & contradictiones sumamus: quandoquidem ea reprehensio quæ de possibili allata est, quod ex uerbis esse & non esse contradictiones non fiant, non uidetur etiam in modo necessario & in impossibili locum habere: siquidem cum hac, necesse est esse, non iam uera erit hæc, necesse est non esse, uel cū hac, impossibile eē, hæc, impossibile non esse. sed utroque modo licet ratiocinari, has sibi nō mutuo contradicere, siquidem in contingentibus ambæ falsæ esse deprehenduntur. neque enim necesse est esse, neque etiam necesse non esse id, quod potest esse, & non esse: neque etiā ipossibile esse, & impossibile non esse. quam ob rem in his quoque ex modis affirmationes & negationes faciēdę sunt. Scire tamen conuenit, cum in propositionibus modorum solum infinitum uerbum esse statuatur, negationem in modo solo, fieri sine dubio: ueruntamen ea propositio nō perfecta est: propterea quod ad orationem enunciantem perfectam uerbo opus est, quod in indicatiuo modo, ut grammatici uocant, sit pronunciatum. ideo uel uerbo est indigebimus, quod actu dicatur, si ut in tertia quadam persona fiat enunciatio: uel alio quodam, quod potestate uerbū ipsum est cōtineat. sed hoc generatim de omnibus perfectis enūciationibus. in iis uero quæ cum modo efferuntur, solum eius uerbi est, usus adhibetur: quod uel actu sit pronunciatum, uel foris in propositione subaudiatur. nam uel dicimus, Socratem ambulare possibile est, & Socratem musicū esse possibile est, & uerbum est actu proferimus: uel sine uerbo est propositiones proferimus hoc modo, Socratem ambulare possibile: Socratem musicum esse possibile: & in utraq; subaudiendum esse uerbum est iudicamus. Igitur cum non sit in propositionibus modorum actu uerbum est, negās particula modo addita sine dubio negationem faciet: non autē uerbo infinito esse adiuncta: nec multo magis etiā subiecto, aut prædicato termino. cum uero etiam actu est in propositionibus pronunciemus, non magis modo, quam uerbo negantem particulam addentes negationem faciemus. huius enim affirmationis, cras naualem pugnam fieri possibile est, non magis dixeris negationem esse hanc, cras naualem pugnam fieri non possibile est, quam hanc, cras naualem pugnam fieri possibile non est: siquidem hæc, licet uerbo est, iunctam negationem habeat, nunquam cum prædicta affirmatione idem dicet. num igitur dicendum est, una uia ac ratione in omnibus propositionibus tam quę modum habēt, quam modo uacantibus negantem particulam uerbo est addendo fieri negationem. & quemadmodum eueniebat in iis affirmationibus, quæ sine modo cum determinatione pronunciantur, uerbo est in eis actu posito, duobus modis fieri negationes, partim cum determinationi, partim cum uerbo est uel actu, uel potentia dicto negans particula addita esset: si uero propositiones omnino sine uerbo est efferātur, ex solis determinationibus negationes fieri, ut in his, omnis homo animal: non omnis homo animal: sic etiā in propositionibus modorum, quæ re ipsa uerbum est habent, duobus fieri modis negationes affirmandum nobis sit: ut interdum modo, interdum uerbo est, negantem partem adhibeamus: quæ uero non habent, modo solum addenda sit, ut etiā Aristoteles nos docuit? An ne in propositionibus quidem determinatis modo uacantibus, eas negationes, quę ex uerbo est, fiunt, contradicentes esse affirmationum dicebamus: sed in uniuersalibus fieri contrariam: in particularibus uero subcontrariam: neque si hoc ita se in propositionibus modo uacantibus habebat, iam etiam in illis, quæ modum habent, duobus, ut dictum est, modis negationes fieri necesse est. omnino autem in ui & potestate nulla differentia est inter hanc affirmationem, Socratem ambulare possibile, & hanc, Socratem ambulare possibile est: uel inter hanc, Socratem musicum esse possibile, & hanc, Socratem musicum esse possibile est. simili quoq; modo hæc negatio, Socratem ambulare non possibile, nihil differt ab hac, Socratem ambulare possibile non est: neque hæc, Socratem musicum esse non possibile, ab hac, Socratem musicū esse possibile non est: propterea quod si hoc uerbum possibile, per se ipsum proferamus, nihil aliud nos dicere arbitramur,

quam poſsibile eſt : eaq; omnino non ut duo, & differentia proferimus, ſed tanquam unum quiddã totum, poſsibile eſt, dicimus, id ipſum pronuncianres, ſubeſſe in ijs rebus, quæ propoſitione explicantur, talem conſiſtendi modũ. idcirco fit, ut nõ poſsibile, nihil aliud ſit, quã poſsibile nõ eſt. quã ob rem nihil habemus, quod ijs, quę Ariſtoteles expoſuit, addere poſſe uideamur. eadem ratio eſt earum propoſitionum, quæ uerbum eſt, actu habent : huius enim affirmationis Socrates recte ambulat, quæ uerbum indicatiuũ habet, in quo non eſſe, ſed eſt, continetur, non magis dices negationẽ eſſe hanc, Socrates non recte ambulat, quam hanc, Socrates nõ ambulat recte. ſi uero non ambulante Socrate omnino, falſum dicat is, qui eum recte ambulare enunciet, utrum tum modo addentes negantem particulam, an uero prædicato negationem faciemus ? an dicendum eſt, eam modo ſemper adiungi : non ſemper tamen eodem ſenſu. ut enim affirmatio duobus modis falſa eſſe poteſt, ſi prorſus non ambulat Socrares, & item ſi ambulet quidem, ſed non recte, ita etiam in negatione hac, Socrates non recte ambulat, ſe res habebit. Siquis uero de affirmationibus modorũ determinatis quærat, quo pacto in eis facienda negatio ſit, an determinationi, an uero modo addenda particula negans ſit, ſiquidem Ariſtoteles omnem de eis tractationem, ut de indeterminatis confecit : facile erit occurrere : in eis quoque nulli parti, niſi modo ipſi coniungi eam oportere. debent enim propoſitiones, & non termini priuantes eſſe. quod niſi fit, iterũ uſus ueniet, ut in poſsibili, quod proprie dictum ſit, & in cõtingenti contradictio ſimul uera efficiatur : ubi contrarias quoque in eo contingenti, quod æquale eſt, concurrere accidit. quod enim contingit omni, id prorſus & non omni in omni contingentis ſignificatione cõtingit, propterea quod non iam omni contingenter inerit. interdum uero etiã nulli. eſt etiam perſpicuum hæc non fore diſſona ab iis, quæ in principio dicta ſunt, pugnare ſemper in materia contingenti has, omnis & nullus, cum his aliquis & non omnis, etiam ſi in futuro tempore capiantur. illic enim cum propoſitiones ut exiſtentes cõſideraremus, hæc de eis ſtatuimus. illud etiam, omnis & nullus in materia cõtingenti ſimul mentiri: ſiquidem neceſſe eſt ambas ita uniuerſales in hac falſas eſſe, utpote quæ enunciant ipſum contingens, quod ineſſe quibuſdam, & quibuſdam non ineſſe aptum eſt, omni uel nulli ſine dubio compeiturum : non ſecus, quam fit in prædictionibus ijs, quæ ſunt de ijs quæ neceſſario eueniunt, aut non eueniunt : in quibus uerbum fore, uel non fore uſurpare cõſueuimus : cui ſane locus nullus relictus eſt in contingenti, neque eo, quod latius manat, neque eo, quod minus ſerpit, cum dicamus, omnis homo in ſenectute caneſcet: nullus ſedigitus erit : particulares uero fore ambas ueras. quocirca uſus fert, ut contra uniuerſales merito pugnet. nunc uero de propoſitionibus, quę cum modo contingenti fiunt, ſermo eſt. & in uniuerſo aſſeueramus fore, ut in indiuiduis uel omnibus, uel nulli prædicatum inſit, ſiquidem ne in parte quidẽ cuiquam inerit : ſed uerum quoque dicimus, non uniuerſale natura capiendo (neq; enim poteſt hoc totum aut particeps eſſe, aut priuari ullo eorum, quæ de ipſo contingenter prædicantur) ſed quod adiunctis quibuſdã diſtinctionibus eo adductum eſt, ut etiam uniuerſale fiat capax accidentis, ut cum dicimus, contingit, ut omnes hoc tempore futuri Athenienſes in ſenectute caneſcant : ſed & non omnes : & contingit neminem ſedigitum fore : ſed tamen poteſt aliquis. &, contingit hoc anno, in hac regione, nullo canicularium dierum fore pluuiam : & tamen in aliquo poterit. toto etiã fortaſſe hiberno tempore aut hoc menſe non fore imbrem : uerum poteſt & non in omni. quocirca cum dicimus, uniuerſales ſemper contradicere particularibus in ijs propoſitionibus, in quibus prædicatum uel iam ineſt ſubiecto, uel infuit, uel omnino inerit, ita enunciamus, ut nobis tradidit Ariſtoteles in fine primæ ſectionis huius libri, cum uim cõtradictionis deſcriberet. Si uero quiſpiam quærat, utrum hęc, cõtingit nullum hominem iuſtum eſſe, affirmatio, an negatio appellanda ſit, certe affirmationem eſſe plane reſpondebimus: propterea quod modus ſine negatione pronunciatus eſt: atq; ad huiuſce rei probationem, teſtem ipſum Ariſtotelem producemus, qui has propoſitiones, contingit nulli, uel non omni, & neceſſe eſt nulli, uel non omni in analyticis, negationes quidẽ uocat propter eam cauſam, quam exponemus: ſed tamen eas illic non eſſe re uera negationes, ſed affirmationes docet. ait autem, Nunc hoc nobis tantum ſit perſpicuum, præter ea, quæ dicta ſunt, contingere ut nulli, aut ut alicui non conueniat, in ijs eſſe propoſitionibus, quæ aientem figuram habent. ut negans particula nõ, copuletur alicui, & non uerbo conuenit, cum dicitur, ut alicui non, conueniat : ut propoſitio idem ſignificet, quod hæc, non omni conueniat. cuius rei cauſam ſtatim adiunxit. Contingit enim inquit, eodem in loco, in quo eſt, habetur : & cætera, quæ ſequuntur. at in hoc libro cum eſſet ei propoſitum oppoſitiones propoſitionum, earumq; differentias omnis generis tradere, iure nobis præcipuum negationum modum expoſuit. at in analyticis cum docere nos uellet, quo modo ſyllogiſmi fiant, omnes propoſitiones aſſumit, de quibus, & ex quibus ſyllogiſmi in aiente figura, ut ipſe nominat, conficiuntur. cauſa eſt, quia in ſyllogiſmis finitum quid uolumus concludere. finitũ uero ex finitis efficitur propoſitionibus: affirmationes uero potius, quam negationes finitæ eſſe uidentur : ut quæ formis proportione reſpondeant. itaque in eis facilius hac de cauſa propoſitionũ coniugationes ad ſyllogiſmos accommodatas, & non aptas aſſequimur. earum uero alias affirmationes, negationes alias uocat : idque non ſolum propter determinationes, a quibus talis earum conficitur differentia, ſed etiam, quia contingit, ut quæ illic ut negationes ſumptæ ſunt, idem quod aliquę re uera negationes ualeant : idem inquam, quod illæ, quę modum ſimul, & aientem determinationẽ tollunt, ut ſint, quod philoſophus Iamblichus de eis dicit, uoce quidẽ aientes, poteſtate uero negantes. quoniam enim propoſitionum oppoſitiones uel ex modis, uel ex quantitate, uel ex qualitate capiuntur, atque in modis opponuntur neceſſariæ cõtingentibus, propterea quod illæ rem de qua enunciant, ſemper eodem modo eſſe ſignificant : hæ uero modo eſſe, modo non eſſe : & propoſitiones impoſsibilis cum ijs neceſſarij numerentur, cum Ariſtotelem idem eas ualere dicentem ſimus audituri : in quantitate uero uniuerſales particularibus : in qualitate aientes negantibus opponantur : certe in contingenti & neceſſario ſi modum modo, quantitatem quantitati, & qualitatẽ qualitati opponamus, ſumamuſq; oppoſitam affirmationi, quæ tanquam negatio accepta eſt, ut huic, contingit nulli, hanc, neceſſe alicui : huiuſq; negationem, quæ proprie, hoc eſt in modo ſit, ſumpſerimus, ut hanc, nõ neceſſe alicui, hanc profecto idẽ ualere quod ualeat ea, quæ uelut negatio in prioribus ſumpta eſt, comperiemus. quod enim non neceſſe eſt alicui, id contingit nulli, & contra. eadem ratio eſt aliarum propoſitionum, quæ cum his modis fiunt, nec ſolum determinatarum, ſed etiam determinatione uacantiũ : ſi quis ex his quoque putat eodem ſenſu, quo in determinatis, negationes uocandas eſſe, quæ particulam negantem uerbo eſſe copulant. huic enim, contingit non eſſe, contradicit hæc, neceſſe eſt eſſe, & in modo, & in qualitate, concurrit uero cum ea hæc, non neceſſe eſt eſſe, quæ proprie negatio eſt. huic autem, neceſſe eſt non eſſe, contradicit hæc, contingit eſſe, concurrit hæc, non contingit eſſe. quærere autem, an hoc modo concurrentes inter ſe propoſitiones quandam habeant inter ſe differentiam, non eſt huius loci, ac temporis: ſed ad tractationem pertinet eam, quæ in primo analyticorum de mixtionibus eſt inſtituta. nam neque breuis eſt ea oratio, neque ei aſſentiuntur qui diligentius rem intuentur, quæ diſtinguere illas conatur ; utpote quæ a falſa hypotheſi progrediatur, quæ in omni pariter cõtingente uniuerſalem affirmationem cum uniuerſali negatione reciprocari putat: neq; in hoc ipſo plus habeat in contingenti quod æquale dicitur, quam in eo, quod plerunq; nominatur : immo uero fateri cogat, quemadmodum cõtingit omnes homines quinq; digitis naſci, ita etiã neminem. in eo uero quod ineſt, quia huic nulla propoſitionum ſpecies oppoſita eſt, eam quæ in quantitate, qualitateq; opponitur, ut huic, ineſt nulli, hanc ineſt alicui, ſumentes, certe huius negationem, quæ eſt, non ineſt alicui, idem ualere, quod hanc, ineſt nulli, cõperiemus. quibus quidem fit, ut neutra ſit imperfecta tractatio : quod ſuſpicaretur forte quiſpiam, cum in neutro opere eas quæ

tanquã

tanquam negationes in altero acceptæ sunt, tradi conspiceret. uerum in utroq; libro Aristoteles aptum & propriũ docendi genus seruauit. quod si propositio, qua dicitur, hominem οὐδένα. i. nullũ esse pennigerũ contingit, proprie negatio esse uideatur, haud mirabile est: siquidẽ hic quoq; negans particula ad uerbũ οὐδένα subauditur, ut pote quæ ei iuncta sit: qua etiam negationem proprie facit. nam si pro οὐδένα, dixeris μηδένα, quod nullum, aut neminem significat, ut dicas, μηδένα hominem grammaticum esse contingit, non iam negationem, sed affirmationem trãspositionis plane & aperte fecisse uideberis: quia aduerbium negandi μὴ nõ est aptum suapte natura, ut modo præponatur, sicut οὐ, in propositionibus. non enim, ut Græci dicũt, οὐκ ἐνδέχεται, hoc est non contingit, ita possunt dicere, μὴ ἐνδέχεται, quod idem significaret. Sed reuertamur ad ea explicanda, quæ Aristoteles deinceps addit: dicamusq; eũ uelle proportionem quãdam geometricam a nobis sumi in propositionibus quæ modos habent, quæq; eis uacant: cum ait, quem ordinem habent subiectæ, & prædicatæ res in propositionibus modo uacantibus ad uerba esse, & non esse; eundem in propositionibus modorum hæc esse & non esse, ad modos habere. & quemadmodum in iis, quæ modi expertes sunt, negãtem particulam oportebat neque subiecto, neque prædicato addere ad negationem efficiendam, sed soli uerbo esse, eodem etiam pacto in his faciendum esse, ut non uerbo esse, sed modo copuletur, ut fiat negatio. igitur hæc propositio Socratem iustum non esse possibile, non erit negatio, sed proportione respondebit infinitis, aut transpositionis affirmationibus: eiusq; negatio erit per methodum antedictam hæc, Socratem iustum non esse non possibile. has autem etiam ex transpositione inter propositiones modorũ appellant: simplices uero, in quibus uerbum esse sine negatione sumptum sit: ut Socratem iustum esse, non possibile est. Veruntamen Aristoteles in his quoq; breuitatis studiosus simplicem affirmationem significat his solum uerbis, possibile esse, quæ uero ex transpositione est, his, possibile non esse. nobisq; permittit, ut quas uelimus res & subiectas & prædicatas adhibeamus. hanc autem contradictionum differentiam, simplicis inquam, & eius, quæ transpositionis est, in aliis quoq; modis, ut contingenti, necessario, & impossibili spectari iubet: eaq; quæ de eis dicit, perspicua sunt: nisi quod hæc uerba, hæc autem inquit, quæ negationem & affirmationem efficiunt, de modis dicta sunt. Sunt enim hi sumendi inquit, uel affirmando, & sine particula negante, ut possibile, ut necessarium, uel negando & cum negationis particula, ut non possibile, non necessarium, & ad uerba est, & non est, addendi, & coniungendi. ac planum est, eos aientes sumptos, si ad uerbum esse addantur, simplices affirmationes esse facturos: ad uerbum uero non esse, eas transpositionis: negantes uero uerbo esse copulatos, simplices negationes: uerbo uero non esse, ex transpositione. Id autem animaduertendum est, postquam enumerauit eas oppositiones, quæ ex his modis constant, addidisse uerum & nõ uerum, ut nobis declararet, alios innumeros modos, præter quatuor de quibus dixit, hoc est præter possibilem, contingentem, necessarium, & impossibilem, inueniri. sed his ad propositionum præceptionem cõtentus est ea de causa, quam ante exposuimus.

Atque consequentia quæ hinc nascũtur, disponenda sunt hoc modo. Ei enim quod fieri potest, illud quod contingit ut sit, consequitur, retroq; id commeat uicissim. Hæc etiam consequuntur, quod non impossibile est fieri, & quod non necesse est fieri. Ex eo uero quod potest non fieri, & quod accidit ut non fiat, id quod non necesse est non fieri, & quod non impossibile est non fieri, consequentia sunt. Ex eo etiã quod fieri nõ potest ut sit, & quod nõ accidit ut sit, id quod necesse est non esse, & quod impossibile est esse sequitur. Consequentia etiam sunt & id quod necesse est esse, & quod impossibile est non esse, ex eo quod non potest non esse, & quod non accidit ut non sit. Id quod ex hac descriptione intelligi potest:

Fieri potest ut sit	*Quod fieri non potest*
Accidit ut sit	*Quod non accidit ut sit*
Non impossibile esse	*Quod impossibile*
Non necessarium esse.	*Quod necesse est non esse.*

Fieri potest ut non sit	*Quod non potest fieri quin sit*
Accidit ut non sit	*Quod non accidit ut non sit*
Non impossibile non esse	*Quod impossibile est quin sit*
Non necessarium non esse	*Quod necesse est esse.*

Quod igitur impossibile est ut sit, & quod non impossibile est esse, ex repugnantibus & contradicentibus eius quod accidit ut sit, & quod fieri potest ut sit, & quod non accidit ut sit, & quod non potest fieri ut non sit, ita consequentia sunt, ut retro etiam uicissim commeent. Ex eo enim quod potest fieri eius quod impossibile est consequens est negatio hæc, Non impossibile est esse. Ex eo autem quod negat, id, quod ait, quoniam ex eo quod non potest fieri ut sit, id quod impossibile est esse efficitur. hoc enim totum, impossibile est esse, affirmatio est: illud negatio, Non impossibile est esse. Quam autem uim habeat id quod necesse est esse, uideamus. Atque illud quidem perspicuum est in his non ita esse ut illis, contrariasq; hic consequi: repugnãtes autem quæ eædem contradicentes dicuntur, separatim. Neq; enim huius, Necesse est non esse, illa, Non necesse est esse, negatio est, quandoquidem utraque de eodem uera esse potest. Quod enim necesse est non esse, id esse non necesse est.

Verba fieri hoc loco de consequentia propositionũ, quibus adiunctus est modus, perspicuum est. cum autem quatuor modi sint, possibilis, & contingens, de quorum conuenientia & differentia in sequentibus disseret, & duo præterea, hoc est necessarius, & impossibilis, & in singulis modis propositiones spectentur, duæ simplices, ac duæ ex trãspositione, quatuor possibilis modi propositionibus ordine congruo in descriptione expositis, perpendit, quomodo singulorum aliorum modorum propositiones ad harum affectæ sint consequentiam: ut huic simplici possibilis affirmatio, possibile esse, qualis propositio contingentis, qualis necessarii, qualis denique impossibilis comitetur. Simili quoq; modo in aliis. ac primum quidem statuit, omnes propositiones cõtingentis sequi omnes eas, quæ possibilis sunt: quæ similiter illis dicuntur: ut affirmationi simplici comitari simplicem affirmationem: ei quæ transpositionis est, eam transpositionis. idemq; fit in negationibus. his igitur, idem significare possibile & contingens sine ullo discrimine, non solum declarat, cum ait, [Ei enim quod fieri potest, illud quod contingit esse, consequitur:] sed etiam cum addit: [retroq; id cõmeat uicissim.] ac simplices impossibilis propositiones comitari simplicibus possibilis ac cõtingentis enũciat: non tamen similes similibus: sed ut ipse ait, ut retro etiam uicissim commeent: ut affirmationem simplicem primi ordinis negatio simplex quarti consequatur: negationẽ uero similem contingentis, quæ in eodem ordine est, affirmatio simplex contingentis, quæ in prima serie est. similiq; modo in iis, quæ sunt transpositionis. idq; iure fieri, plane patet. nam si quod possibile est, & contingit esse, dicas impossibile esse, ridiculum erit: non impossibile autem esse, uerum. quod autem non possibile est esse, & quod non contingit esse, patet nos dicturos esse, id esse impossibile: ut non potest, nec contingit diametrum esse lateri comparabilem: ergo impossibile est esse comparabilem diametrum lateri. eadem de enunciationibus transpositionis dicemus. simplicem præterea negationem necessarii statuit principio comitari simplicibus affirmationibus possibilis & contingẽtis, deinde uero simplici negationi impossibilis. quocirca sub his, possibile esse, & contingens esse, & non impossibile esse, statuitur hæc, non necessarium esse. nam possibile & contingens cum inter necessarium & impossibile media esse posita uideantur, neq; idem esse, quod alterum extremorum, merito quoq; utrasque negationes habere consequentes uisa sunt. sub simplicibus uero possibilis, contingentisq;

negationibus

negationibus simplicem impossibilis affirmationem collocat: sed nō iam simplicem necessarii affirmationem, uerū eā transpositionis. neq; enim dici potest necessarium esse illud quod non potest esse, & quod contingit non esse, & quod impossibile est esse: sed patet id esse necessarium non esse. si enim impossibile est, diametrum esse lateri comparabilem, certe necesse est ipsam non esse cōparabilem. Præterea sub transpositionis affirmationibus possibilis, & contingētis cū transpositionis negatione possibilis, sub illorum negationibus iure statuit affirmationem e regione suæ ipsius negationi oppositam. ad hæc, sub prædictis affirmationibus, & negatione transpositionis impossibilis, ponit negationem necessarii quæ eodem modo se habet; hoc est, sub hac, possibile non esse, & contingens non esse, & non impossibile non esse, locat hanc, non necessarium non esse. sub his uero, oppositas: id est, sub his, non possibile non esse, nō contingens non esse. & impossibile non esse, non affirmationē transpositionis necessarii (hæc enim iam sub simplici negatione possibilis supra est constituta) neq; eas quę huic comitantur, sed simplicem affirmationem, hoc est, necessariū esse, ponit: quę sola etiam ex propositionibus necessarii remanserat non collocata: cum ab ipso tres alię singillatim, quo modo diximus, sint suo loco constitutę. Cum hęc ita pręsentia statuisset, censet in tabella quoque, quam descriptionem uocauit, quasi adiunctam pręceptioni earum rerū, de quibus agit, propositionum consequentiam ab eo traditam tanquam in pictura quadam spectemus. & sumpto initio a simplici possibilis affirmatione deinceps quæ ex aliis modis hanc consequantur, enumerat. tum docendo progrediens, assumptaq; in eadem serie uelut pagella affirmatione ex transpositione modi possibilis, ordine deinceps propositiones reliquorum modorum hanc consequentes exponit. deinde uero eodem ordine connumerat alterius partis descriptionis propositiones. porro autem quia proposita propositionum expositio non omnino culpa uacat, quāuis probabilis minus acri ingenio præditis propter causas antedictas uideatur, instituit sequentibus corrigere, quod ibi uitiose expositū est. prius autem nos monet, ut attēdamus, ut in ipsa descriptione propositiones impobissilis, atque etiam necessarii sint ordine distributæ, ut etiam quid in ipsa uitiose sit expositum possimus agnoscere. ideoq; addit hæc uerba: [Quod igitur impossibile est, ut sit, & quod non impossibile est esse, ex contradicentibus eius, quod contingit ut sit, & quod fieri potest ut sit, &c.] quibus uerbis declarat, propositiones impossibilis modi aiētes & negātes ad consequentiam expositas esse, & subiectas aientibus ac negantibus propositionibus possibilis ac contingentis: ac negationes aduersus proprias affirmationes recta descriptas: atque uniuersam simplicem impossibilem cōtradictionem sub simplicibus illorum contradictionibus constitutam. uniuersam uero eam, quæ ex transpositione est, sub illis, quæ transpositionis sunt: sed ut ipse ait, ita ut uicissim retro commeēt: nempe cum ea conuersio circa solum ordinem qualitatis spectetur: propterea quod illorum affirmationibus consequentes sint impossibilis negationes: negationibus uero affirmationes, ut hęc, impossibile esse, simplex negatio, & hæc, impossibile non esse, affirmatio trāspositionis. quamuis. n. cum priuatione pronunciatæ declinare ad formam negationum aliquibus uideantur, tamen fatemur eas esse hoc totū, priuantes affirmationes. ideo id solum noluit Aristoteles in eis adnotare. propositiones igitur impossibilis recto, ut diximus, ordine expositas esse confirmat. eas uero quæ sunt modi necessarii, non item. nā propositiones quæ in eo modo contradictionem faciunt, ut simplicem affirmationem, ut necesse est esse, & simplicem negationem, nō necesse est esse, separatim, & non recto inter se ordine ait fuisse expositas. cum enim simplex affirmatio, necesse est esse, inferius in secunda serie sit constituta sub affirmatione transpositionis impossibilis modi, ipsius uero negatio in superiore parte primæ seriei sub simplici impossibilis negatione: itemq; hæc affirmatio, necesse est non esse, in superiore parte secūdæ seriei sit collocata, eius uero negatio ad finem primæ seriei, ait eas, quæ recto inter se ordine constitutæ sunt, non iam contradictionem ullam facere: id quod tamen habent aliæ omnium cæterorum modorum recta inter se collocatæ propositiones. uicissim enim simul falsæ sunt, eæ, quæ simplicibus possibilis propositionibus consequentes sunt, ut non necesse est esse, & necesse non esse, in materia necessaria acceptæ: quæ uero iis comitantur, quæ sunt trāspositionis, ut non necesse non esse, & necesse esse in impossibili: quocirca contrarias eas nominauit. quam etiam ob causam propositiones modo uacantes quæ inter se simul falsæ sunt, cōtrario nomine opponi dixit. simul autem falsæ sunt in materiis prædictis propositiōes necessarii modi recta uicissim constitutę, præterea uero simul etiam in aliis quibusdam ueræ esse uidentur. Iā uero, quę ex simplicibus in materia impossibili consequuntur, simul ueræ sunt, quod docet Aristoteles his uerbis, [Quod enim necesse est non esse, id esse non necesse est.] quæ uero ex iis, quæ transpositionis sunt, consequuntur, id in materia necessaria nactę sunt.

Cur autem enunciationes quæ de eo quod necesse est dicunt, non eodem modo, quo superiores, altera alteri consequuntur: hoc causa est, quod ei quod necessarium est, id quod impoßibile est esse, quod idem ualet, contrario nomine opponitur. Quod enim fieri non potest ut sit, idem necesse est, non, esse quidem, sed non esse. Quod autem fieri non potest quin sit, id sit necesse est. Ita si illa eodem modo ex eo quod potest esse & non esse concluduntur: certe in his contra fiat necesse est, quandoquidem non idem ualent quod necesse est esse, & quod fieri non potest ut sit, sed uicissim, ut dictum est.

Consequens erat, ut correctionem expositionis propositionū prius traderet, quam postea afferet; doceretque in descriptione quæ supra proposita est, negationes necessarii uitiose esse expositas: quippe cum simplex non esset eo ordine constituenda, quo simplices aliorum modorum propositiones erant collocatæ; sed eodem, quo illæ transpositionis, e regione suæ ipsius affirmationis, neque ea transpositionis in eodē ordine, quo illæ transpositionis, sed quo simplices e regione. hæcque ex propria affirmatione esse cōsequens: tum erant hæc, quæ nunc dicuntur, adiicienda. contradictionem inquam transpositionis necessarii sub simplici possibilis & impossibilis contradictione iure constitui: simplicem uero sub ea transpositionis. conuenit enim, ut prius scias rem esse, quā cur illa sit, perquiras. uerum forte Aristoteles postquam significauit inordinatam propositionum necessarii expositionem initio factam, quasi perspicaciores statim queant intelligere consequentem illarum expositionem, uoluit his uerbis ordinatæ ipsarum consequentiæ causam reddere. Illud præterea uidit, cum de multis uerba essent nobis facta, dicendum esse, propositiones necessarii in consequentia propositionum modorum oportere hunc ordinem habere: ideo antequam diceret rem esse, cur sit exposuit. sed quam causam affert, ut simplicibus possibilis, & impossibilis propositionibus eæ quæ sunt transpositionis necessarii, & iis quæ transpositionis sunt, simplices subiectę sint? quòd ei, quod necessarium est, id quod impossibile est esse, quod idem ualet, contrario nomine opponitur. ait autem ea idem ualere, quia utrunque eorum eodem modo semper se habet: neque capax contrarii est: cum alterum semper sit, alterum semper non sit. dixit autem contrario nomine opponi, quia cum alteri ex his modis uerbum esse adiūgimus, ac simplicem propositionem conficimus, alteri uerbum nō esse, addimus, & transpositionis propositionē conficimus, nam quod necessarium est esse, id impossibile est non esse: & quod impossibile est esse, id necessarium est non esse. si igitur has impossibilis propositiones inquit: consequi ex propositionibus possibilis & contingentis, quæ similes sunt illis simplicitate, uel transposione, diximus, accidet ut ex ipsis consequantur illæ, quæ sunt necessarii, in quibus ut ipse ait, in his contra fieri necesse est. id est, ut ex simplicibus consequantur quæ sunt transpositionis: & simplices ex iis, quæ ex transpositione sunt. His ita distinctis, ea repetit quę de communitate & differentia necessarii, atque impossibilis tradidit: uultque ea nobis esse in promptu. idem inter se ualere ipsa posse uicissim, nam, necesse est esse, dices impossibile

possibile ut non sit: & impossibile non esse, dices etiam necessarium, ut non sit.

An autem fieri non possit ut hoc modo constituantur cõtradictiones eius quod necesse est, quæstio est. Huic enim quod necesse est esse consequitur id quod fieri potest ut sit. Sin minus, negatio erit consequens, quoniam necesse est aliquid aut affirmare aut negare. Ergo si non possit esse, impoßibile est esse. Quod igitur fieri non potest ut sit, id necesse erit esse, quo nihil absurdius. Atqui ex eo quod potest esse, consequens id est quod non impossibile est esse: ex quo, id quod non necesse est esse. Ita fit, ut quod necessarium est, id non sit necesse esse, quod fieri non potest. Ne ex eo quidem quod potest esse id quod necesse est esse, aut nõ esse, concluditur. Nam & cum hoc utrumque accidere una potest, & illorum utrumlibet uerum sit, quoniam illa uera sunt futura. Simul enim aliquid & esse & non esse potest. Si enim necesse sit esse aut non esse, utrumque fieri non poterit. Relinquitur ergo, ut id quod non necesse est non esse, ex eo sit consequens, quod potest esse. Nam de eo etiam quod necessarium est, iam uere dicitur, propterea quod hæc ipsa contradictio ei comparata est quod ex eo cõcluditur quod fieri nõ potest. Ex illo enim efficitur id quod impossibile est esse, & quod necesse est non esse: cuius hoc; Non necesse est non esse, negatio est. Consequuntur ergo hæ contradicentes, altera alteri, quemadmodum dixi: quibus, ita positis, nihil repugnans concluditur.

His uerbis reprehenditur prædicta negationum necessarii expositio, atq; adeo exquisitus ordo earum in descriptione propositionum, quibus modus adiunctus est, traditur, ut nihil dissonum, nihil inordinatum sit, sed suum ordinē obtineat tota descriptio. in primis autem quæritur, quænam ex quatuor necessarii propositionibus, ut ex duabus simplicibus, duabus transpositionis, ex simplici possibilis sequi dicenda sit. & ostendit, nec simplicem negationem, ut ante dicebamus, nempe hanc, non necesse est esse, nec alterutrā ex affirmationibus ceu consequentem illi subiici oportere; sed solam affirmationem transpositionis: hanc uidelicet, nõ necesse est non esse, quæ e regione suæ ipsius affirmationis sita erit. ex his autem concluditur, par esse, ut simplex negatio sub affirmatione ex transpositione possibilis statuatur, quæ ipsa quoque suæ affirmationi sit recta occursura: perinde ac tres aliæ necessarii propositiones suis locis sint in descriptione ordine distributæ. quæ cum ita sint, non iam, ut ante, usu uenit, ut quæ contradicentes mutuo sunt, separatim a se ipsis in tabella descriptæ sint, & contradictiones necessarii conuenientem sibi ipsis locum nancišcentur; quę pariter cum impossibilis contradictionibus porriguntur, contra tamen, atq; illæ, exponuntur: quod proxime dictū est. [Fieri ergo, inquit Aristoteles, non potest, ut hoc modo constituantur cõtradictiones eius, quod necesse est.] quod perinde accipiendum est, ac si dicat, fieri non potest, ut hoc modo constitutæ ueram cum aliis consequentiam habeant. non recte autem hanc simplicem negationem, non necesse est esse principio subiectam esse huic simplicii affirmationi, possibile est esse, tanquam ex ea consequeretur, ipse, quasi præsumpta sumptiuncula ostendit: ea est, ex hac simplici, necesse est esse, necessario consequi hanc possibile est esse. id enim probat ea demonstratione, quæ ad impossibile perducit ad hunc modum. Si enim huic, inquit, necesse est esse non consequitur hæc, possibile est esse, profecto eius negatio consequetur, nempe hæc, non possibile est esse: quoniam necesse est aliquid affirmare, aut negare: sed si huic, necesse est esse, consequatur hæc, non possibile esse, quia & huic, & ei, quæ idem ualet quod ipsa, id est huic, non contingens esse, diximus consequi hanc, impossibile esse, efficietur ut simul ueræ inter se sint hæ, necesse est esse, & impossibile esse: quod est ab omni ratione alienum: ergo oportet hanc, necesse est esse consequi huic, possibile est esse. hoc præsumpto, facile ostendit, non recte dictum esse hanc, nõ necesse est eē cõsequi ex hac possibile est esse. si. n. huic, necesse est esse consequitur hæc, non possibile est esse, ut sumptiuncula comprobauit, huic autem possibile est esse, diximus consequi hanc, non necesse est esse, ut principio descripsimus, profecto huic, necesse est esse, eius negatio hæc, non necesse est esse, consequetur: quod fieri nullo modo potest. ergo non statuenda est sub hac possibile est esse, simplex necessarii negatio hęc, non necesse est esse: atqui ne alterutra quidem affirmationum, uel necessarium est esse, uel necessarium est non esse. siquidem harum utraque naturam quandam declarat. ac simplex quidem naturam quæ semper est: ex transpositione uero, eam quæ non semper est. hoc uero, possibile est esse, ancipitem naturam habet, & in ipsum non esse, nonnunquam cadit. nā quod possibile est esse, id potest quandoq; etiam non esse. quocirca neq; horum alterutrum consequetur huic, possibile est esse. cum igitur tres necessarii propositiones reprehensę sint, ut quæ non possint esse huius, possibile est esse, cõsequentes, relicta est sola transpositionis negatio, non necesse est nõ esse, quæ consequatur. quam ob rem dicendum est hanc illi esse consequentem, ut etiam huic simplici negationi, nõ possibile est esse, diximus consequi hanc affirmationem trāspositionis, necesse est non esse: planumq; est, hanc simplicem negationē, non necesse est esse, a nobis transponendam esso in eum locum, quem in priore descriptione hæc, nõ necesse est non esse, obtinebat. atq; ita propositiones omnes omnibus consonas efficiemus. ne quis uero existimaret, quo modo hanc, non necesse est esse, sequi nõ posse ex hac, possibile est esse, ostendimus hoc præsumpto, ex hac necesse est esse, sequi hanc possibile est esse, eodem pacto posse ostendi, neq; hanc non necesse est nõ esse, ex illa sequi posse, addit hæc uerba, [Nā de eo etiam quod necesse est esse, iam uere dicitur.] nõ enim quid præterea absurdi consequetur, si ex hoc, necesse est esse, hoc possibile esse: & ex hoc possibile eē, hunc non necessariū non esse consequi dicemus. inde enim fiet, ut ex hoc, necesse est esse, hoc non necesse nõ esse consequatur. id quod tantum abest ut sit absurdum, ut etiam uerum sit. nam quod existit necessario, id non potest etiam non existere necessario. Descriptio autē fit hoc mõ.

Prima series.	Possibile esse. Contingens esse. Non impossibile esse. Non necesse non esse.	Tertia.	Non possibile esse. Non contingens esse. Impossibile esse. Necessarium non esse.
Secūda series.	Possibile non esse. Contingens non esse. Non impossibile non eē. Non necesse est esse.	Quarta.	Nõ impossibile nõ esse. Non cõtingens nõ esse. Impossibile non esse. Necesse est esse.

Sed his ita expositis, ulterius progrediens quærit Aristoteles, utrum ex eo quod necesse est esse, id quod possibile est esse, consequatur, an secus: propterea quod utrunque uerum esse nullo pacto potest. quorum utrunque uidetur confirmare, alterum ea demonstratione, quæ ad impossibile perducit, alterum uero, recta, ad hūc modum:

Vtrum autem ex eo quod necesse est esse, id quod fieri potest ut sit consequens, quæstio est. Nam si non sit consequēs contradicens erit id, quod fieri non potest. Quod si quis cõtradicens esse neget, is necesse est fateatur id esse quod fieri potest ut non sit, quæ duo falsa sunt in eo quod necessarium est. At contra idem uidetur secari posse & non secari, esse & non esse. Ita quod necessariū est id poterit non esse, quod falsum est. Illud igitur perspicuum est, non quicquid potest aut esse, aut ambulare, posse etiam contraria. etiamsi id uere de quibusdam non dicatur, primum in iis quæ sine ratione aliquid efficere possunt. Vt ignis uim habet ille quidem caloris, sed quæ rationis sit expers. Quæ igitur facultates ratione ad agendum impelluntur: eæ multa etiam contraria efficere possunt: rationis autem expertes, non omnes. cum præsertim ignis calorem sua ui gignere & non gignere

non possit, nec ea omnia quæ semper agunt. Sunt tamen quædam facultatibus rationis expertibus prædita, quæ simul contraria recipere possint. Quod dixi propterea, quòd non omnis uis ad contraria accipienda apta est: ne ea quidem, quæ sunt eiusdem speciei. Sunt enim quædam facultates homonymæ. Quod enim uim habet aliquid efficiendi, id non uno modo dicitur: aliudq; eo dicitur poße, quia iam re uera agat sic: ut poße aliquem ambulare, quia iam ambulet. & uno nomine posse eße, quod iam in actu ipso sit id quod poße eße dicitur. Aliud quod futurũ sit ut agat aliquando. uelut cum aliquem ambulare dicimus, quod futurum sit ut ambulet. Atq; hæc quidem uis in iis tantummodo reperitur, quæ habent suos motus: illa etiam iis quæ nullos habent. Et utrunq; uere dicitur, poße ambulare, aut eße ambulans: & quod ambulat iam, & quod in actu est, & quod uim habet ad ambulandum. At quod hoc modo potest, non uere omnino de re necessaria dici potest, alterũ potest. Ita quoniã ex parte uniuersale consequens est, certe ex eo quod neceßarium est, id quod eße potest, etiam si non omne consequetur.

Cum probaret ex quatuor necessarij propositionibus hãc solam, non oecesse est oon esse, consequi posse ex hac, possibile est esse, ex aliis uero nullam, primum quidem ostendebat hanc, noo oecesse est esse, ex illa sequi noo posse: assumebatq; hanc, possibile est esse, sequi ex hac, necesse est esse. idq; ea demonstratione confirmabat, qua qnis urgetur incommodo, quæ ad impossibile adducit: quam nnnc etiam ad memoriam nobis renocare conatur: eamq; adhibet multo maiore studio, ac diligentia, quasi eam addat: cum nõ sit necessaria: quia licet quispiam arbitretur, huius possibile est esse, non esse homo negationem, non possibile esse, sed hanc, possibile non esse, nihil tamen ei plus quicquam est futurum. cogetur eoim fateri, quod dicimus necessariũ esse, id fore quandoq; possibile ut non sit: quod est plane à ratiooe alienum. Deinde oero cum deinceps ad necessarij affirmationes confutandas transiret, utpote quarum nulla cum ea posset conuenire, contrarium iis, quæ proxime dicta sunt, pronunciauit, id quod nunc quoque iterat: nempe quod neeesse est esse, impossibile esse ut quandoque nõ sit: ut quod necessarium est oon esse, impossibile est, ut quandoque sit: quod uero possibile est esse, ex eorum esse numero, quæ interdum sunt, interdum noo sunt. quibus quidem fiet rebus, nt ex hoc, necessarium est esse, hoc possibile est esse, non consequatur. Itaq; in explicanda quæstione caussam eius repugnantiæ orationum quæ esse uidetur, in homonymiam uerbi possibilis confert: ex qua contingit, ut ex necessario sequatur possibile, & item ut in alio, atq; alio ipsius sensu nõ sequatur. possibilis enim aliud esse ait, quod iam actu est, ut cum dicimus eum, qui ambulat, posse ambulare: & Solem posse lucere, uel moueri: aliud esse ex ui & facultate, atque habilitate solum, ut cum dicimus, eum, qui sedet, posse ambulare: & eum qui ambulat, posse non ambulare: sed quod actu est, partim esse cognatum atq; insitum rei, quæ ipsum posse dicitur: & eiusdem quoq; speciem efficere: partim uero aduentitium, nec semper subiecto adesse: eius præterea quod a natura insitũ & speciei subiectorum efficiens est, ut diximus, aliud esse æternũ, & in æternis rebus subsistere, ut in cœlo, in orbem moueri: in terra, in medio uniuersitatis esse constitutam: & Deum bonitate præstare: aliud uero neque æternum, neque in subiectis æternis spectari: esse tamen unà cum ipsis subiectis, usque dum illa sint: ut cum dicimus, hunc ignem posse calefacere: & hanc niuem refrigerare, cum reliquum eius quod nõ insitum subiectis est, quod uidelicet actu significatũ est, spectatur in iis, quæ ex potestate in actum transierunt: ut dictũ est de eo, qui sedens poterat ambulare. Eius præterea quod in æternis rebus dicimus, aliud spectari docet in iis substantiis, quæ ab omni sunt materia secretæ prorsus & liberę: qualem Deorum bonitatem, notionemq; appellamus: aliud uero proxime ab illo dependere, & in corporibus quidẽ existere, sed simplicibus, & nihil contrarium habentibus: & quæ solum motu in orbem contorquentur: atque omni mortali molestia uacant. Iam uero eius etiam, quod ex ui & facultatę dicitur, aliud esse ostendit, quod io actum queat cõmutari, ut cum puerum posse ducere exercitum dicimus: nisi qua re externa impediatur: aliud uero, quod nunquã perducetur ad actum: habeatq; suam essentiam in eo solũ, quod potentia & facultate intelligatur: ut uidere est in sectione magnitudinum, & uno uerbo, omnium rerum continuarũ, io infinitum, & in numerorum in maiorem multitudinẽ progressu. Cum igitur possibile tot modis dicatur, quasdã eius significationes ait sequi ex necessario, quasdam non sequi, ex possibili enim, quod de ijs, quæ actu sunt, prædicatur, quæ dicuntur in iis, quæ suapte natura insunt in subiectis siue æternis, sioe caducis, ea etiam ait uere dici in iis, quæ necessaria sunt: propterea quod ipsa quoque ex necessitatẽ sunt: utpote quæ non habeãt ancipitem naturam ut uel sint, uel ut non sint: oeq; enim potest ignis non esse calidus, neq; potest noo moueri cœlum in orbem. quod uero a potestatę ad actum transiit, ut in uerbo ambulandi docuimus, quodq; ex habilitate consideratur, quæ uel natura apta sit, ut redigatur ad actum, uel apta non sit, sed in eo solum, quod semper possit, essentiam suam habeat, id docet non conuenire necessario: ex quo fit, ut probantes possibile sequi, & oon sequi ex necessario, in alia tamen atq; alia, ut diximus, eius uerbi sententia, recte dicamus: etenim etsi non diximus tale possibile sequi ex necessario, ut quod est onius speciei in actione, sed absolute possibile pronunciauimus, nihil tamẽ absurdi erit a nobis dictum. ut enim terrenum canem etiam absolute canem dicimus, & Aiacem Telamonis filiũ appellamus etiam simpliciter Aiacem, ita etiam tale, uel tale possibile, absolute etiam possibile nuncupamus: quippe cum necesse sit, ut uoces homonymæ ita singulas suas significationes, sicut genera suas species consequantur. Sed hæc posterius nobis tradit Aristoteles: ac dubitationis solutionem perfectissimam affert: sed prius occurrit ei rationi, quæ ait, ex necessario non sequi possibile, quod idem esse & nõ esse posse uideatur: cum ait, [Illud igitur perspicuum est, non quicquid potest aut esse, aut ambulare, posse etiam contraria,] id est non esse & noo ambulare. non quod in his ambobus, quæ sunt exempli loco sumpta, id qnod dicitur intelligendum putet, (nam contrarium est plane manifestum, potestatem ambulandi non esse huius solum, sed etiã eius oppositi) sed quod uelit, nobis ostendere, unicam esse io quibusdam, quæ possibilia dicuntur, facultatem: quæ non trahatur in utranq; partem: in quibus noo iam recte dicet is, qui asserat, quod possibile est esse, non sequi ex eo quod necessarium est, ut sit: quæ autem sint huiusmodi, subiũgit: ait enim quædam ex iis esse, quæ essentiam habent rationis expertem: qualia sunt inanimata: quæ suis effectricibus facultatibus ad agendum impelluntur: ut ignis quidem calefacit, sed oon potest etiam non calefacere: & gleba quæ deorsum fertur, oon iam etiam potest oon ferri: nisi quid externum ui impediat. hoc uero quod ait, non pertinere ad omnia quæ sunt facultatis rationalis expertia, ut etiam animantibus rationis expertibus conueniat, declarat addens hæc uerba [Sunt tamẽ quædam facultatibus rationis expertibus prædita, quæ simul cõtraria recipere possunt.] nam & patibiles inanimatorum facultates aperte utranq; partẽ suscipiunt: ut uestis & secari, & non secari æq; potest: & item brutorum effectrices facultates ooo unicę sunt, & coactæ, ut in igni, atq; niue diximus. canis enim, exempli gratia, qui potest ambulare, potest etiam non ambulare: cum ea, quæ sibi uisa occurrunt, consequatur. quoniam autem ea ratio, quæ probat, ex oecessario non sequi possibile, ab iis ducebatur facultatibus, quæ in ortu & interitu uersantur, quod necessarium oon sit sui natura aptum, ut in utranq; partem trahatur, hæ uero oon solũ esse, sed etiam non esse possint, ideo occurrendi principium ab iis sumens ait, [Primum quidem in iis, quæ sine ratione aliquid efficere possunt.] uis enim, quæ in æternis inest, ea potissimum hoc effugit, ut anceps sit & in utranque partem cadat: conuenitq; necessario, de qua deinceps disserit: eaq; diligentia, quam par est adhibere, quęstionem explicat. Sunt tamen facultates quędam eorum, quæ in ortu & interitu consistunt, quæ non cadunt

dunt

dunt in utranq; partem, subiectis conseruatis: sed unà cum illis existunt, & non existunt. quã ob rem is, qui omne, quod potest esse, id etiam non esse posse pronunciat, uel ex ijs solis, quæ, ut ipse ait, semper agunt, coarguitur: in quo nunc non intelligit aduerbium semper ad infinitatem temporis, sed usq; dum subiectum maneat. perspicuum igitur ex antedictis est, nõ in solis facultatibus rationis expertibus, quæ unius & eiusdem generis inter se dicuntur in eo ipso, quod sunt expertes rationis, ueram esse orationem, qua dicitur, quicquid potest esse, id etiam non esse posse. quoniam autem ait uniuersas facultates rationis participes esse contrariorum, certe id in hominibus planum est, siue artis, siue uoluntatis rationem accipias. nam qui potest sanare, is etiam potest non sanare: idque clarius etiam est in ijs, quæ consilio geruntur: In quibus cõsultationes deliberationesq; uersantur: nam qui potest lauari, uel ambulare, is etiam potest non lauari, & nõ ambulare. sumus enim nostræ uoluntatis, ut ante multis est argumentis a nobis comprobatum, nos domini: estq; in nobis situm, ut quæ consilio & uoluntate suscipimus, faciamus, & non faciamus. sed in Dijs, ut etiam quærit Alexander, quidnam dicemus? uel enim nõ esse participes rationis eorum facultates dicemus, siquidẽ sunt definitæ, & eodem semper modo se habent, omnis mutationis expertes: uel si sunt cum ratione, certe suscipere etiam contraria cõfitebimur. Alexander uero dubitationem recte & accommodate soluit: ait enim hoc loco intelligi rationem: eam, quæ intellectiua uocatur, quæq; ab imperfecto ad perfectum, & a propositionibus ad conclusionẽ procedit: qualis nostra ratio est: nõ autem eam, quam intellectualem nominant, quæ una simplici actione, & semper stante omnia quæcunq; sunt, intuetur: qualem ipse Deorum mentem esse pronunciat, ab omni materiæ cõcretione secretam, & cuius actio eodem cursu cum substantia progreditur. an uero minime conuenit huiusce rationis nomen illis tribuere. Aristoteles enim mentem esse appellandam censet. & alicubi etiam ostendit eorum naturam esse mente præstantiorem. sed hæc in prima responsione, ut sæpe diximus, qua occurritur ijs, qui contingens non sequi ex necessario existimant: quasi dicat philosophus, ne in ijs quidem facultatibus, quæ maxime cognatæ inter se sunt, & sub una ratione, quam speciem uocauit, cõsiderantur, (intelligo autem in rationis expertibus) recte dici, quicquid esse potest, etiã non esse posse: ad hæc autem maxime exquisitam theorematis correctionẽ adiungit: & docet, quomodo uere utrunq; dictum sit & consequi & non consequi ex necessario id quod possibile est, in alia tamen, atq; alia possibilis significatione, cum ait, [Sunt enim quædã facultates homonymæ.] perinde ac si dixisset, ne si eiusdem quidem speciei inter se maxime omnes facultates, quæ rationis expertes sunt, esse concessimus, antedictæ dubitationi esse locus poterit. id tamen sciendum est, facultates, quæ in rebus omnibus sunt, multum abesse, ut ad unum aliquod genus redigantur. cum enim in nomine solũ conueniant, in natura differunt uel maxime. deinde uero illarum diuisionem facit, quam nos quoque paulo ante exposuimus: ac declarat, quænam possibilis significatio de necessario prædicetur, quæ non item. quæ cum ex ijs, quæ nos prius diximus, clara sint, deinceps singula expendemus, quæ in uerbis Aristotelis considerationis indigent: ac primum quod ait, [Atq; hæc quidem uis in ijs tantummodo est, quæ habent suos motus: illa etiam in ijs, quæ nullos habẽt:] dicimus habere suos motus de ijs intelligi, quæ natura apta sunt, ut moueantur, nõ iam tamen mouentur. huiusmodi autem sunt ea sola, quæ ortui, interituiq; sunt obnoxia: uim autem intelligi, non quæ in sola habilitate est, sed quæ apta sit, ut ab actione separetur: ut etiã in ijs solis consideretur, quæ in ortu & interitu sunt. ideo philosophus ex altera parte huic opponens eam uim, quæ in actione dicitur, addidit, Illa autem etiam in ijs, quæ nullos motus habent: coniunctione indicans, eiusmodi quoque in ijs uim fortasse posse aliquando spectari, cum suam ipsorum perfectionem fuerint consecuta: ad quam habebant uim habilitatis properantem. ante hæc tamen in ijs quæ perpetuo mouentur, hoc est in cælestibus: & ante illa, in immobilibus, id est causis intelligibilibus, atque diuinis, cum facultati ei, quæ habilitatis est, nullus esse in intelligibilibus locus possit, in cælestibus uero sit illa quidem, ut illorum loci mutatio declarat, sed tamen semper sit cum actione coniuncta. nam, ut de ipsis recte & apposite in meteoris conscripsit, absolutus est semper eorũ motus. Illud præterea, [Et utrunq; uere dicitur, possibile esse ambulare, aut esse:] dicimus bifariã scribi: uel enim ita, ut nos exposuimus, uel pro possibile, legatur non impossibile. itaque si scribatur possibile, erit sermo de eo, quod in uno propositũ est: nomen possibilis de utraq; facultate prædicari tum de ea, quæ in actu, tum de ea, quæ in habilitate spectatur. atque ita in eo quod de facultate actionis & non habilitatis prædicatur, erit consequens ex necessario: ut uero prædicatum de facultatis habilitate & idcirco in utranq; partem trahi possit, non iam ex illo consequetur. cui rei illud consentaneum est, quod deinceps addit, [Ita quoniam ex parte uniuersale cõsequens est, certe ex eo, quod necessarium est id quod esse potest, etiam si nõ omne, cõsequitur.] Si uero pro possibili scribatur non impossibile: uelut excusationem & causam afferri ab ipso dicam, quod hanc propositionem nõ impossibile esse, in prima descriptione sub hac, possibile esse cõstitutam permiserit: illam uero nõ necessarium esse, transposuerit, & pro ea statuerit hanc, nõ necessarium non esse. diceret enim hanc, non impossibile esse, conuenire cum utrisq; possibilis significationibus, sicut etiam facit hæc, non necessarium nõ esse. quam ob rem hæc ambo in secũda descriptione huic, possibile esse, subiecimus. hãc uero, non necesse est esse, quæ conuenit cum possibili, quod ex habilitate nominatur, ab eo uero quod actionem exprimit, & subiectis cognatum atque affine est, discrepat: a consequentia eius possibilis quod simpliciter & absolute nominatur, iure distinximus. Sed ut propositiones impossibilis & necessarij cum propositionibus possibilis conuenirent, uidemur fortasse per hæc cu: auisse; uerum propositionibus contingentis adhuc in descriptione collocatis, manet eadẽ quæ a principio excita est, dubitatio. nam de integro pro possibili contingens intelligendo quæremus, utrum contingens est esse sequatur ex hoc, necessarium est esse, nec ne. nam si sequatur, cum contingens intermedium sit inter necessarium & impossibile, & quandoq; non esse potest, certe fiet, ut necessarium esse, sit contingens non esse. si nõ sequatur, in maius incommodum incidemus, ut fateri cogamur, quod necessariũ est ut sit, esse, non contingens ut sit. ad hæc dicendum est: uideri Aristotelem, nomine solum possibile a contingenti discernere. ac diuisionem quidem possibilis, quæ hoc loco tribuitur, perspicue inueniemus in principio priorum analyticorum, ubi agitur de conuersionibus, & loquitur de contingenti explicatam his fere uerbis, In ijs autem enunciationibus, quæ ex uerbo contingendi erunt, quoniam cõtingere multis modis dicitur, (nam & quod necessarium est, & quod non necessarium, & quod possibile est, contingere dicimus) aientes omnes eodem modo reciprocabuntur. ubi posuit possibile pro eo solum, quod in utranque partem trahitur, nec dum euenit: quemadmodum se habere in his contingens arbitramur. quod si definitione explicat contingens, atque id esse quod neque necessarium est, neque impossibile, dicemus definitionem eiusmodi non esse simpliciter contingentis, sed eius, quod proprie dicitur: quodq; medium statuitur inter id quod semper est, & id quod semper non est: eamq; pari ratione ei possibili, quod proprie dicitur, accommodari. Deinde si sumamus, quod proprie contingens est, profecto id non consequetur ex necessario: sed ex ipso consequetur id quod non contingit esse: non perinde ac rei subsistentiam penitus tollat, sed contingentem solum subsistendi modum: quo etiam pacto id quod contingens est, non necessarium dicimus. atque in hanc quidem contingentis sententiam recte Aristoteles ex hoc, contingens esse, sequi hoc, non necessarium nõ esse affirmauit. quoniam enim contingens uniuersa sui significatione ab impossibili differt, impossibile aũt esse, idem significat, quod necessarium non esse: efficietur, ut contingens esse, discordet quidem ab eo, quod est necessarium non esse, at cum eo, quod non necessariũ est non esse, conueniat. atq; ita ex hoc etiam, non necesse est esse, accommodatius est, ut quod nõ contingit non esse, consequi dicamus. Verũ si po-

namus possibile & cõtingens solum significare id, quod his nominibus appellatur, quod ipse in analyticis definiuit, cum ait, Dico autem contingens id quod non est necessarium, quoque posito nihil sequitur impossibile: quas impossibilis, ac necessarij propositiones ex ijs sequi dicemus? aio igitur, quod ad cõsequentiam illam pertinet, quæ ab his, possibile esse, & cõtingens esse ducitur, primam propositionum descriptionẽ uideri recte se habere. etenim quod uere contingens & possibile est, id neque impossibile est esse, neque necessarium esse. sed si curandum sit, ut omnes simul constitutæ propositiones inter se consentiant, hæc non necesse est esse, nullo pacto huic, non impossibile esse, subiici poterit: propterea quod non impossibile, unũ tollit, hoc est impossibile: in alijs duobus, ut contingenti & necessario uerum dicit: quod uero non necessarium est, tollit unum, necessariũ: in contingenti uero & impossibili, quæ duo reliqua sunt, uerum est. ex quo fit, ut hæc non impossibile, & nõ necessarium, quibus commune est, ut contingens introducant, sitq; inter se quid contrarium, quatenus alterum ipsorum introducit necessarium, alterũ uero introducit impossibile, simul inter se conuenire non possunt. at hoc, non necesse est non esse, uniuersum cum hoc, non impossibile esse, conuenit: propterea quod ipsorum affirmationes, ut impossibile esse, & necessarium non esse: idem mutuo possunt. sed si quis quærat, quid causæ sit, ut hanc, non necessarium est esse, in prima descriptione sub hac, possibile esse, non constituerit, hanc uero, non impossibile esse, transposuerit, proq; ea locarit illam, quæ huic, nõ necessarium esse, consentire possit, quæ est, non impossibile nõ esse; primum quidem dicemus, hanc non impossibile esse, priorem in descriptione, quam illam, non necesse est esse, fuisse collocatam: erat autẽ ridiculum, cum euenire idem debuisset, non curare posterioris cum prioribus consonantiã: sed quo modo prius posteriori consentire uideretur: deinde, hæc, possibile esse, & contingens esse, & res inesse, de quibus dicuntur, & hoc modo inesse, enunciare. itaque his de causis illa, impossibile esse, & necesse esse, ab his, alio tamen sensu, different. nam hoc, impossibile esse, ut quod rem esse tollat: quod uero necesse est esse, non ita, sed ut solo modo existendi a possibili & contingenti diuersum sit. Ergo ex his illa potius, impossibile est esse, expungetur, quam quę necessarium esse dicit: quam ob rem hæc quoque magis cum ipsis conueniet, non impossibile esse, quam illa, non necesse est esse. Iure igitur fecit Aristoteles, qui relicta hac, non impossibile esse, uelut ex ipsis consequente, solam illam, non necesse est esse, traiecerit, ac commutarit.

Ac fortaße quod neceßarium est, aut non neceßarium, quasi fons est, cur sint aut non sint omnia, vt cætera omnia ex eo spectari debeant, quod ex his sint consequentia. Quapropter ex his quæ dicta sunt apparet, in actu eße, quæcunque fiunt neceßario. Si igitur priora sunt æterna, etiam actus facultate prior est. Atque alia cum vim nullam vt sint habeant, actus sunt, veluti hæ substantiæ quas primas dicimus. alia vim habent vt sint, ea quæ naturæ ordine priora sunt, posteriora temporis. Alia nunquam in rerum natura sunt, sed solum eße poßunt.

Hic maiore consequendi ratione, maioreq; contemplatione censet propositiones necessarij, quæ descriptione continentur, aliorum modorũ anteire propositionibus: illasq; ex his sequi: idque non solum quia latius patere possibile, quam necessarium dictum est, opusq; esset, ut qui de ipsorũ consequentia dissereret, illud prius poneret, tum id sumeret uelut antecedens, quod esset peculiarius: ac consideraret, quomodo ex eo, quod communius est consequatur, & non contra: sed etiam quia necessarium æternis, diuinisq; rebus conuenit: possibile uero, quod a necessario differt, & item contingens a materiis expullulant. in hac enim, & propter hanc ea facultas constat, quæ in habilitate spectatur: utpote quæ omnia potestate, actu uero nihil contineat. impossibile uero extra ea quæ sunt, omnino excidit: siquidem non diceretur impossibile esse, si quoquo modo in rerum naturam uel in materia, uel in priuatione, quæ est etiam quam materia, obscurior, accessum haberet. nam priuatio ad rerum ortum necessaria est: cum eius beneficio mutatio eorum, quæ gignuntur, in naturam fiat. at impossibile nunquam in possibile mutari potest. quam ob rem ex hac, necesse est esse, quæ æternam consistentiam indicat, propositiones aliorum modorum, ut descripsimus, consequantur eæ, quæ non esse tollunt: ut hæ, non possibile non esse, &, non contingens non esse, &, impossibile non esse: ex hac uero, necessarium non esse, hæ, non possibile esse, & non contingens esse, &, impossibile esse. atq; ex his etiam perspicua est consequentia earum, quæ ipsis contrario nomine opponuntur.

Vera propositionum descriptio est huiusmodi.

Necesse esse.	Non necesse esse.
Non possibile non esse.	Possibile non esse
Non contingens non esse.	Contingens non esse
Impossibile non esse.	Non impossibile non esse.
Necesse non esse.	Non necesse non esse.
Non possibile esse.	Possibile esse.
Non contingens esse.	Contingens esse.
Impossibile esse.	Non impossibile est esse.

Deinceps uero cum ostendere uelit, sequi se naturalẽ rerum ordinem ac dispositionẽ, cum statuit necessarij propositiones anteire cæterorum modorũ propositionibus, sibi proponit exponere rerum ordines, prout instituta postulat pertractatio. antequam uero hoc facit, sumptionem quandam præsumit, actum esse natura priorem facultate quæ in habilitate spectatur: idque probat, quoddam uelut corollarium, ut geometræ faciunt, ex antedictis colligens, quod ad hoc confirmandum accõmodatum est: nempe necessarium in eo solo spectari, quod actu est. atque id non iniuria. cum enim possibile, ut dictum est, de utroq; id est de actu & potentia dicatur, uidimus alteram tantummodo significationẽ, quæ actionis est, conuenire cum necessario posse. itaq; necessarium quod proprie dicitur, quale est non quod interdũ est, interdum non est, sed quod semper est in uno & eodem statu, de solis ijs, quæ semper actu sunt, dicetur. quocirca si uere necessarium rebus sempiternis conuenit, quod uero proprie possibile dicitur, quod in sola habilitate cernitur, ad ea sola pertinet, quæ in ortu, & interitu uersantur, fiet, ut, quemadmodũ necessaria ad ea quæ in ortu & interitu sunt, affecta sint, sic etiam actus ad potentiam. naturæ autem ordine priora sunt diuina ijs, quæ in ortu uersantur. ergo etiã actus erit naturæ ordine prior, quam potentia. His autem ita ratiocinatione conclusis pergit philosophice admodum, & ualde conuenienter contemplationi de ordinata rerum progressione, ac declinatione decernere accomodate ad ea, quę ratione conclusit. atque res omnium longe primas, atq; summas, quales sunt quæ in rationem & intelligentiam cadunt, & diuinæ, esse ipsum actum: & non talem actum. hic enim conuenit ijs rebus, quæ ex materia essentiam nanciscuntur, & ideo compositæ sunt: itemq; ijs, quæ potentiæ eius, quæ in habilitate est, sunt participes: quatenus uel semper, uel quandoq; participes esse formę possunt: propterea quod forma semper actu est, materia uero, potentia: actus uero fit utrunq; ut qui formæ, quod idẽ est ac si dicas, actionis, sit particeps. in illis autem, utpote quæ a materia penitus seiunctæ sunt tum substantia, tum recta, & immutabili de eis notione, nullus erit habilitati locus: ideoq; nec mutatio ulla, nec tempus, neque ad formam redactio, uel interdum, uel semper. atque ita nec sunt talis actus, nec dicuntur. formas autem ipsas a materia separabiles ipsos actus nominamus: actum a substantiis non distinguentes, ut in compositis facimus: sed eas in hoc in substantiam se induisse enunciamus. quocirca in duodecimo de prima philosophia, ueros deos actus esse substantia scripsit. in ijs enim, quæ apta sunt ut commutentur, in quibus spectantur hæc, quod potentia est, quod in habitu est, & quod in actione, potentiam ad habitum, habitum ad actum, ut ad proprium & peculiarem finem properantem cernimus. nullum enim fructum feret, si actus ipsius expers, infectaque remaneat.

[Quam ob rem Agrigentinus philosophus cum poëtas coargueret, qui fabulas de dijs, tanquam humana forma essent, confinxissent, de Apolline in primis, de quo proxime erat locutus, eodemq; modo de omni numine absolute hæc fere enunciauit,

» Humanum neque enim caput est in membra redactum,
» Nec gemina erumpunt ingenti brachia dorso;
» Non pes, non agile estq; genu, non hirta pudenda:
» Tantum illis sacræ, atque immensæ munera mentis,
» Quæ exagitat totum curis pernicibus orbem.

Atque eo quidem uerbo sacræ, innuit etiam clam causam mente superiorem. quanquam ne fabularum quidem auctores, ijs, qui illas audirent, occasiones præbere neglexerunt, quibus id, quod primo aspectu dici uidetur, nõ credant: sed uerum, & illis fabularum integumentis tanquam ænigmate inuolutum sensum perquirant, nisi stupidi, bardiq; sint. nam qui fieri potest, ut humana forma sint, quæ ex cœlo, terraq;, siue ex ijs quæ cernuntur, siue ut uera ratio tradit, ex ijs quæ oculorum effugiunt obtutum, & a causis abditis hæc etiam transcendentibus genita dicuntur? quis enim feret, ut uerba ipsa uidentur significare, cœli pudenda, & ea etiam præcisa? quis Venerem ex ipsis in mare abiectis natam? quis filiorum deuorationes, & eorundem euomitiones? quis cætera, quæcunq; fabulæ simplicioribus auxiliantes, huiusmodi fingunt? nam qua ratione deorum fieri concubitus dicemus? nonne qua ratione cœlum se terræ miscuisse aiunt, ita in illis intelligemus? sed redeamus, unde huc digressi sumus miseratione ducti adolescentulorum, qui fabulas esse historiam putant, neque obscuram illorum sententiam intelligunt.] huiusmodi ergo sunt simplices, atq; intelligibiles formæ: cõpositæ uero, quæq; ab illis progressum nactæ sunt, & participes sunt materiæ, quæ formæ perpetuo retinendæ sit apta, ut cęlestia, si in ijs quoque materiæ nomen communius usurpandum est: uel ipsam per uices accipiunt, atque abiiciunt, ut quæ infra globum Lunæ sunt: has actu, sed non actus esse dicemus. Et in quibus quod potestate est distinguitur tempore ab eo, quod actu est, in ijs potestate esse, erit prius tempore: esse uero actu, prius natura. oportet enim prius ad hoc aptũ esse, ut postea in illud redigatur, ad quod aptum erat. quoniam autem quod actu est, perfectum est, quod uero est potentia, imperfectum, perfectũ uero est imperfecto prius ordine naturæ, quandoquidem rerum ortus qui deinceps fit recto ordine a superioribus ad inferiora secundum naturã procedit, planum erit fore, ut quod actu est, eo quod potẽtia sit, prius natura censeatur. nisi enim homo actu prius extiterit, quomodo fœtus cõstabit, quem esse potentia hominem dicimus? magna latitudo est, seu potius altitudo eius complexus, quo id quod potentia est, cum eo, quod est actu coniungitur: cum in quibusdam ita uehementer ab actu potentia superetur, ut sola ratione, solaq; cogitatione ab eo separetur: ut in cœlestium substantia usu uenit. neq; enim unquã Sol fuit potentia, tum fuit actu: cum fieri nequeat, si Deus sit, ut inordinatum in rebus uniuersis præcedat ordinem, & decens dispositio confusam: neque uniuersitatis ædificator potuit quandoq; potentia esse, & imperfectus mundi opifex, quandoq; uero, actu, & perfectus mundi ædificator. demumq; consilij & electionis atque ex hac prouenientis ab eo quod a principio nolit, in id, quod postea uelit mundum ædificari, mutationis ac temporis particeps sit is Deus, qui mutationem, quæ in ordine perpetuo fit, ipsamq; essentiam rerum mutabilium, ac temporis in rerum naturam producit: in quibusdam uero ab ipso tempore quidem seiungatur, sed tamen ita, ut actionem habeat necessario consequentem: ut in motu ipsorum, qui in orbem fit, dignoscitur. erat enim Sol prius in Ariete potentia, uerbi causa: postea uero in ipso est, actu. sed nõ potest nõ esse, propter continuatam & perennem motionẽ, quæ in orbem fit. in quibusdam tamen potentia ab actu discernitur tempore, eaque non habent ipsam properantem, ut cernitur in ijs, quę in ortu sunt. quamuis enim fœtus sit potentia homo, nõ iam tamen necesse est, ut usque ad perfectum tempus utero geratur, & actu fiat homo, id enim declarant abortus, in quibus fœtus expelluntur. postremum in rerum natura ordinem sortiuntur quæ in sola potentia cõsistunt, nec unquam perduci ad actum possunt: ut continuorum sectio in infinitum, & numerorum accessio. nihil enim eorum unquã actu infinitum erit. nec tamen deerit eis progressio aut sectionis, aut accessionis: solumq; ad id apta sunt. Vide igitur decorum decessus rerum ordinem: quædam sunt ipsæ actiones, omnis prorsus mutationis, & motionis, quæ in mutatione fit, expertes: aliæ cum semper moueantur, in eo quod sunt, coniunctum semper habent actum potentiæ, in eo uero quod migrant, tempore quidem ab illa seiunctum, illam tamen necessario consequentem: alijs ita est comparatum, ut quodam tempore sint, & moueantur, & potentiam ad utrunq; obtineant, quæ, ut diximus, actum tempore præcedit, neque tamen eius est omnino particeps: aliæ denique, cum in sola potentia consistant, ad actum redigi suapte natura nunquam possunt.

QVINTA PARTICVLA.

Vtrum autem affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi contraria sit, ea quæ omnem hominem iustum esse dicit, illi, Nemo iustus est, an hæc, Omnis homo iustus est, illi, Omnis homo iniustus est: velut Callias iustus est, Callias iustus non est, Callias iniustus est. quæ inquam ex his inter se sint contrariæ, magna quæstio est. Si enim sensa animi imitantur quæ voce exprimuntur, illic autem contraria sententia de contrario est, vt hæc, Omnis homo iustus est, illi, Omnis homo iniustus est, certe in ijs etiam enunciationibus, quæ voce exprimuntur, ita res habeat necesse est. Sin minus illic opinio & sententia de cõtrario contraria est, ne hic quidem affirmatio affirmationi contraria erit, verum negatio, vt dixi. Quæ igitur opinio & sententia falsa veræ contraria sit, videamus. vtrum ne ea quæ negat, an quæ ait. Atque hinc nostra omnis manabit oratio. Est de bono sententia, quæ id dicit bonum esse: alia falsa, id non esse bonum: tertia, id malum esse. Harum vtra veræ illi sententiæ contraria sit: & si vna sit, vtra sit contraria, quæstio est.

Præceptio illorũ quatuor libri capitũ, quæ in initio proposuimus, absoluta est, ac liber de interpretatione finẽ conuenientẽ uidetur consecutus. cætera uero quæ deinceps sequuntur, nõ esse uera Aristotelis suspicor: sed addita ab aliquo, qui fuerit Aristotele posterior: cum uideã philosophũ cõtraria in suis libris ubiq; sentire ijs, quæ hoc loco statuuntur. Vel hęc quidẽ ab ipso esse cõscripta, sed qui uoluerit lectorẽ exercere ad eas diiudicandas rationes quæ probabiliter illæ quidẽ, non tamen uere dicerentur: nec secus faciat, quã is, qui rationes affert, quæ nõ facile cõuinci & redargui possint, quibus motus tolli uideatur. id quod fecisse Aristotelem scimus in categorijs, cum de ijs, quæ cum aliquo cõferuntur, disputaret: ubi ostendere conatus est, non omnino simul natura esse, quæ cum aliquo conferuntur, sed sensibile prius esse sensu: & quod sub scientiam cadit, scientia: cum tamen in secundo physicorũ theorema, quod simul constent quæ cum aliquo conferuntur, breuiter, simulq; dilucide, ac subtiliter exposuerit: nobisq; occasiones illorum quæ in categorijs dicta erant, dissoluendorum præbuerit. quæ res quoq;, ut opinor, in causa fuit, cur Porphyrius philosophus huius theorematis expositionem prætermiserit. si uero nobis cõsuetudini mos gerendus est, hęcq; digna iudicantur, in quæ aliquid studij ponamus, ut ab Aristotele elaborata, certe dicendum est, ei propositũ esse, uelle hoc loco theorema quoddã pertractare, quod propositæ facultati conueniat. cũ enim affirmatio quædam uera sit, ut Socrates iustus est, eiq; binæ propositiones falsæ repugnent: ut hæc eius negatio, Socrates iustus non est: & quæ contrariũ illi quod ab initio prędicatũ est, de eodẽ subiecto affirmat, ut Socrates iniustus est: utra ex falsis magis repugnare ueræ dicenda sit, perquirit: utrum inquam negatio, an contrarii affirmatio. decernitq; uehementiorem esse pugnam negationis cum affirmatione, quam sit affirmationis cõtrarii. Si uero falsa sit ea affirmatio, quæ initio posita sit, etiam quæ cum illa pugnant, si-

mili modo neræ erunt. quam ob rem ipse utranque in problemate posuit, quasi nihil intersit. ac modo ait, qualis uera opinio falsæ opinioni sit contraria: modo utra ex falsis ue rę aduersetur. idem enunciat de repugnantia propositionũ uniuersalium, quas aduersas nominamus. quocirca uidetur necessitate coactus hoc theorema discutiendum proposuisse: ut doceat, non temere eas aduersas appellandas esse, a nobis iudicari. nunc autem illarum solum oppositionũ mentionem facit, quas commemorauimus: at sub finem, etiam meminit uniuersalium cũ particularibus oppositionis: adeo ut hoc, quod modo agitur, pertineat ad ostendendum, pugnam negationis cum affirmatione, tum contrariæ, in quibus negatio potest esse affirmationi contraria, tum in omnibus eius quæ illi contradicit, maius habere inter se dissidium, si contrariarum affirmationum differentiis conferatur. ac merito quidem in his neque indeterminatas, neque subcontrarias ab eo acceptas esse, deinceps, ut tẽporis occasio nobis suadebit, ostendemus. hæc igitur ipse de iis ita statuit, forte eò respiciens, quod in omnibus absolute, quę sunt, quæque non sunt, negationem sumere possimus: in omnibus tamen non sit affirmatio contrarii. cum enim id, quod principio prædicatum sit, contrarium nullum habeat, utpote quod substantia sit, aut quantum, uel ab aliis categoriis ductum, in quibus contraria non sint, uel etiam medium sit contrariorum quorundam, tunc certe planum est, affirmationem contrarii non posse reperiri: cum ei oppositioni, quæ necessaria ad hanc tractationem uisa est, contradictoriæ inquam, præter cæteras omnes comparare alioqui dignitatem uelit. At magnus ille Syrianus optime, & subtilissime de hac quæstione sensit, ac perspicue admodum ostẽdit, res ut se habent natura, & mutuo discrimine, & item communes animorum nostrorum sententias quæque in nobis sua sponte excitantur, consonas esse iis affirmat, quę uoce proferuntur: & singula per se argumenta expendit, ac distincte docet, quidnam in eis recte, quid probabiliter, non tamen exquisite sit expositum. postremo omnium diuinissimum Platonem testem adducit, qui in Sophista negationẽ diuersum quidem aliquid ab affirmatione significare ait, sed non tamen illi contrarium: quod unum sit uni contrarium: neque enim naturam iniustam esse, quæ uni plures hostes compararit. magni autem negatio, ut in Sophista legitur, qua non magnum dicimus, nihilo magis paruum, quã æquale significat. quocirca in sexto quoque de rep. censet naturis robustioribus, quam imbecillioribus adhibendã eẽ maiorem curam, ne corrumpantur. cuius rei causam afferens, magis enim inquit, contrarium est malum bono, quam nõ bono, id est reliquo eorum, quæ a mali negatione significãtur. quamuis hoc, ut euidens, sit omissum, & non bonum sumptum sit pro eo quod est, neque malum, neque bonũ. Cẽset uero nos parere perfectiori Aristotelis doctrinę, quæ in decimo theologicæ facultatis habetur, cum plurimam esse contrarii distantiam a contrario affirmat, non autem negationis ab affirmatione, cum ait, Quoniam autem quæ inter se differunt, ut uel maiore, uel minore differant interuallo, usu uenit, erit etiam maxima differentia quædam. eã ipsæ uocat contrarietatẽ. & reliqua, quæ illic deinceps addit, non logica utens ratione, ut hic facit, quo ingenium, uti dixi, nostrum exerceat, sed confirmans in rebus ipsis, contrariorum differentiam esse aliorum omnium maximã: ideoque perfectam, nec quicquam habentem, quod extra ipsam possit excidere. atque ita etiam in categoriis hæc, nõ iustum, & non iniustum inter iustum & iniustum contraria, eaque plurimum inter se distantia, dixit esse intermedia. id quod ait cæteris omnibus contrariis conuenire, prout eorum definitio in categoriis exposita, postulat. cæterum in omnibus naturalibus libris contraria ex contrariis fieri enũciat: utpote quæ inter se plurimum differant, sintque definita. quod si quandoque fiant ex iis, quæ in medio sunt, quęq; simpliciter ab eius, quod fit, negatione, partim uero ab affirmatione eius, quod huic contrarium est, declarantur, ut album ex fusco quod fuscum simpliciter non album est, partim uero nigrum, ait ea fieri ex illis, non quatenus illa simpliciter a negatione eius, quod fit, significentur. sed quatenus partim participant contrarium, perinde ac negatio nõ perfectam omnino ab affirmatione differentiam per se comprehendat. Inde etiam fit, ut ab iis quæ Plato in Sophista memorauit, non dissentiat, cum ei quod est, non esse contrarium id, quod non est, affirmat in quinto physicorũ, ubi de contrariis motibus & mutationibus differit. consonum etiam iis est principium topicorum, in quo subcontraria uocat ea, quæ cõtradictorio nomine inter se opponitur: quasi non perfectam inter se contrarietatem obtineant. satis ergo iis erit, qui acri ingenio harum rerum iudicare ueritatẽ poterunt, si ea legent, quæ in hæc sunt ab illo scripta diuinitus. uerum quoniam ille de harum rerum contemplatione solum sibi scribendum proposuerat, neque in uerbis explanandis ullam operam ponit, ut quiuis etiam expleri posset auditor, conabimur nos huius quoque theorematis, qua forma cætera confecimus, explanationem conscribere. sed cum in pronuncianda sententia nihil, præter ea, quæ uir ille contemplatus est, excogitare potuerimus, non recusabimus uel ad uerbum ea adscribere interdum, quæ ipse monimentis literarum consignarit. Primum igitur ipsum per se problema considerantes, quamuis quædam sit in non albo aduersus album contrarietas, hanc tamen dicemus prorsus a nigro, non ex accidenti, ut ab amaro, uel calido, sed pro ipsa natura oppositionis contineri. ab amaro enim non magis non album, quam non calidum, aut aliquid aliud eorũ quæ non sunt generis eiusdem tolli significatur. nigrum uero per se, & primo ac præcipue aduersans albo, hoc est certe & definite, etiam solius albi sublationem significat: sed contrarietatem nigri cum albo, non iam omnino non albũ continet. nam non album est initium, ut ab albo differat. ut in decimo eorum, quæ metaphysica uocantur, dictum est: cumque hæc differentia procedens, & in totum progrediẽs ad finem peruenit, nigrum fit. hæcque aufert solum id quod est, illa uero etiam statuit contrarium. nam si uel in simplicibus uocibus dicat quis non album esse albo contrarium, is primum in idem rediget priuationem, & contrarietatem, deinde non unum uni contrarium ponit. nam non album est & fuscum, & pallidum, & flauum & nigrum. tum uero cõtrarium erit definito indefinitum & infinitũ. de omni enim re uel album uel non album dicetur: quapropter substantiæ contrariæ erunt albo, & item quantitates, ac cætera genera. sed quæ proprie contraria uocantur, oportet, ut ambo uel formæ sint, & utrunque potentiam & actum habeat, & alterũ pares alteri uires obtineat, ut repugnare mutuo possint, nec una forma ab altera corrumpatur, perfectioq; uniuersi perturbetur, ut in albo & nigro contingit, calidoque & frigido & cæteris omnibus huius generis: uel ut alterum sit extremus ab altero delapsus, & a finito nomine significetur, idq; nomen siue priuatione explicetur, ut fit in iniustitia, & amentia, siue non: ut in timiditate: sitq; natura aptũ, ut in illud reuertatur, ut in temperantia & proteruitate, omnique uirtute ac uitio, denique in bono & malo. nam malũ non est forma & finis, sicut bonum: sed tamen ipsum quoq; dicitur, ut quod sit extremus a bono delapsus, & nomine finito significetur, tum esse contrarium, cum natura aptum est ad formam, bonumque reuerti. cum autem eiusdem formæ in subiecto præsentiam, & absentiam absolute consideramus, aliam quandam oppositionem facimus, & nõ eam, quæ est contrariorum. ubi enim priuationem habet absentia uel eius ipsius potentiæ qua ad formam fit regressio, ea priuatio fit, de qua in categoriis dictum est. ubi uero solius actionis est priuatio, ibi ea efficitur priuatio, quæ apta est, ut in formam regrediatur: quam hac de causa, quamuis infinito nomine declaretur, formæ cõtrariã in physica acroasi nominandam censuit. Hæc igitur percurrimus, ut diuersas ueterum sententias de contrariis, de aientibus & priuantibus, de mali & boni oppositione, quę multis facessere negotium consueuerunt, distincte atque explicate proponeremus. quod si in uocibus simplicibus ita se res habet, planum est in orationibus enunciantibus quæ contrarium affirmat, eam uel maxime repugnare illi, quæ eius contrarium affirmet. conuenientia enim atque differentia propositionum in ui simplicium uocum, eas componentium spectatur. Nos uero non ita solum existimare, sed conseruare quoque humanam uitam iis sententiis, quæ per se in nobis nascuntur,

& quas a nemine perdiscimus, hinc perspicuum erit: bonum est ab omnibus expetendum, malum omnibus fugiendum. quis autem, nisi uicino uti bono liceat, duobus ei propositis ad eligendum, uti uelit uel non bono, uel eo qui omniũ consensu malus sit: atque ei, qui non iuuet eũ qui lædere conetur anteponat? nam si unus sit non bonus, & simul etiam sit malus, magis fugiendus erit: non quia non iuuet, sed quia præter quam quod non iuuet, etiam noceat. in iusto & iniusto est eadem ratio: & item in cæteris generis eiusdem. itaq; cum rerum natura, & enunciantium orationum facultas, de quibus agitur, ex his sit declarata, deinceps consideremus, quæ de eis in hac argumentatione exponuntur. Instituit ergo quæstionem harum omnium rationum auctor in propositionibus, quæ uersantur in oratione, quæ profertur, ac duas affirmationes sumit, alteram uniuersalem uniuerse, alteram singularem: ac singulari eam quæ uere ipsius negatio est, opponit, & item contrarij affirmationem: uniuersali uero ut negationem quidem opponit non eam, quæ illi contradicens est, sed eam quæ ei ut contraria repugnat: quę est uniuersalis negatio. præter hanc uero, etiam uniuersalẽ contrariam affirmationem. eiq; propositum est inuenire, utrum negationes sint magis repugnantes affirmationibus, an contrariorũ affirmationes. ac caute admodum quæstionẽ ad suum rerum propositarum principium reuocat, ad eas inquam orationes, quæ internæ nominantur, & ad opiniones quæ de rebus animo insitæ sunt: a quibus orationes quę foras emittuntur, proferimus: putatq; quo modo prædictarũ propositionum oppositiones in opinionibus se habere nisæ sint, eodem quoq; se habere in enunciationibus iis, quæ uoce proferuntur. id enim & recte excogitatum, & sapienter ab ipso dictum est. Si uero propositiones uniuersales, quęq; contrariæ dicuntur, hoc nomine appellamus per similitudinem earum, quæ proprie contrariæ sunt, utpote quæ simul quandoq; mentiantur, planum est, ipsarum pugnam, & mutuam contrarietatem fore imbecilliorem, quam sit pugna earum, quæ primo & præcipue & maxime proprie contrariæ nominantur. hæ autem utique fuerint, quæ de eodem affirmare contraria audent. Verum si hasce argumentationes singillatim expendamus, id diligentius perspiciemus: præterea uero quonam pacto oppositio contradictionis affecta sit ad contrariarum affirmationum oppositionem, quæ modo nobis consideranda proponuntur, intelligemus. Quod autem ad uerba attinet, quod ait, [Si.n.sensa animi imitantur ea, quæ uoce exprimuntur.] positum est, enim, pro autem: cum nullius rei antedictæ causam afferat, ut coniunctio causam indicans afferri debeat: sed rationẽ ac uiam tradit, qua maxime repugnãtes propositiones a causis ipsis progrediẽtes æstimemus. quod uero ad extremũ ait, [& si una sit, utra sit cõtraria?] habet hunc sensum. est opinio de aliquo bono, ut de temperantia, quæ id ipsum esse bonum enunciat: est altera quæ dicit, id non esse bonum; tertia, id malum esse, contingit inquit, negationem quæ dicit, temperantia bonũ non est, & eius contrarij affirmationem hanc, temperantia malum est, interdum dissentire, interdum uero inter se cõcurrere. nam quoniam contrariorum quædam medium habent, quædam medio uacant, si prædicata sint ex contrariis inter quę media intercedant, tum contrarij affirmatio negationem non consequetur. quod enim non album est, id non iam esse nigrum necesse est. sin ex medio uacantibus sint, tum & negatio, & contrarij affirmatio idem significabunt, cum de aliquo, in quod cadere contrarietas possit, enunciabuntur. ut enim quod impar est, statim non est par, ita etiam non par necesse est impar esse. in quibus ergo cõcurrunt negatio & contrarij affirmatio, in iis nõ iam possumus ut in differentibus quærere utra earum magis repugnet ei affirmationi, quæ sit initio constituta: propterea quod ambæ modo unæ sunt potentia. censet autem quæri oportere, qua in re hęc, quæ potentia una est, magis repugnet affirmationi initio propositæ, utrum in eo, quod negat id quod inest, an in eo, quod affirmat id, quod non inest. ut huic propositioni, tria paria sunt, repugnant hæ, tria paria non sunt, &, tria imparia sunt: q̃ ambę idem significant. itaq; inquirit qua in re hæc, nõ paria, & ĩparia, magis pugnẽt cũ paribus, utrũ quatenus nõ paria, an quatenus imparia dicãtur.

Atque illud quidem falsum est, ex eo iudicari contrarias sententias esse, quia sint ex contrarijs. Nam illa de bono sententia, id bonum esse, & de malo, id esse malum, eadem fortaßis etiam uera sit, siue multæ sint, siue una. Sunt autem hæc contraria, non quod contrariorum sint contraria, sed potius quod contrario nomine opponantur.

Eam sententiam, qua ducuntur illi, qui dicunt, uehemẽtissimam propositionum pugnam conspici in opinionibus, quæ de contrariis habentur: in primis coarguere uult hæc oratio, quæ uelut aduersaria se se illi conatur opponere: aitq; non rectum esse ex eo iudicari contrarias sententias, quod de rebus contrariis enuncientur: eam enim, quæ opinatur, temperantiam bonum esse, & eam, quæ intemperãtiam esse malum, de contrariis quidem & subiectis & prædicatis enunciari: non tamen esse inter se contrarias: propterea quod usu ueniat, ut hæ simul ueræ sint. at contrariæ simul uerę esse nunquam possunt. neque enim omnino simul esse contraria queunt: sed iudicandum potius contrarias esse sententias, quod de rebus ipsis contrarie enuncientur: ut affirmationes & negationes affectæ sunt: quemadmodũ argumentis consequentibus affirmare conabitur. quod autem ait, [siue multæ sint, siue una.] dictum est de illa, quæ bonũ esse bonum, & de illa, quæ malum esse malum dicit: quandoquidem multæ sunt, utpote quæ diuersis & subiectis & prędicatis utantur: una tamen esse uidebitur, non solum in eo, quod simul uerum dicant, sed quod ab uno uitæ genere, atq; una affectione producantur. Aduersus hæc autem dicẽdum est, qui existimant contrariarum affirmationum pugnã præstare ei, quæ ex contradictione existit, non esse dicturos, eas esse contrarias opiniones, quę de rebus absolute contrarijs enunciantur. non enim eas affirmabunt, quæ cõtraria de contrariis, sed quę contraria de eodem opinãtur. eę nanq; sunt, quæ re uera contrarie opinantur.

Quòd si sententia de bono est, id esse bonum, alia nõ esse bonum: & si est etiam aliud quiddam, quod nec in bonum cadat, nec cadere poßit: profecto neutra ex illis alijs statuenda contraria est, quæ cadere dicunt quod non cadit in bonum, & cadere negant quod cadit. (utræque enim hæ incertæ infinitæq; sunt, & quibus ineße aliquid confirmamus quod abest, & abesse quod adest negamus) sed eæ demum statuendæ sunt, in quibus falli & decipi solemus. Ex quo sunt genere eæ, quibus ortus rei traditur. Atqui ex contrariis ortus omnis constat & nascitur. Ergo etiam fallaciæ.

Hoc secundum argumẽtum nobis ad quęstionẽ propositũ datum est, quo contradictio deinceps comparetur affirmationum contrariarum oppositioni. hoc autem hoc pacto deducitur. quoniam consilium nostrum est, inuenire utra ex falsis opinionibus sit uerę contraria maxime (quam ad rem utitur aperto & noto effato, unum uni esse contrariũ) ideo concluditur, negationem esse affirmationi maxime aduersariam. nam quia infinitæ sunt, inquit, falsę affirmationes, quę cum illa pugnant, itemq; falsę negationes, quibus inesse aliquid confirmamus quod abest, & abesse quod adest negamus: ut cũ hac affirmatione quę bonum esse bonũ ait, pugnant hę affirmationes, quibus dicitur, bonum est fugiẽdum, bonum est malum, bonum est noxium; & hę negationes, bonum non expetendum, bonum non utile, bonũ non optabile est: neque aliam magis, quam aliam, falsam dicemus, profecto nullam harum esse ei, quę bonum esse bonũ statuit, contrariam asseremus. utręq; enim hæ incertæ, infinitęq; sunt. unum enim uni, & definitum definito contrarium est. cuius ergo regulæ usu unam illam, & quę cum ea definite & certe pugnat, inueniemus? origine inquit, & quasi radice fallacię. hęc enim, ut inter omnes constat, una est, & certa, ac definita. etenim fallimur, cum id, quod bonum est, esse noxium, aut malum, aut non utile, aut non optabile, existimamus: quorum omnium unum principium est, quod ipsum non esse bonum existimemus. cum uero hanc fallacię originem nobis uellet ostendere, dixit esse eã, ex qua ortus ducitur: ortum uero ex contrariis nasci. hoc

est,

est, ex propriis priuationibus & negationibus eorum, quæ fiunt, atque nascuntur. nam album ex non albo tale fit: & homo ex non homine: eademque absolute est in omnibus iis, quæ fiunt, ratio. quam ob rem in iis etiam fallacia, & definita contrarietas, & ob eam ipsam causam pugna præcipua uersatur. Ad hæc autem dicendũ est, oportere uni unũ esse perspicue aduersarium: neq; conuenire, eam quæ bonum esse malum statuit, ut unam ex multis poni, & quæ adesse bono quę ab eo absunt, enunciẽt. ut enim in negationibus infinitis, quæ adesse ei, quod abest enunciant, una erat certe & definite quæ cum illa pugnabat, quę bonum nõ esse bonum dicebat, ita in affirmationibus infinitis, quæ aiunt ei adesse quæ absunt, una certa, ac definita sit oportet, quę cũ illa pugnet, quæ bonũ esse malum dicat: eaq; quę a negatione significantur, & infinita esse, & incerta, atq; ideo fieri, ut in omnibus & quæ sunt, & quę non sunt, uerum & falsum cum affirmatione distinguant: affirmatio autem unum, & quod re uera certum, definitumq; sit, significet. cũ hæc dicenda sunt, tum uero originem fallaciæ re uera esse eum errorem, qui ex contradictione contingit. id autem certæ notę argumentum est, non intercedere plurimum spatij inter ea, quæ per contradictionem opponuntur: neq; enim in eis falli contigisset. constat enim potius in similibus, & iis quæ inter se uicina cognataq; sunt, decipi, quam in iis, quæ natura multum distant: quemadmodum palumbum potius columbum, quam coruum esse, aut lupum potius esse canẽ, quam leonem quispiam putabit. quocirca Socrates in Phędro ait oratores dare operam, ut iudices decipiant usu rerũ consimilium potius, quam earum, inter quas sit magna distantia. cum enim accusant, qui peritiores sunt, uirtutes ad proxima uitia transferunt: ut cautum non audacem, sed timidum: & eum qui diligenter rem familiarem tuetur, non prodigum, sed auarum nominant. qui uero defendunt, contra faciunt, siquidem uitia in uirtutes cognatas commutãt: ut cum prodigum liberalis nomine, & audacem fortis appellãt. Præterea recte dictum esse affirmabimus, omnes ortus in uniuersum absoluteq; ex priuationibus nasci: quas fieri negationes ipsæ declarant. cum tamen id quod fit, cõtrario modo se habeat, tum, ut in physicis ostendimus, quod fit, ex contrario quidem primo & præcipue oritur: sed ex negatione, non primo & præcipue: uerum quatenus negatio & contrarium & ea quæ intermedia sunt, significat. quæ uero sunt intermedia ex contrariis existunt. nam album ex non albo quidem, non tamen ex quouis albo, sed uel ex nigro, uel ex intermediis: atq; ex intermediis quidem, quia unumquodq; eorum quadam ex parte est nigri particeps.

Si igitur bonum bonum est, non malum: illud quę sua ui hæreat, hoc ex accidenti (accidit enim ut non sit malũ) uerior autem ea est de quaq; re enunciatio, quæ sua ui ex se & per se uera est, & falsa magis quæ suapte sponte & per se falsa: profecto falsa sit necesse est, tam ea sententia qua bonum non esse, bonum defenditur, quia de eo sit quod sua ui hæret, quam ea quæ bonum in malis esse confirmat, quod forte id & temere non conueniat. Ex quo efficitur: ut magis falsa sit ea sententia, quæ negationi contraria est, quam quæ ex contrario. At is demum errat in quaq; re uehemẽter, qui in diuersa & contraria sententia est. Siquidem cõtraria dicuntur ea, quæ in eodem genere plurimum differunt. Quod si harum altera contraria est, magis autem ea est contraria quæ negat: certe hæc ipsa sit contraria necesse est.

Cum in hoc tertio argumento contraria prędicata de eodem, ut de quodam bono ipsum rursus bonum & malum, tũ affirmando, tum negando acceperit, ut quatuor inde propositiones fiant, duæ ueræ, quarum altera bonum esse bonũ, altera bonum non malum esse dicit: duæ uero falsæ, quas ẽt comparare inter se constituit: quarum altera bonum nõ bonum, altera bonum esse malum ait: ex eo, quod in ueris cernitur, id etiam in falsis euenire, conatur concludere. quoniam enim inquit ex ueris altera per se uera est, altera ex accidenti, ac per se quidem ea, quæ bonum, bonum dicit, ex accidenti uero, quæ bonum non malum ait, quod hæc non sua sponte & per se bonum statuit, sed solum tollit contrarium, (cum enim magis proprie locutus esset, si dixisset, eam propter aliud ueram esse, ex accidẽti dixit) propterea quod non tollendo quoduis præter bonum, habet, ut uere dicatur, sed eo qđ cũ certo ac definito eius aduersario pugnet. cum ea .n. quæ bonũ per se dicit, pugnat ea, quæ bonũ non bonum asserit: cum ea uero, quæ ex accidenti, ut ipse ait, uera est, ea pugnat, qua bonum esse malum dicitur. si autem quæ tollit eam quæ per se uera est, per se est falsa, etiã quæ tollit eam quę per accidens est uera, per accidens erit falsa. nam per se falsa est, quæ bonum non bonum esse ait: p accidens uero, quæ bonum esse malum. quæ autem sua ui & per se falsa est, magis falsa est, quam quæ per accidens: ut etiam magis uera est, quæ per se uera est, quam quæ per accidens: ut quæ naturam ipsam rei aperiat, quæ autem magis falsa est, ea plus distat a uera, quam ea, quæ minus est falsa. quam etiam ob rem cum illa magis pugnat. ergo magis pugnat cum uera affirmatione eius negatio, quam falsa affirmatio. quod nobis erat probandum. Cum hæc satis acute dicta sint, illud animaduertendum est, eũ existimare, falsam esse eam, quæ dicit, bonum malum esse, propterea quod auferat hanc, bonum non malum est: ideoq; ex accidẽti falsam esse, quasi ea falsa sit, quod tollat eam quæ per accidens uera est. potius enim dicendum est, quia tollatur quæ bonũ esse malum ait, ab hac, quæ non malum esse dicit, ideo ueram hanc esse: non autem quoniam illam tollat, quæ bonũ non malum dicit, falsam esse hanc, quæ ipsum malum esse affirmat: uerum per se, atq; in primis. nam si de aliquo medio, & indifferenti eiusmodi propositiones enunciarentur, uera per se illa esset negatio, quæ bonum non malum statueret: falsa aũt, quæ ipsum malũ esse poneret affirmatio: qđ eam adimeret, quæ ipsum non malum esse confirmaret. nuc uero cum de bono facta enunciatio sit, profecto ex se & per se, & non propter aliam falsa est quæ ipsum esse malum enũciat: ut quæ illi contrarium afferat. ergo non est magis cõtraria opinio negationis: neq; is, qui in hac opinione est, magis mendax est, sed is qui contrariæ affirmationis opinione est imbutus. negatio enim id solum tollit, prędicatũ pure & sincere subiecto inesse: affirmatio uero præterquam quod hoc facit, contrariũ quoq; ei attribuit. quocirca neq; pure, neq; sine mixtione quadã ex parte ipsum subiecto inesse concedit. sic enim de singulis loqui consueuimus, si a bono separare uelimus: ut non solum non bonum, uel non esse bonum, sed plane etiam malum esse dicamus. Cum autẽ hæc argumentatio apertissime confirmare nitatur, affirmationi, quæ initio statuta est, magis contrariam fuisse negationem, quam sit contrarii affirmatio, magisque conuenire oppositioni contradictionis contrariorum definitionẽ, quã ipsis contrariis, plane constat, stultum esse dicere, non esse auctori in his propositum, ostendere negationem magis, quam contrariam affirmationem, contrariam esse, sed potius oppositam: eo tamen sensu, ut simpliciter opposita, & non contraria intelligamus: nesseque docere, hoc ipsum quod est esse oppositum, magis conuenire negationi: utpote quæ tollere affirmationem uelit, quam affirmationi contrariæ, quæ nõ aufert, sed ponit nõ secus, quã prima affirmatio: cũ neq; uerba quicq̃ tale indicẽt, sed quęnã sit magis falsa, & magis a prima affirmatione distet: neq; ullam rõnẽ habeat quęstio. neq; enim quęret quispiam, utrum magis neget negatio, quam affirmatio contrarij: neq; cũ quęstio est, quænam sit magis opposita, aliud quicquam quærimus, quam, quæ ab ea, quæ primo statuta est, magis distet: siquidem significatio oppositorum quandam distantiam, pugnãq; eorum quæ opponi dicuntur, uel remissiorem, uel interiorem declarat. maior enim est contrariarum formarum inter se distantia, quam in qualibet specie ab eo quod non est ad id quod est. nam in finibus ac terminis maxima distãtia est: non tamen qui finis non sit, ad finem. etenim quæ diuersi sunt generis, ut uidere est in libris, qui metaphysica inscribuntur, ne comparari quidem inter se possunt: ut albũ cum homine, uel etiam calidum: ac multo magis non comparãtur cum eo quod non est. quocirca album in iis, quæ a non albo significantur, comparari solum potest cum iis, quæ si-

milis

milis sunt generis. eorum autem, quae sunt similis generis, in contrariis maxima distantia est. at si dicat quis, oportere non ens potius enti, quam ens enti opponi, is sciat, entium in eo quod entia absolute sint, nullam esse inter se oppositionem: ut etiam nulla est inter colores, quia colores sint: quẽadmodum in Philebo scriptum reliquit Plato: ac solum id, licet indefinite pugnare, enti non ens, non autem, nullo modo ens: siquidem illud neque dici potest, neq; in opinationem cadit: sed ut in Sophista probatum est, quod per uarietatem est non ens. quanquam ne hoc quidem re uera cũ illo pugnat, (nam quomodo id contendat, quod ne cum illo iungatur, ne recusat quidem?) immo uero circa ipsum omnino spectatur: ut cum dicimus, ens simpliciter non esse idẽ, quod motum, uel quod quietem, uel idem quod aliam quãdam speciem praeter ipsum. Simili quoq; modo unũquodq; eorum non esse idem quod simpliciter ens, sed illius participatione in entium numero censeri: sed uim uarietatis in omnibus iis, quae sunt, distributam significare. nobis uero nõ est hoc tempore instituta disputatio de ea uarietate, quae inter simpliciter non ens, & simpliciter ens uersatur: cui neque quicquam contrarium est, neque aliud quicquã ex iis contrariis, quae contrarietate praedita sunt, de eo dici aptũ est: sed de oppositione contrariorum, & infinitorum nominum, aut uerborum ad finita: quae entibus particularibus conuenit. ex uocibus enim simplicibus eas quae cum negãte particula pronunciantur, infinita nomina, infinitaq; uerba nominamus: propterea quod tam in iis quae sunt, quam in iis, quae non sunt, praeterquam in eo quod a finito significatur, uere dicantur. quam ob rem in orationibus negantibus similia quoq; eueniant necesse est. sed hę nugę fortasse etiã dignae non sunt, quae commemorentur, quam ob rem ad cõsequentia transeamus.

Illa autem altera, qua bonum in malis esse defenditur, cum ea implicata est: propterea quod eundẽ necesse est fortasse bonum non esse in bonis putare.

Quarta argumentatio paucis exposita hũc sensum habet. simplex inquit, opinio est, q̃ nos nõ cogit, ut aliquid aliud praeterea intelligamus, nõ simplex uero, quae facit, ut aliud quid etiam opinemur. ergo simplex opinio est, quae bonum esse bonum enunciat: ut etiam ea, quae non bonum esse putat. neq; enim necesse est ex utrauis harum ullam aliam opinionem introduci. non simplex ea est, qua bonum esse malum statuitur: propterea quod necesse est aliam quoq; opinionem inuehi, qua ipsum non esse bonum asseratur. ergo si simplici opinioni opponenda simplex est, & nõ implicata, fiet, ut negationem opponi affirmationi, & non contrarij affirmationem dicturi simus. hęc autem etiã dissoluemus ac dicemus, plurimum differre ab ea quae bonum non bonum dicit, eam quae bonum esse malum ait, quia per non boni spatium gradiens ad extremũ peruenit. primus enim egressus a bono, est non bonum: extremus lapsus, malum. quocirca quae id affirmat, magis contraria est: utpote quae etiã boni negationem comprehendat. an uero etiam boni negatio implicata est. necesse enim omnino est, ipsum non bonum, si inter ea quae sunt reponatur, aliud etiam quidpiam esse, sed infinitum. quare neque contrarium hac rõne erit. unum enim uni contrarium est, ac finitum finito. quod uero addidit, ἴσως, pro simili modo dictum est. eodem enim sensu dicimus bonum esse malum, & esse non bonum. uel significat fortasse, & hanc argumentationem non necessariam, sed probabilem esse primum propterea quod utrunq; contrariũ per se se cõsideratum uult esse simplex species: deinde, quia si dicamus implicatam esse hanc, quae bonũ esse malum statuit, quod non bonum introducat, etiam quę bonum esse dicit, erit coniuncta, quoniam inuehit non malũ. quod si quae bonum esse ait non malum, non una est è propositionibus, quae inter se comparantur, nihil refert. nam simplex & compositum non in relatione quarundam definitarum propositionum, sed in propria cuiusque ui & facultate spectamus.

Iam uero si in caeteris omnibus eodem modo res habere debeat, etiam hac ex parte uere dictum est à nobis. Aut enim in omnibus ea quae repugnat & contradicit contraria est, aut in nullis. Quorum autem contraria sunt, nulla in ijs falsa ea sententia est, quae cum uera pugnat. ut is qui hominem non esse hominem putat, fallitur. Si igitur hae contrariae sunt negationes, etiam aliae quae contradicunt.

Huius quintae argumẽtationis sententia plana est, & perspicua etiam dictio, quae iubet nos mentem adhibere, utra ex collatis inter se propositionibus accommodata esse ad id queat, ut una uniuersali regula aliquam propositionẽ cum quauis affirmatione proposita pugnantem inueniamus, atq; eam esse, quae maxime proprie illi opposita sit, dicamus: ob eamq; causam praestantiorem esse contradictionis pugnam enunciet. ac negationem quidem cuiuscunq; affirmationis inuenire facile est, quodcunq; praedicatum in affirmatione fuerit. at contrarii affirmationem nullo modo comperies, nisi quod in affirmatione praedicatum sit, contrariũ habeat. huic enim Socrates homo est, quaenam repugnabit affirmatio contraria? atqui Socrates homo non est, negatio falsa cum ea pugnat, quae uera est. Ut igitur in his solã negationem cum affirmatione pugnare confitemur, sic etiã in aliis, in quibus contrarii affirmatio inueniri non potest, negationem esse maxime aduersariam iudicat. Dicendum est, ubi nobis non suppeditatur oppositio contrarij, nos sola priuationis, negationisq; oppositione esse contentos. ubi uero etiam contrarij oppositio potest suppetere, ibi plus differre inter se contrarias affirmationes, quam affirmationis negationem. dictum uero nobis initio est, uideri ab hac instituta disputatione, propterea quod hoc late pateat, & ad omnia se se porrigat, ita contradictionis oppositionem celebrari, ac laudibus ornari: ut quę cęteras non modo rerum cõprehensarum magnitudine, sed oppositionis quoq; uehementia longe superare uideatur.

Praeterea eadem est ratio eius quae bonum in bonis ponit, & eius quae non bonum in non bonis: & praeterea eius quae bona in non bonis, & eius quae non bona in bonis collocat. Et ergo sententiae uerae quae non bona in non bonis putat, quae tandem contraria erit? Non ea quidem quae in malis non bona ducit: quandoquidem simul uera est interdum, & uera uerae esse contraria nullo modo certe potest. Aliquid enim quod non est bonum, est in malis. Ita uerae simul esse possunt. Nec uero ea contraria erit, quae non bona in non malis numerat, siquidem haec quoque uera est, & simul esse possunt. Relinquitur ergo ut eius quae non bona in non bonis numerantur, illa contraria sit sententia, quae non bona in bonis esse dicit, quoniam falsa est. Ita huius, Bonum non est bonum, haec, Bonũ est bonum contraria est.

Ultimum hoc argumentum est, omniumque eorum, quae ad quęstionem propositam allata sunt, explicatu difficillimum. quod huiuc in modum adducitur. capit duas boni cõtradictiones, alteram quę finito, alterã quae infinito subiecto utitur: ut quae bonum in bonis, & bonum in non bonis, & quae non bonum in bonis, & non bonum in nõ bonis ponit. ac censet, ut se habet uera negatio ad falsam affirmationem ei oppositam, ita se habere ueram affirmationem ad falsam ei oppositam negationem. hoc est, ut haec, non bonũ est non bonum, ad hanc non bonum est bonum affecta est, ita hanc, bonum est bonum, ad hanc bonum nõ bonum est, esse. tum cõparata uera negatione cum ambabus cõtradictionis propositionibus, ut quae malum de eodem subiecto praedicat, id est, de non bono, & ea, quae non bonum esse malũ ponit, & non bonum statuit non malum, neutri illarum ipsam esse contrariam ostendit: siquidẽ in prauo habitu conuenit cum illa, quae non bonum in malis collocat: in mediocri uero, cum illa, quae non bonum esse non malum ait: & item in ijs, quae non apta sunt, ut alterutrum extremum accipiant, ut in lapide, aut ligno: propterea quod in ijs non bonum, & non malum uere dicuntur. quae uero simul conueniunt, contrariae esse non possunt: quemadmodum etiam contrarię simul uerae esse nullo pacto queunt: ut ex euidentia constat, & ipse in extrema hac tractatione probabit. si igitur ei opinio-

ni,quę non bonum non eſſe bonum uere affirmat, neque ea, quæ non bonum eſſe malum,neque ea , quæ non bonum eſſe non malum ſtatuit,contraria eſt,ſed ea ſola , quæ illi contradicit , quæ non bonum eſſe bonum affirmat : ergo ei etiam, quæ bonum in bonis ponit,quæ affirmatio eſt , non aduerſatur nec quæ bonum eſſe malum,nec quæ bonum non malum aſſerit : eiq; ſola erit contraria,quæ illi contradicit, quæ bonum eſſe non bonum declarat . atque id eſt, quod nobis erat oſtendendum . Sed ad hoc etiam argumentum dicendū eſt, ei quæ non bonum eſſe non bonum dicit,quæ negatio eſt,& ob id prædicatum infinitum habet , facile eſſe reperire propoſitionem , quæ ei contradictorio nomine aduerſetur : ſed inueniri quæ cōtrariū quidpiam affirmet,nullo modo poſſe. infinito enim contrarium eſt nihil : ſiquidem oportet,ut cōtraria ſint ſpecies quæ inter ſe diſtent plurimum . at non bonum , & non album priuationes ſunt quædam , non ſpecies. itaq; cum non ſit quæ ei contrarium poſsit affirmare , certe contenti erimus , ut quæ contradictorio nomine repugnat, ei opponamus . & tamen ei,quæ bonum eſſe bonum ſtatuit, non ſolum eius negatio aduerſatur, ſed etiam contrarij affirmatio , propterea quod & bono ipſi & albo & non bonum, & non album,ut priuationes habitibus aduerſantur : malum autem & nigrum,ut contraria . ergo non eodem modo affecta eſt in omnibus,quæ non bonū non bonum eſſe decernit, ad hanc quæ non bonum bonum putat : & quæ bonum bonū aſſerit,ad hanc,quæ bonū non bonum ducit : ſiquidem huic, quæ non bonum ſtatuit non bonum eius ſola repugnat affirmatio,cæteræ ueræ eſſe ſimul poſſunt : cum ea uero, quæ bonum dicit bonum,nullo modo uera eſſe poteſt , quæ bonum eſſe malum ait . uerba autem ipſa plana ſunt ex ijs,quæ diximus . niſi quod ait, [ſiquidē hæc quoq; uera eſt,] ſcribi etiā admonet Alexander, ſiquidem hęc quoque non uera eſt . ac ſi legatur hoc modo,ſiquidē uera eſt,de ea intelligetur, quæ non bonum eſſe non bonum cenſet : ſi legas,nō uera, de ea, quæ non bonum eſſe bonum affirmat : quam etiam falſam eſſe ſupra dixit : perinde ac dixiſſet,hæc enim nunquam uera eſt . ſed priorem lectionem præſtare perſpicuum eſt.

Ex quo perſpicuum eſt , nihil intereſſe , vtrum omnis in affirmatione,necne , collocemus . Nam contraria erit uniuerſa negatio . Vt illi opinioni , Omne quod bonum eſt , eſt in bonis : hæc repugnat , Nihil quod bonum eſt , eſt in bonis . Et certe ſententia ea qua bonum eſſe bonum putatur, ſi bonum totum & omnino dicatur , idem valet quod hæc, Quod bonum eſt , id eſt in bonis . Inter hanc enim & illam, Quicquid bonum eſt , id eſt in bonis , nihil intereſt . Quod idem in eo quoque quod non eſt bonum contingit.

Cum principio pollicitus eſſet , ſe uelle propoſitam quæſtionē in ſingularibus , uniuerſalibuſq; propoſitionibus expendere, in nulla autem argumentatione propoſitionē adhibuerit,cui uniuerſalis iuncta ſit determinatio,ſed pro eis articulos poſuerit, ut uideatur ob hanc rem in ſolis indeterminatis propoſitionibus rem pertractare : ideo declarat his uerbis,articulos ſingulares , quos Græci ſubiectis uniuerſalibus in propoſitionibus iungunt , uim uniuerſalis determinationis aientis habere . neque enim eſt, ut quidam putant, ut hactenus de indeterminatis actum ſit , nunc uero eadem conuenire in uniuerſalibus diſſeratur . Omnino autem non eſt Ariſtotelis ſententiæ conſentaneum quæ de indeterminatis propoſitionibus eſt , ut dicas in eis negationē eſſe magis contrariam affirmationi , quam ſit affirmatio contrarij: ſicut neque etiam in particularibus : ſiquidem indeterminatas non ſecus quam particulares ſimul ueras eſſe exiſtimat, ac ueram cum uera . id enim eſt,quod ad finem huius tractationis dicetur, Veram enunciationem , uel ſententiam ueræ contrariam eſſe non poſſe . quocirca in ſolis ſingularibus, & uniuerſalibus uniuerſe propoſitionibus uidetur primo theorema tractauiſſe,quarum alię ſibi mutuo contradicunt, aliæ uero falſę ſimul ſunt,atque ideo contrariæ nominantur. paulo autem poſt eius quoque oppoſitionis,qua uniuerſales particularibus cōtradictorio nomine opponuntur , mentionem faciet : nullibi tamen aut indeterminatas , aut particulares , ceu repugnantiā ullam habeant inter ſe , memorabit. eſſe uero hanc ipſius ſententiā,nempe articulos, ut dixi,ſingulares parem uim habere,ipſe modus cōfirmationis declarat : quo oſtenditur , eadem uniuerſalibus propoſitionibus conuenire,quæ dicta ſunt conuenire in ijs, in quibus articuli ſingulares ſubiectis uniuerſalibus cōiuncti erāt . ait enim idem eſſe,ſi dicas,bonum eſſe bonum,& quod bonum eſt,id eſſe bonum . quod nihil differre ab uniuerſali ab hac inquā, omne quod bonum eſt,bonum eſſe,putabitur . quocirca uſu etiam receptum eſt,ut in quibus prędicatum omni ſubiecto ineſt , ſubiectum cum articulo proferamus , & idem , quod uniuerſale, nos dicere exiſtimemus : in quibus uero nō omni,non item . dicimus enim ὁ ἄνθρωπος , id eſt homo eſt animal,& eſt bipes : nō tamen dicimus ὁ ἄνθρωπος , id eſt homo albus eſt , uel iuſtus eſt . habere tamē in memoria debemus, quæ ſupra de hiſce dicta ſunt nobis : ſignificari ab uniuerſali determinatione omnis, multitudinem eorum , quæ ſub uniuerſale ſubiectū referuntur : ab articulo uero ſingulari unā ipſius naturam a multitudine profectum . Ex articulis uero dualis numeri,& multitudinis , ſi quid de eis quoque dicendum ſit,qui ſunt dualis numeri perſpicuam habent ab omnis differentiam : nam neq; omnis in ſolis duobus dicitur , neq; illi in pluribus,quam duobus dici poſſunt . huius rei cauſam affert principium libri de cęlo . quoniam uero numeri multitudinis articuli nihil ab omnis poteſtate differre uidentur, ut omnis homo mortalis eſt,οἱ ἄνθρωποι, id eſt homines mortales ſunt , fortaſſe de eis quoque poterimus decernere , in quibus omnis uere dicitur , in ijs articulos quoque plurales uere dici omnino . idem nimirum ſignificat hæc, omnis mortalis,quod hæc,omnes mortales : ac neceſſe eſt, ut οἱ articulus in hoc poteſtate comprehendatur : ut etiā ſine hoc uerbo omnis , uere dicturus ſit , qui aiat , οἱ homines mortales. non tamen reciprocatur, ut exiſtimemus , in quibus articulos plurales proferentes uerum dicimus , in eis etiam omnis uere dicatur . hoc enim nihil relinquit eorum , quæ ſub uniuerſali continentur : articulos uero plurales uere dici putamus , etiam ſi in pleriſq; tantum uerum ſit , quod enunciatur . facilius ergo cōcedemus eum uera loqui , qui dicat, οἱ Athenienſes temperati ſunt , οἱ Lacedæmonij tolerantes ſunt,οἱ Myconij calui,quam eum, qui determinationem omnes,ſingulis adiungat . ad ſummam ſi præter articulū, determinatio quoque proferatur, exiſtimamus communiſſimam fieri enunciationem : neque fruſtra additam . ergo ſi articulus ſolus dictus ſit , non iam omnia , quæ ſub communi ſunt, comprehendi iudicamus . quare Iupiter quoque apud Homerum non ſimpliciter & abſolute Agamemnoni per ſomnum iuſſit Græcos in aciem producere , ſed adiunxit , cum toto exercitu : quod ille minime animaduertens , ſibi ipſe cauſa fuit ; ut quod ſperarat , non ſit conſecutus . ac Demoſthenes,cum dixiſſet, Primum Deos rogo, addidit , omnes. cum plenius & perfectius ſe omne numen illa additione cōprehenſurum eſſe iudicaret : ſed ad rem propoſitam reuertamur : dicamuſq; , ſiue definitus , ſiue infinitus ſit ſubiectus uniuerſalis , articulum ſingularem ei additum eandem uim, qua uniuerſalis determinatio prædita eſt , eſſe habiturum. quam ob rem addidit hæc uerba, [Quod idem in eo quoq; , quod non eſt bonum,contingit .] quibus uerbis indicat, uel in iis etiam propoſitionibus , quæ infinitum ſubiectum habent , præcipuam pugnam ſpectari in contradicentibus propoſitionibus, ut ea quæ id quod non bonum eſt,bonū ſtatuit: & quæ quod non bonum eſt , non bonum ponit : nam ut dictum eſt , ei quæ ex iis uera eſt , contrarij affirmatio repugnare non poteſt . atq; alia omnia argumenta nihilo magis accommodabuntur propoſitionibus quæ ſubiectum definitum , quam quæ infinitum ipſum habent : ſiue ſubiecto addita ſit uniuerſalis determinatio , ſiue huius loco articulus . nos autem non loquimur de ſubiectorum , ſed etiam prædicatorum differentia , aut ſi rem propius cōſideres , ait ſextā quoq; argumentationem poſſe locum habere in iis propoſitionibus , quæ ſua ui & per ſe uniuerſales determinationes adiunctas habent : ut prius in iis oſtenſum eſt propoſitionibus , in quibus articuli pro determinationibus ſunt cōſtituti . Cum autem nobis propoſitum ſit concludere . magis pugnare hanc , qua dicitur omne bonum eſſe bonum , cum ea, quæ ait nullum bonum eſſe bonum , quā cum ea , qua omne

bonum

bonum esse malum asseritur; sumptumq; nobis sit ad huius rei probationem, ut ea quæ dicit, nullum nõ bonum est bonum, uera negatio, pugnat cum ea, quæ ait non bonum bonum est, quæ est falsa affirmatio, ita etiam pugnare hanc, oẽ bonum est bonũ, quæ uera affirmatio est, cum hac qua nullũ bonum esse bonum putatur, quæ est falsa negatio: sitq; ostẽsum, ei, quæ nullum non bonum esse bonum dicit, neq; hãc quæ ait, nullum non bonum malum esse, totam aduersari, neq; eam, quæ nullum non bonum non malũ esse dicit: neutra enim ipsarum tota falsa est: sed utraq; ex parte quadam: solam autem illi contrariam esse, quæ omne non bonum in bonis ponit: cũ altera uera tota sit, altera tota falsa: ob eãq; causam sit a nobis existimatã, ei, qua oẽ bonũ eẽ bonũ ducitur, solam proprie contrariam esse negationem, quæ nullũ bonum esse bonum statuit: non autem contrarii affirmationem, quæ omne bonum esse malum affirmat: certe perspicuum est, quænam ad hæc dicenda sint. nam hæc, quæ ait omne bonum est malum, & per se tota falsa est, & per se totam cum illa potissimum pugnat, qua omne bonum esse bonum asseritur. prior tamen explanatio, utpote quæ hanc quoq; in se comprehendat, est habenda potior.


Quod si ita est in sententia, & si notionum quæ in animis imprimuntur, interpres est oratio; certe affirmationi etiã contraria sit necesse est ea negatio, qua idem a toto genere omnino tollitur. ueluti huic, Omne quod bonum est, in bonis est: uel, Omnis homo bonus est, ea in qua nullus, uel nemo est, contrario nomine opponitur. Contradictorio autẽ nomine ea, in qua non omne, uel non omnis adhibetur.


Cum ei in initio propositum esset, eas enunciationes, quæ pronunciantur inter se eo modo, qui expositus est, cõferre, ad opiniones confugit: censuitq; in eis tractãdum esse theorema, ceu quæ principii rationem ad propositiones, quæ uoce exprimuntur, habeant. itaq; cum id quod pro uero se ostensurum pollicitus est, in opinionibus concluserit, censet eadem propositionibus, quæ proferuntur, conuenire: nulsq; uniuersalem negationem uniuersali affirmationi contrario nomine; particularem uero particulari, contradictorio opponi: atq; utranq; harum oppositionum esse mutua contrariarum affirmationum pugna uehementiorem.

Illud etiam perspicuum est, ueram contradictionem uel sententiam uera contrariam esse non posse. Nam ex oppositis contraria constant, de quibus homo idem uere potest dicere, & contraria eidem simul conuenire non possunt.

In sexta argumentatione hoc tanquam euidens adhibuit, propositiones atq; sententias, quæ simul ueræ sunt, non eẽ contrarias, id quod nunc, licet euidens sit, in secunda figura confirmat: ad quod faciendum sumit hæc, sententias & propositiones quæ simul uerum dicũt, simul etiam de eadẽ re ueras esse: hoc enim est, simul uerum dicere: &, cõtraria simul de eodem uera esse non posse. tum sententias, & propositiones, quę simul uerum dicunt, non esse cõtrarias concludit. negãtem autem propositionem syllogismo antecedenti confirmat, quem in prima figura cõtexit, medioq; termino utitur hoc, non posse fieri, ut oppositis contraria opposita in eadem re simul uerum dicant. atq; ita effici ut contraria simul uerum dicere non possint. ipse tamen breuitatis causa maiorem antecedentis syllogismi propositionẽ, & primæ quæstionis conclusionẽ omisit. hæc igitur uis probationis est. Quod uero attinet ad ipsa uerba, quod ait, cõtradictionem, perinde accipiendum est, ac si dixisset propositionem, ex qua oritur contradictio. hoc est, quæ simul uerum dicũt, contradictionem facere nullo modo possunt: idq; siue in interna oratione, siue in ea, quæ uoce exprimitur, intelligas. Quod uero ait, [Nam ex oppositis contrariæ cõstant,] uidetur minus apte dictum esse, propterea quod accommodatius ad elocutionem dictum esset, si nomini contrariæ, articulus esset additus hoc mõ, αἱ ἐναντίαι μέν. Quod deinceps addit, [De quibus homo idem uere potest dicere;] est aiẽs ratiocinationis propositio. illis enim uerbis, de quibus uere dicere, indicat, quomodo hæ propositiones uerum simul enunciare dicantur, quia inquã, in eisdẽ concurrant. intelligit autem cõmunia subiecta earum propositionum, quæ simul uerum enunciare, dicantur. uerbo autem potest, modũ ueritatis, quæ in eis est, declarat: hoc est eas propositiones, in quibus idem subiectum sit, simul inter se posse uerum dicere, & secus: eas uero quæ non pp materiem, sed ex ipsa ui propositionum simul uerum dicũt, quales sunt indeterminatæ, ac particulares, necesse omnino esse, ut eodem subiecto utantur, atq; eodẽ tempore uerum enuncient. tum quod ait, [Et cõtraria simul conuenire eidem nõ possunt,] uidetur quidem esse prioris ratiocinationis conclusio, re tamen uera causam conclusionis continet: conclusio enim uera est hæc, contraria simul uera esse nõ possunt: cur uero minime apta sint ad uerum simul inter se enunciandum, id in causa est, quod ea eidem simul conuenire non possint.

F I N I S.




VIN
CENT